This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

3 3433 08162120 7

NEW YORK
PUBLIC
LIBRARY

NEW YORK
PUBLIC
LIBRARY

Edm Elmendorf 1797

M. TULLII CICERONIS

DE

OFFICIIS

AD

MARCUM FILIUM

LIBRI TRES.

NOTIS illuſtravit, & tum Manuſcriptorum ope, tum conjectura emendavit

ZACHARIAS PEARCE, S. T. P.
DECANUS WINTONIENSIS.

EDITIO TERTIA.

LONDINI:
VENEUNT APUD FIELDING ET WALKER,
PATER-NOSTER ROW.
M DCC LXXVIII.

NEW YORK
PUBLIC
LIBRARY

THE NEW YORK
PUBLIC LIBRARY
222080
ASTOR, LENOX AND
TILDEN FOUNDATIONS
1901

HONORATISSIMO VIRO,

GEORGIO

COMITI DE

MACCLESFIELD,

VICE-COMITI

PARKER DE *EWELME*,

BARONI DE MACCLESFIELD.

HOS tres Ciceronis libros de Officiis tibi, Vir nobiliſſime, in manus trado, meis curis nonnihil (ni fallar) & illuſtratos & emendatos: quibus hanc

Epiſtolam præfigendam eſſe velim, ut omnibus, qui in illos inciderint, pateat, quàm amieo mihi animo ſemper fueris, & quanta conſtantia te tuamque familiam coluerim. Quod verò à mea voluntate jam profectum eſt, id videri poſſit ad te quaſi hereditario jure acquiſitum pertinere: Tibi enim horum meorum ſtudiorum maturiores fructus debentur, quorum primitias Pater tuus, à me numquam niſi honoris cauſſa nominandus, cum maxima benevoli erga me animi ſignificatione accepit. Illum quoties recordor, vitæque, quem ſecutus eſt, curſum, in mentem venit, quàm ancipitem & periculoſam viam ingreſſi ſint, qui Rempublicam

capeſſunt,

capeſſunt, & arduas regni res admi-niſtrandas in ſe ſuſcipiunt; quàm multa ſint, in aſcendentibus ad ſummos honores, quæ adverſæ fortunæ patent; quantumque de illis liceat aut invidiæ, aut, quod ex partium ſtudiis oritur, odio acerbiori. Tibi igitur, qui hac una calamitate ſatis edoctus es, faciliùs fortaſſe, quàm aliis, concedendum eſt, ut (quod tuo judicio facis, non averſante natura, ſed voluntate) privatus in villam tuam agroſque te plerumque conferas; cùm præſertim in iſta ſolitudine non alio otio perfruaris, quàm quod & dignitatem habet, communi utilitati inſervit: Neque enim à cœtu civium æqualiumque tuorum remotus aut

deſidiæ & torpori te dedis, aut minùs humano generi conſulis, quàm ſi in oculis omnium maximaque celebritate vixeris. Mihi quidem, atque omnibus (credo), quibus tuum vitæ genus cognitum eſt, ſatis videris tueri hominum ſocietatem, etiam cùm à rebus civilibus & plena moleſtioribus negotiis vita refugias: Sive enim in recondita Mathematicorum arte verſaris; ſive ad ardentes ſanioris Chemiæ fornaces attentus es; ſive Stellarum vel orientium vel occidentium tempora noctu vigilans accuratiùs notas; hæc, quæ in virorum nobilium delectamentis raró inveniuntur, non minùs fructuoſa eſſe poſſunt hominum

minimum vitæ, quàm eorum labores, qui in media turba frequentiaque & magnas res gerunt, & Rempublicam proximè attingentes. Sed nec illa non ornant privatam vitam, quæ domeſticâ magis ſunt ex ratione; in erudiendis animis formandiſque moribus liberorum tuorum tempus ponere: & curare, ut incertæ optimæ conjugis valetudini quocunque modo proviſum ſit; ut vicinis pauperioribus morbo laborantibus medicamenta ſuppeditentur; ut bene morata & ad regulam Chriſtianæ religionis conſtituta ſit familia tua, ſummorum exemplo infimos quoſque ad ſui imitationem perducente,

cente. His & talibus pluribus dum ſedulò (ut ſoles) incumbis, nec otioſa eſt vita tua, nec indecora. Qui ita rectè & ſuaviter vivere in animum induxiſti, ſi abſis, non tamen inertiæ te tradis; ſi lateas, prodes tamen tum tuis, tum aliis in illa, ad quam te recipis, ſolitudine. Nec fortaſſe potius eſt quidquam ſapienti in votis, quàm ut, in vitæ conditione ſatis munita, utilis eſſe poſſit quàm plurimis. Vivas, Vir nobiliſſime, & valeas; hoc à Deo omuinm bonorum largitore precatur

Tui obſervantiſſimus

Et ſtudioſiſſimus

ZACHARIAS PEARCE.

5° Cal. Junii 1745.

PRÆFATIO.

PRIMÆ EDITIONIS.

UT ſcias, Lector, quid in hac editione exornanda perfecerim, quædam à me antè, quàm ad eam acceſſeris, dicenda eſſe videntur. Cùm primùm me ad hoc opus conferrem, mihi comparavi Grævii editionem primam & ſecundam: ſecundam verò, impreſſam anno 1691, primâ minorem, ſed emendatiorem, plerumque ſecutus ſum. Si quando ab ea diſceſſerim, diſcrepantiam vel in Notis ad imam ſingularum paginarum partem appoſitis ſignificavi: vel, ſi minoris fuerit momenti, in ea variarum lectionum ſerie, quæ Indici rerum & verborum proximè antecedit.

In Contextu non id ſatis eſſe duxi, capitum Gruterianorum diviſiones ſequi; ſed, ubicunque mihi viſus eſt Cicero, etiam in medio capite Gruteriano, de alia & diverſa re dicere incepiſſe, curavi, ut verborum quaſi filum à Typographis abrumperetur, & initium ſequentis ſententiæ in proximam lineam differretur: ſin ſententiarum iſtarum disjunctio non ita magna eſſet, id potiùs egi, ut ſpatium unius verbi longioris vacuum in linea relinqueretur. Hoc fere

fere ubique feci (non dico, ſemper: quippe, qui ad Typorum forulos ſedent, non ſemper monenti auſcultant) ut majores minoreſque partes uniuſcujuſque libri legentibus eſſent probè cognitæ. Hoc idem in Notis ſæpius ſignificandum eſſe cenſui, in quibus præcipuæ partes, & quaſi capita totius operis ita diſtinguuntur, ut facilè conſtet, quo ordine, quaque methodo omnia in ſingulis libris tractentur. Sed de hoc ſatis. In Contextu item id effeci (volui quidem certè), ut aliarum editionum mendæ tollerentur, & nebulæ diſcuterentur, quæ Ciceronis & verbis & argumentationibus plurimis in locis impenderent. Huic mei laboris parti ſæpius profuit alia loci interpunctio: de qua vix umquam te monui in Notis; quamquam & hîc de Cicerone bene meruiſſe mihi videor. Prima verò mihi & ante omnia cura fuit, ut, quid Cicero olim ſcripſiſſe videretur, judicando aut excogitando invenirem: ob eam rem veteres codices & impreſſos & ſcriptos conſulendos eſſe ſtatui. Ad manum habui plures veteres editiones, inter quas Moguntinam illam, omnium primam, ſed non omnium optimam, quam impreſſit *Johannes Fuſt* an. 1465: itemque Romanam primam, cui ſuum nomen appoſuerunt *Conradus Suueynbeym*, & *Arnoldus Pannarts* an. 1469: has utendas mihi commodavit celeberrimus medicus, & bene de doctis meritus, *Richardus Mead*. Hic etiam vir (qua eſt humanitate)

tate) mihi duorum MSorum ſuorum amiciſſimè copiam fecit: Quatuor inſuper codicibus ſcriptis uſus ſum, quos mihi ſuppeditavit bibliotheca Regia, quæ * Weſtmonaſterii eſt, multiſque MSis in omni fere doctrinæ genere inſtructa: Codicem unum ad me miſit *Edwardus Mills*, Juriſconſultus: Lectiones etiam ob oculos habui MSi cujuſdam, qui ſervatur in bibliotheca publica Cantabrigiæ: In nonnullis locis excuſſi alterum, qui inveniendus eſt in bibliotheca Norfolcenſi Regiæ Societatis Londini: Altero denique, quem habet bibliotheca Lamethana, uſus ſum beneficio reverendiſſimi Patris, Johannis, Archiepiſcopi Cantuarienſis. Horum decem codicum ſcriptorum ope (quibus addas, Lector, decem alteros Oxonienſes, quorum var. lect. notavit in ſua editione *Thomas Cockmannus*, vir magnæ & doctrinæ & diligentiæ); horum igitur (ut dixi) ope multas mihi ſpes eſt mendas in hac editione ſublatas eſſe, Ciceronemque nihil fere nunc in his libris loqui, quod ipſo indignum videatur. At non omnia his codicibus debentur: ſæpe enim evenit, ut ii omnes corrupti ſint, & ut mendæ ſint inveteratæ, quippe quæ in verba Ciceronis à primis fere ſæculis invaſerint: ut his remedium, quod potui, afferrem, Ambroſii libros tres Officiorum diligenter perlegi, qui Tullianos libros hoſce ſemper aut ob oculos aut mente hærentes habuerit; & ſeptem unà libros Divin. Inſtitutionum Lactantii, qui,

* Nunc verò in Britannico Muſeo.

qui, ut Ciceroniani ſtili æmulus non infelix fuerit, ita illius de Officiis libros ſæpius citârit, multaque in illis loca ingenio nonnumquam potiore, quàm judicio, expenderit.

In Annotationibus, quas ubique ferè paginis ſubjeci, is mihi animus fuit, ut nihil, quod obſcurum videretur, non explicatum eſſet; utque in Hiſtoricis omne id, quod in eam partem cognitu opus eſſet, probè intelligeretur. In his etiam non pauca Ciceronis loca conjecturâ ductus emendanda eſſe ſignificavi; iis (ni fallar) excogitatis, quæ his libris de Officiis ſæpius novam lucem afferunt, ſaltem quæ digna ſunt, ut à legentibus diligenter & accuratè expendantur. Hujuſmodi ſunt, in i. 16. *conſtitutum eſt civibus ipſis*, pro, *conſtitutum: è quibus ipſis*: ib. 25. *aptitudo animi*, pro, *altitudo animi*: ib. 37. *dicentium ſtudiis*, pro, *diſcentium ſtudiis*: ib. 45. *tueatur hominum ſocietatem*, pro, *teneatur hominum ſocietate*: ii. 16. *Ait, ii, qui &c.* pro, *At ii, qui &c.*: ib. 25. *non malè paſcere*, pro, *malè paſcere*: iii. 2. *promiſiſſet & non perfeciſſet*, pro, *prætermiſiſſet & non perfeciſſet*: ib. 6. *quia vacet juſtitiâ*, pro, *quæ vacent juſtitiâ*: ib. 15. *qui contra à ſe liceatur*, pro, *qui contra ſe liceatur*: ib. 23. *voracem*, pro, *furacem*: His plura addi poſſent, quæ legenti occurrent.

Ne

Ne quid verò huic Editioni deeſſet, quod parari poſſet, à doctiſſimis quibuſdam viris, amicis meis, impetravi, ut hos libros de Officiis relegerent, & mecum ſua quiſque Annotata communicarent. Gratiæ igitur tibi, Lector, illis referendæ ſunt; in primis eruditiſſimo *Joh. Chapmanno*, cujus non paucas Notas & utiles & doctas meis adjunxi, ejus nomine ad finem uniuſcujuſque appoſito. Multum debet illi viro Reſpublica literaria, qui nonnulla alia lectu digniſſima jam in lucem protulit, plura (ut ſpero) prolaturus, cùm omni fere doctrinæ generi ſe tradit, incredibili penè & eadem felici diligentia. Nec parum me adjuvârunt duo alii viri doctiſſimi, *Joh. Jortinus* & *Franc. Sayus*, digni quidem utrique, quorum & multiplex eruditio, & ingenii acumen, & acre judicium tum latiùs cognitum eſſet, tum ampliori præmio frueretur. Ciceroniano Contextu Notiſque meis tandem impreſſis, in Lambiniana quadam hujus opuſculi editione, quam mihi ære comparâram, & quæ quondam fuerat *Joh. Walkeri*, (illius viri clariſſimi, cujus Notæ extant in fine Daviſianæ edit. de Nat. Deor.), inveni Notulas quaſdam ſcriptas ab eodem, breves quidem, ſed neutiquam aſpernandas, imò tanta indole dignas. Harum principes inter * *Addenda*

* In hac tertia Editione Notæ illæ *Joh. Walkeri* & *Franc. Sayi*, cæteræque, quæ hic *Addenda* vocantur, ſuo quæque in loco ſibi proprio inſeruntur.

ante

ante Indicem poſui, cùm paullo ſeriùs mihi occur rerent: ubi etiam *Franc. Sayi* conjecturæ pauculæ, ſed magni faciendæ, ob eandem cauſſam locum tenent.

Cæteræ Notæ me habent auctorem, tam eæ, quæ nullo nomine ſignantur, quàm eæ, quibus meum nomen ideo ſubjeci, ut ab aliorum Notis ſecernerentur. In his expendendis ſi quando, Lector, tuum judicium fuerit meo contrarium, non recuſo, quin tuo potiùs ſtes quàm alieno, modò ad rationes, quibus meam ſententiam ſuſtineam, ſatis attentus ſis. Memineris tamen, oro, in hujuſmodi rebus, ſemper eſſe contra dicendi locum. Criticorum ars non eſt ſcientiâ ſubnixa: Conjecturâ ſæpe opus eſt, nullis adjuvantibus MSis; atque etiam, ubi adjuvant, aliorum codicum lectio ita ab aliis differt, ut Judicio ſolo ſit ſtatuendum, quænam ex tot variantibus lectionibus præferendæ ſint. At nec Conjecturæ, nec Judicio certæ ſunt regulæ, ad quas omnia referenda ſint: hinc fieri non poteſt, quin ſententiæ doctorum ſæpe ſint diſcrepantes; hinc etiam neceſſe videtur, ut facilem nobis veniam viciſſim & petamus & demus; quam ſi quis nunc mihi petenti dederit, benevolum ſe & æquum Lectorem præſtabit.

Præter

Præter codices decem manu ſcriptos Oxonienſes, quibus in ſua editione uſus eſt Thomas Cockmannus, *quorumque ibi poſt Præfationem mentionem fecit: præter codicem etiam* Groninganum, *cujus variantes lectiones in margine ſuæ pulcherrimæ editionis notavit* Cl. Verburgius, *ex ſequentibus ductæ variantes lectiones in hac editione mea ſunt memoratæ.*

CANT. ſignificat MSum in Bibliotheca publica Cantabrigienſi, qui notatur in Catalogo 70.

Mill. MSum Edwardi Mills, nitidum, & ex codice bonæ notæ deſcriptum an. 1410.

Lameth. MSum in Bibliotheca Lamethana, ſive Lambethana, Archiepiſcoporum Cantuar.

Norf. pr. MSum in Bibliotheca Norfolcenſi Regiæ Societatis, Londin. ubi eſt & alius ejuſdem operis MSus, ſed eorum neuter ob vetuſtatem magni faciendus.

Mead. pr. MSum Richardi Mead, in folio, omnium, quos vidi, optimum, & (ut quibuſdam viſum eſt) 700 annos habentem.

Mead. ſec. MSum ejuſdem clariſſimi viri, pulchrè & accuratè plerumque, ſed non antiqua manu, deſcriptum.

Reg. pr. MSum, de quo Cl. Rich. Bentleius ſic in margine Grævianæ editionis, quæ me penes eſt, *Collatum cum codice regio* 600 *annorum Londini.* Deficit verò ab initio cap. 3. libri ſecundi uſque ad finem tertii. Hunc MSum in Bibliotheca regiā non potui invenire.

Reg. ſec. MSum in eadem Bibliotheca ſervatum, bonæ notæ, & annorum (ut putant) 600: multa in hoc volumine unà colligantur; primò verò occurrit Ciceronis dialogus de Amicitia.

Reg. tert. MSum in eadem Bibliotheca inveniendum, annorum 500: in initio dicitur eum fuiſſe *de librario Sti Auguſt. Cantuar.*

Reg. quart. MSum in eadem Bibliotheca aſſervatum, ejuſdem ætatis: in prima pagina occurrit, *Liber ſanctæ Mariæ de Bellalanda.*

Hi tres poſtremi in Catalogo Regio ſic numerantur, 15 A. viii. vi. xx.

M. TUL-

M. TULLII CICERONIS

DE

*OFFICIIS

AD

MARCUM FILIUM

LIBER PRIMUS.

QUAMQUAM te, Marce fili, annum jam audientem [a] Cratippum, idque Athenis, abundare oportet præceptis inſtitutiſque philoſophiæ, propter ſummam & doctoris auctoritatem & urbis; quo-

* *Officiis*] *Quod de inſcriptione quæris; non dubito, quin* καθῆκον officium *ſit, niſi quid tu aliud: ſed inſcriptio plenior,* de officiis. Προσφωνῶ *autem Ciceroni filio: viſum eſt non* ἀνοικεῖον. Cic. Ep. ad Att. xvi. 11.

(a) *Cratippum*] Peripateticum Philoſophum, patriâ Lesbium, Athenis verò tum temporis commorantem: quem Cicero pater paulo poſt vocat *principem hujus ætatis philoſophorum*; & in iii. 2. *principem hujus memoriæ philoſophum*; de quo etiam Cicero filius ſic ſcribit ad Tironem in Ep. ad Fam. xvi. 21. *Cratippo me ſcito non ut diſcipulum, ſed ut filium, eſſe conjunctiſſimum: nam cùm audio illum libenter, tum etiam ejus propriam ſuavitatem vehementer amplector. Sum totos dies cum illo, noctiſque ſæpenumero partem: exoro enim, ut mecum quàm ſæpiſſimè cœnet: hâc introductâ conſuetudine ſæpe inſcientibus & cœnantibus obrepit, ſublatâque ſeveritate philoſophiæ humaniſſimè nobiſcum jocatur. Quare da operam, ut hunc talem, tam jucundum, tam excellentem virum videas quàm primùm.*

quorum [b] alter te ſcientiâ augere poteſt, altera exemplis: tamen, ut ipſe ad meam utilitatem ſemper cum Græcis Latina conjunxi, neque id in philoſophia ſolùm, ſed etiam in dicendi exercitatione feci, idem tibi cenſeo faciendum, ut par ſis in utriuſque orationis facultate. Quam quidem ad rem nos (ut videmur) magnum attulimus adjumentum hominibus noſtris, ut non modò Græcarum literarum rudes, ſed etiam docti, aliquantum ſe arbitrentur adeptos [c] & ad dicendum & ad judicandum. Quamobrem diſces tu quidem à principe hujus ætatis philoſophorum, & diſces quamdiu voles; tamdiu autem velle debebis, quoad te, quantum proficias, [d] non pœnitebit: Sed tamen [e] noſtra legens, non multùm

(b) *quorum alter*] Quamvis proximè præceſſerit vox *urbis*, non dicitur *quarum altera*, ſed *quorum alter*, quia vox *doctoris* maſculini generis eſt, ideoque dignioris. Simile eſt illud Ovidii, Faſt. i. 287.

Jane, fac æternos pacem pacíſque miniſtros.

(c) *et ad dicendum et ad judicandum*] i. e. ad artem Oratoris & Philoſophi: illius enim eſt, *dicere*; hujus, de rebus *judicare*.

(d) *non pœnitebit*] i. e. quamdiu ſatis tibi patebit te proficere. Docti obſervârunt hanc vocem *pœnitet* aliquando idem ſignificare, quod *parum videtur*. Sic Servius ad Virg. Eclog. ii. 34.

Nec te pœniteat calamo triviſſe labellum,

ait, *non tibi parum videatur*. *Terentius* (ſc. in Heaut. I. i. 20.) *at enim me, quantum hîc operis fiat, pœnitet: id eſt, parum videtur.* Repetit idem ad Virg. Æn. i. 552. Porrò notârunt Petr. Marſus & Fr. Maturantius Livium ita locutum fuiſſe in Lib. i. *cùm jam virium haud pœniteret*, hoc eſt, cùm non parvæ vires viderentur. Adeatur etiam Gellii Noct. Att. xvii. 1.

(e) *noſtra legens*] Ita omnes ferè libri ſcripti, editiq; ante Grævium: Ille primus ex uno Wolfii codice intulit in Textum *leges*; quia nihil (inquit) ſequitur, unde pendet *legens*. At, ſi voces, *quoniam utriq; & Socratici & Platonici eſſe volumus*, uncis Parentheſeos includantur, iſtud *legens* pendebit à verbis ſequentibus, *de rebus ipſis utere tuo judicio*.

multum à Peripateticis diſſidentia, ([f] quoniam utrique & Socratici & Platonici eſſe volumus,) de rebus ipſis utere tuo judicio; nihil enim impedio: orationem autem Latinam profectò legendis noſtris efficies pleniorem. Nec verò hoc arroganter dictum exiſtimari velim: nam philoſophandi ſcientiam concedens multis, quod eſt oratoris proprium, aptè, diſtinctè, ornatè dicere, quoniam in eo ſtudio ætatem conſumſi, ſi id mihi aſſumo, videor id meo jure quodam modo vindicare. Quamobrem magnopere te hortor, mi Cicero, ut non ſolùm orationes meas, ſed hos etiam de Philoſophia libros, qui

(f) *quoniam utrique & Socratici*] Rationem hìc Noſter reddit, cur ea, quæ ipſe Academicus de Philoſophiâ ſcripſit, non multùm diſſiderent ab iis, quæ Peripatetici ſcribere ſolerent; Quoniam (inquit) utrique nos, tum Academici, tum Peripatetici, cupimus haberi ſectatores, non Socratis ſolum, ſed etiam Platonis. *Plures* (ut ait Cicero de Orat. iii. 16.) *quaſi familiæ philoſophorum a Socrate ortæ ſunt & proſeminatæ*; & quanquam multùm *inter ſe diſſenſerint*, tamen *omnes ſe Socraticos dici voluerunt, & eſſe arbitrabantur.* Unam illarum familiarum effecit Plato, ejuſque diſcipuli *Ariſtoteles & Xenocrates; quorum alter Peripateticorum, alter Academiæ nomen obtinuit*, ib. c. 17. Sequitur igitur Peripateticos & Academicos tam *Platonicos*, quàm *Socraticos*, fuiſſe; quia ii Socratis diſcipuli erant, qui ex Platonis familiâ originem haberent. Huic ſimile eſt, quod Cicero dicit in Tuſc. Diſp. i. 23. *qui a Socrate & Platone & ab eâ familiâ diſſident, plebeii philoſophi appellandi videntur.* Et ib. in ii. 3. *Platonem reliquoſque Socraticos, & deinceps eos, qui ab his profecti ſunt, legunt omnes.* Vides jam (opinor), Lector, non neceſſe eſſe, ut aut (quod Grævius voluit) mutemus *Socratici* in *Stoici*; aut (quod alii voluerunt) pro *utrique* reponamus vel *utique*, vel *utrumque.*

qui [g] ſe jam illis ferè æquârunt, ſtudiosè legas: vis enim dicendi major eſt in illis; ſed hoc quoque colendum eſt æquabile & temperatum orationis genus. Et id quidem nemini video Græcorum adhuc contigiſſe, ut idem utroque in genere laboraret, ſequereturque & illud forenſe dicendi, & hoc quietum diſputandi genus; niſi fortè Demetrius Phalereus in hoc numero haberi poteſt, diſputator ſubtilis, orator parum vehemens, dulcis tamen, [h] ut Theophraſti diſcipulum poſſis agnoſcere. Nos autem quantum in utroque profecerimus, aliorum ſit judicium; utrumque certè ſecuti ſumus. Equidem & Platonem exiſtimo, ſi genus forenſe dicendi tractare voluiſſet, graviſſimè & copioſiſſimè potuiſſe dicere: & Demoſthenem, ſi illa, quæ à Platone didicerat, tenuiſſet & pronuntiare voluiſſet, ornatè ſplendidèque facere potuiſſe. Eodemque modo de Ariſtotele & Iſocrate

(g) *qui ſe jam illis fere æquârunt*] Ita Victorius, Editio Mogunt. pr. & Rom. pr. aliæque vet. Editiones; itemque MSi Reg. ſec. & quart. Cant. Mil. Mead. ſec. & omnes Oxonienſes, licet in his vocula *ſe* variè locum ſortiatur. MSi cæteri, licet iſtud *ſe* omittant, tamen *illis* retinent. Vulgatam lectionem, *qui jam illos æquârunt*, ex uno MSo ſuo protulit olim Fabritius, quem recentiores Editores fere ſecuti ſunt.

(h) *ut Theophraſti diſcipulum*] Ita dulcis, ut facilè agnoſcas eum fuiſſe Theophraſti diſcipulum: *Quis* (ait Noſter in Bruto. c. 31.) *Theophraſto dulcior!* Huic Tyrtamus proprium fuiſſe nomen dicitur; ſed Ariſtoteles eum appellavit *Theophraſtum* διὰ τὸ τῆς φράσεως Θεσπέσιον. Noſter in Oratore c. 19. ait eum *divinitate loquendi nomen inveniſſe*. Cui ſimile eſt illud Quinctiliani (Inſt. Orat. x. 1.) *in Theophraſto tam eſt cloquendi nitor ille divinus, ut ex eo nomen quoque traxiſſe dicatur.*

Iſocrate judico; quorum uterque ſuo ſtudio delectatus contemſit [i] alterum.

Sed cùm ſtatuiſſem aliquid hoc tempore II. ad te ſcribere, & multa poſthac; ab eo ordiri volui maximè, quod & ætati tuæ eſſet aptiſſimum, & auctoritati meæ. Nam, cùm multa ſint in philoſophia & gravia & utilia, accuratè copioséque à philoſophis diſputata, latiſſimè patere videntur ea, quæ de officiis [a] tradita ab illis præcepta ſunt: Nulla enim vitæ pars, neque publicis, neque privatis, neque forenſibus, neque domeſticis in rebus, neque ſi tecum agas quid, neque ſi cum altero contrahas, vacare officio poteſt; in eoque colendo ſita eſt vitæ honeſtas omnis, & in negligendo turpitudo. Atque hæc quidem quæſtio communis eſt omnium philoſophorum: quis eſt enim, qui nullis officii præceptis tradendis, philoſophum ſe audeat dicere? Sed ſunt nonnullæ [b] diſciplinæ, quæ

(i) *alterum*] i. e. alterum ſtudium, ſive ſtudium alterius: Nempe Ariſtoteles contemſit ſive noluit colere Oratorium, Iſocrates verò philoſophicum.

(a) *tradita ab illis præcepta ſunt*] Vulgo *tradita ab illis & præcepta ſunt*, quod ferri poteſt. Sed noſtram lectionem habet Victorius, quæ Ciceroni uſitatior videtur: ſic enim paulo infrà, *qui nullis officii præceptis tradendis philoſophum ſe audeat dicere*: & ib. *neque ulla officii præcepta firma, ſtabilia, conjuncta naturæ tradi poſſunt*, &c. Ita etiam in ſeq. cap. *Quorem autem officiorum præcepta traduntur.*

(b) *diſciplinæ*] i. e. Sectæ philoſophorum: propriè tamen *diſciplina* eſt ea doctrina, quâ philoſophi ſuos diſcipulos inſtituebant: quot igitur familiæ erant philoſophorum, totidem erant & *diſciplinæ*.

quæ [c] propoſitis [d] bonorum & malorum finibus officium omne pervertunt: nam, [e] qui ſummum

(c) *propoſitis*] Languidum quiddam ac inſulſum effert τὸ *propoſitis*, cùm emphaſi omni careat, nec in ſe ullam reprehenſionis notam prodat in *Fines* iſtos, qualem certè, ni fallor, Cicero inuſtam eis voluit. Mallem itaque *præpoſteris* legi quàm *propoſitis*, literarum facili mutatione & ſenſu loco aptiſſimo. In illâ enim voce inſunt acres quidam aculei, qui iſtiuſmodi *Fines bonorum & malorum* configunt, ac diſertè indicant Lectori, unde iſtæ *diſciplinæ officium omne pervertunt.* Neque verbum eſt noſtro aut inſolens aut obſcurum, uti cernere eſt ex Amicit. c. 22. Præpoſteris *utimur conſiliis:* Or. pro Rab. Poſth. c. 13. *Quid tam inſolens, tam perverſum* præpoſterumque *dici aut excogitari poteſt?* Or. in Piſon. c. 38. *Noſter hic* præpoſterus *imperator*, &c. *Chapman.*

Grævius notârat eruditum quendam virum ingenioſè legendum conjeciſſe *præpoſteris*, ſed contra omnium codicum fidem: At video Daviſium in Not. ad Lactantii Epitom. c. 33. hoc loco citato, dicere, *Lege* præpoſteris, *ut diſertè repræſentat MSus Elienſis: quod eò monendum duxi, ne certiſſima viri docti conjectura, tamquam codicibus haud nixa, cum Grævio rejicula cenſeatur.* Non multum inter ſe differunt voces *præpoſteris* & *propoſitis*, cùm in MSis contractiùs ſcribantur.

(d) *bonorum & malorum finibus*] Finis bonorum (Cicerone ipſo explicante in l. 4. de Fin.) eſt id, *quod ultimum, quod extremum eſt, & quo ſint omnia bene vivendi, recteque faciendi conſilia referenda: quod ſequitur natura, ut ſummum in rebus fugiendis: quod fugit, ut extremum malorum.* Ideo autem videtur Noſter eos, quos citavi, Libros inſcripſiſſe *de Finibus Bonorum & Malorum*, non *de Fine*, &c. quia de duplici re locutus eſt (tam de Malis, quàm de Bonis) & utriuſque ſuus eſt Finis.

(e) *qui ſummum bonum ſic inſtituit*] Particulam *ſic*, quæ vulgò exſulat, reſtitui auctoritate MSorum Reg. Mead. duorum, Cant. Mill. omnium etiam Oxonienſium, cæterorumque ferè quotquot inveniuntur; itemque Editionis Victorii & aliarum veterum. Cicero hæc de iis loquitur, qui ſequebantur Epicurum. Primus apud Græcos Socrates dicitur *Philoſophiam e cœlo* ad terram *devocâſſe*, i. e. a tractatione quæſtionum de Aſtronomia, Origine mundi, aliiſque rebus phyſicis traduxiſſe ad ea, quæ *de vita & moribus, rebuſque bonis & malis quærerentur* (Tuſc. diſp. v. 4.) Ex illo tempore inter philoſophos agitabatur,

ſummum bonum ſic inſtituit, ut nihil habeat cum virtute conjunctum; idque ſuis commodis, non honeſtate metitur; hic, ſi ſibi ipſe conſentiat, & non interdum naturæ bonitate vincatur, neque amicitiam colere poſſit, nec juſtitiam, nec liberalitatem: fortis verò, dolorem ſummum malum judicans; aut temperans, voluptatem ſummum bonum ſtatuens, eſſe certè nullo modo poteſt. Quæ, quamquam ita ſunt in promptu, ut res diſputatione non egeat, ſunt tamen à nobis [f] alio loco diſputata. Hæ diſciplinæ igitur, ſi ſibi conſentaneæ eſſe velint, de officio nihil queant dicere: neque ulla officii præcepta firma, ſtabilia, [g] conjuncta naturæ tradi poſſunt, niſi aut ab iis qui [h] ſolam, aut ab iis qui

agitabatur, quid eſſet ſummum ſive maximum bonum; quid etiam ſummum malum: ſed, *cùm ex Socratis variis & in omnem partem diffuſis diſputationibus alius aliud apprehenderat, plures quaſi familiæ philoſophorum, multùm diſjunctæ* quoad doctrinam *& diſpares, proſeminatæ ſunt* (de Orat. iii. 16.) Hinc Peripatetici & Academici, a Platone Socratis diſcipulo profecti, ſummum bonum poſuerunt in honeſtate maximè, ſed non ſolâ, eaque propter ſe expetendâ: *Stoici verò*, qui ab Antiſthene ejuſdem Socratis auditore orti & Cynici erant reformati, docuerunt honeſtatem ſolam eſſe expetendam: *Epicurei* autem, qui Cyrenaïcam philoſophiam, ab Ariſtippo altero Socratis diſcipulo profectam, paululum immutando defenderunt, at Voluptate omnia metiebantur, eam ſummum bonum eſſe ſtatuerunt, Dolorem verò ſummum malum.

(f) *alio loco diſputata*] Scilicet in libro iv. Tuſc. Diſp. & in libro ſecundo de *Finibus*.

(g) *conjuncta naturæ*] i. e. quæ cum humanâ naturâ conſentiunt, ad eamque accommodantur.

(h) *ſolam*] Vide quæ modò dixi in Notâ ad verba, *qui ſummum bonum ſic inſtituit*.

qui maximè honeſtatem propter ſe dicant expetendam. Itaque [i] propria eſt ea præceptio Stoicorum, Academicorum, Peripateticorum: quoniam [a] Ariſtonis, Pyrrhonis, [b] Herilli jam pridem exploſa ſententia eſt; qui tamen haberent jus ſuum diſputandi de officio, ſi rerum aliquem delectum reliquiſſent, ut ad officii inventionem aditus eſſet. Sequemur igitur hoc quidem tempore, & hac in quæſtione, potiſſimùm Stoicos, non ut interpretes; ſed (ut ſolemus) è fontibus eorum, judicio arbitrioque noſtro, quantum, quoque modo videbitur, hauriemus. Placet igitur, quoniam omnis diſputatio de officio futura

(i) *propria eſt ea præceptio*] i. e. jus tradendi præcepta de officiis concedendum eſt ſolis Stoicis, Academicis, & Peripateticis.

(a) *Ariſtonis, Pyrrhonis*] Hi duo Philoſophi auditores fuerant Zenonis Citiæi, Stoicæ ſectæ fundatoris: ab eo tamen diſſentiebant. Uterque ad morem ſui magiſtri ſolam virtutem expetendam, ſolum vitium fugiendum eſſe voluit: Uterque nihil aliud cenſuit in bonis vel in malis numerandum eſſe. Sed Ariſto docuit præterea, nullâ aliâ re in ullam partem ſapientem debere moveri: Pyrrho verò alias res nè ſentire ſapientem. Audi ipſum Ciceronem in iv. de Finibus c. 16. *Pyrrho, virtute conſtitutâ nihil omnino, quod appetendum ſit, reliquit: Ariſto nihil relinquere non eſt auſus; introduxit autem, quibus commotus ſapiens appeteret aliquid, quod cuique in mentem incideret, & quodcunque tanquam occurreret.* Ibid. ii, 13. *Cum Ariſtoni & Pyrrhoni omnia*, virtute exceptâ, *omnino viſa ſunt pro nihilo, ut inter optimè valere, & graviſſimè ægrotare nihil prorſus dicerent intereſſe, rectè jam pridem contra eos deſitum eſt diſputari: dum enim in unâ virtute ſic omnia eſſe voluerunt, ut eam rerum ſelectione exſpoliarent, nec ei quidquam aut unde oriretur darent, aut ubi niteretur, virtutem ipſam, quam amplexabantur, ſuſtulerunt.*

(b) *Herilli*] Hic *in cognitione & ſcientiâ ſummum bonum poſuit*, ut ait Cicero in Lucull. c. 42. De hoc etiam ſic

futura eſt, [c] antè definire, quid ſit officium; quod à Panætio prætermiſſum eſſe miror: omnis

ſic ſcribit in ii. 13. de Fin. *Herillus ad ſcientiam omnia revocans unum quoddam bonum vidit; ſed nec optimum, nec quo vita gubernari poſſit: itaque hic ipſe jam pridem eſt ejectus.* Et Ambroſius in initio l. 2. de Officiis. *Herillus audiens ab Ariſtotele & Theophraſto mirabiliter laudatam eſſe rerum ſcientiam, ſolam eam quaſi ſummum bonum poſuit, cùm eam illi quaſi bonum, non quaſi ſummum bonum, laudaverint.*

(c) *antè definire quid ſit officium*] Niſi multum fallor, Cicero in his libris nullam Officii definitionem adduxit, quamvis plerique interpretes valdè laborent, ut id eum feciſſe contrà oſtendant. Video equidem noſtrum in ſequente capite definiviſſe, quid ſit *perfectum* officium, quid item ſit *medium*; non autem quid ſit ipſum *officium*. Nos igitur (cum bonâ Lectoris veniâ) conemur huic rei, quam Cicero omiſit, ſatisfacere. Vox *officium* contractè dicitur pro *opificium*, ut *Officina* (quæ ab *opifex* derivatur) dicitur pro *Opificina*. *Officium* igitur in primâ ſuâ ſignificatione idem ſonat, quod Actio: cum verò *Officium* eam hominis actionem velit, quæ ad mores ſpectat, ſic definiri (opinor) rectè poterit, *Id quod natura ratioque docet ab unoquoque homine vel ſibi vel aliis præſtandum eſſe:* Vel juxta Puſendorfium in lib. de Off. Hom. & Civ. *Actio hominis eſt pro ratione obligationis ad præſcriptum legum rectè attemperata:* Vel (ut cum Cœlio Calcagnino loquar) *Officium eſt actio in omni vitâ cum virtute & ratione conjuncta.* Hæc actio ſi *omnes* (ut Stoici dicunt) *numeros habet*, i. e. ſi nulla vel minima pars, quæ in ea ineſſe debet, non inſit, tum *perfectum & rectum Officium* vocatur; quod in Neminem (iſtorum Judicio) præter ſapientem cadere poteſt. *Medium* verò officium, ſive id quod *commune* eſt, quodque in multos cadere poteſt, ſic rectè Cicero definit, *quod cur factum ſit, ratio probabilis reddi poteſt:* i. e. actio, quæ, quamvis non ſit omnibus ſuis partibus expleta & cumulata, habet tamen cauſſam rationemque cur poſſit probari. Meminerit Lector Ciceronem in his libris de ſecundo ſolo Officiorum genere paſſim dicere, quæ *media* vocat, quæque (ut ait iii. 3.) *ingenii bonitate multi aſſequuntur, & progreſſione diſcendi.* Vox *media* hìc idem valet quod mediocria; ut in Vell. Paterc. ii. 29. (notante Grævio) dicitur fuiſſe Pompeius *innocentiâ eximius, ſanctitate præcipuus, eloquentiâ medius.*

omnis enim, [d] quæ à ratione ſuſcipitur de aliqua re, inſtitutio debet à definitione proficiſci, ut intelligatur, quid ſit id, de quo diſputetur.

III. [a] Omnis de officio duplex eſt quæſtio: unum genus eſt, quod pertinet ad finem bonorum; alterum, quod poſitum eſt in præceptis, quibus in omnes partes uſus vitæ [b] confirmari poſſit. Superioris generis hujuſmodi exempla ſunt; [c] Omniane officia perfecta ſint? Num quod officium aliud alio majus ſit? & quæ ſunt generis ejuſdem. Quorum autem officiorum præcepta tradantur, ea quamquam pertinent ad finem bonorum, tamen id minus apparet, quia magis

(d) *quæ à ratione*] Potiùs, ut videtur, *quæ ratione*, omiſsâ præpoſitione.

(a) *Omnis de officio duplex*] Cicero ſcripſiſſe videtur, *Omni de officio*; i. e. de officio in genere. Duo ſunt quæſtionum de Officio genera, nempe quod ad Theoriam ſeu ſpeculationem pertinet, & quod ad Praxin: prius genus oſtendit, quis ſit finis bonorum; de quo nihil in his libris Cicero dicturus eſt, cùm eam quæſtionem fusè plenéque tractârit in iis quinque libris, qui inſcribuntur *de Finibus bonorum & malorum*. Duplex eſt item alia de officio quæſtio, ſc. ſitne perfectum an medium.

(b) *confirmari*] Ita veteres Editiones, quatuor Regii MSi, omneſque (opinor) alii, duobus exceptis à Paulo Manutio excuſis, in quibus legitur *conformari*. Hanc poſtremam vocem recentiores Editores in Textum receperunt: quid enim aiunt? num præceptis vita *confirmatur?* nonne potius *conformatur?* At meminerit Lector Ciceronem hoc non de vitâ, ſed de *uſu vitæ* dicere: Senſus eſt; His præceptis ii mores, qui inter homines uſu ſunt recepti, confirmantur. Natura (inquit Anonymus) ad Officium ducit; præceptis *confirmatur*, quod illa inchoaverat; *rectique cultus pectora roborant*, ut ait Horatius in Carm. IV. iv. 34.

(c) *Omniane officia perfecta ſint?* &c.] i. e. Omniane ſint perfecta? &, ſi non perfecta, ſintne paria?

magis ad inſtitutionem vitæ communis ſpectare videntur; de quibus eſt nobis his libris explicandum. [d] Atque etiam alia diviſio eſt officii; nam & medium quoddam officium dicitur, & perfectum. [e] Perfectum officium rectum (opinor) vocemus, quod Græci κατόρθωμα: [f] hoc autem commune officium καθῆκον vocant: atque ea ſic definiunt, [g] ut rectum quod ſit, id perfectum

(d) *Atque etiam alia diviſio eſt*] Scilicet ejus officii, quod ad Praxin pertinet, duplex eſt genus, *perfectum* & *medium*. De hâc verò diviſione vide quæ dixi in Notâ ad caput ſuperius.

(e) *Perfectum officium rectum (opinor) vocemus, &c.*] In proximâ ſententiâ Cicero dicit Græcos, vel potius Stoicos, definiviſſe id eſſe *perfectum*, quod *rectum* ſit. Credaſne igitur illum hîc antè voluiſſe *recti* mentionem facere, quaſi idem ſignificantis quod *perfectum?* Suſpicor noſtrum ſcripſiſſe, *perfectum officium rectè (opinor) vocemus, &c.* vel (quod magis placet) *Perfectum officium (opinor) vocemus, &c.* omiſſâ voce *rectum*; quæ ex gloſſa nata videtur cujuſdam interpretantis vocem κατόρθωμα. Nam in iii. 3. dicitur, *illud officium, quod rectum Stoici appellant, perfectum, & abſolutum eſt*, & in iii. de Fin. c. 7. *Quæ nos aut recta aut rectè facta dicamus, illi* (Græci) *appellant κατορθώματα*. Hanc meam conjecturam confirmare videtur Ambroſius in Officior. i. 11. qui ad hunc Ciceronis locum reſpiciens dicit, *Hoc eſt igitur perfectum officium, quod κατορθώματα dixerunt Græci*; ubi nihil de *recto* memoratum videmus.

(f) *hoc autem commune officium καθῆκον vocant:*] i. e. hoc autem *medium* officium, quod *commune* eſt, Græci vocant καθῆκον. MSi fere omnes habent *officium*, quamvis à recentioribus Editionibus ejiciatur. Iſtud καθῆκον primus è codice quodam probatæ (ut ait) fidei protulit Maturantius, quod & ſententiæ neceſſarium videtur; qui *vocant* enim, Græci ſunt, & ii certè Græcâ utuntur appellatione. *Mihi non eſt dubium* (dicit Noſter in Ep. ad Att. xvi. 14.) *quin quod Græci καθῆκον, nos officium.* De Fin. iii. 6. *primum eſt officium (id enim appello καθῆκον) ut ſe conſervet.*

(g) *ut rectum quod ſit*] Quod Græcis κατόρθωμα eſt, Latinè ſonat

fectum officium eſſe [h] [definiant]; medium autem officium id eſſe dicant, [i] quod cur factum ſit, ratio probabilis reddi poſſit. Triplex igitur eſt (ut Panætio videtur) conſilii capiendi deliberatio: Nam, honeſtumne factu ſit an turpe, dubitant, id, quod in deliberationem cadit: in quo conſiderando ſæpe animi in contrarias ſententias diſtrahuntur. Tum aut [a] anquirunt, aut conſultant, ad vitæ commoditatem jucunditatemque, ad facultates rerum atque copias, ad opes, ad potentiam, quibus & ſe poſſint juvare & ſuos, conducat id necne, de quo deliberant: quæ deliberatio omnis in rationem utilitatis cadit. Tertium dubitandi genus eſt, cùm pugnare videtur cum honeſto id, quod videtur eſſe utile: cùm enim utilitas ad ſe rapere, honeſtas

ſonat *rectum* ſive *rectè factum*, ut dicit Cicero in iii. c. 7. de Fin. *Perfectum* igitur, cùm dicitur eſſe *rectum*, non definitur; aliâ tantum voce ſignificatur. Potius dicendum eſt, id Officium eſſe *perfectum* quod omnes numeros (ut aiunt Stoici) habet; cui nihil addi poteſt; cui nihil deeſt; cujus denique omnes partes ita naturæ rationique conſentaneæ ſunt, ut nihil non in eo regulæ morum reſpondeat. Vide quæ Noſter dicit in iii. 3.

(h) *definiant*] Suſpectam habeo hanc vocem: conſtructio eſt enim, *ſic definiant, ut definiant*; quod vix Ciceronis eſſe puto. MSus Laud. omittit verbum *definiant*, quod & commodè abeſſe poſſe video, cùm ex ſequente ſententiâ verbum *dicant* hic ſubintelligi poſſit.

(i) *quod cur factum ſit*] Hanc definitionem ſic expreſſit noſter in c. 29. *cujus poſſit* (quis) *cauſam probabilem reddere*: & in lib. iii. 17. de Fin. *Eſt autem officium, quod ita factum eſt, ut ejus facti probabilis ratio reddi poteſt.*

(a) *anquirunt*] *Anquirere* propriè eſt, circùm quærere, ut Feſtus ſcribit: à quo *inquirere* diverſum eſt. Qui igitur circumquaque omnia ſcrutans quærit, is *anquirere* Latinè & Ciceronianè dicitur. *Fabritius.* Vide quæ dicturus ſum in notâ ad ii. 13.

honeſtas contra revocare ad ſe videtur, ſit, ut diſtrahatur in deliberando animus, [b] afferatque ancipitem curam cogitandi. Hac diviſione (cùm præterire aliquid maximum vitium in dividendo ſit) duo prætermiſſa ſunt: nec enim ſolùm, utrùm honeſtum an turpe ſit, deliberari ſolet; ſed etiam, duobus propoſitis honeſtis, utrum honeſtius: itemque, duobus propoſitis utilibus, utrum utilius: Ita, quam ille triplicem putavit eſſe rationem, in quinque partes diſtribui debere reperitur. Primum igitur eſt de honeſto, ſed dupliciter; tum [c] pari ratione de utili; poſt de comparatione eorum, diſſerendum.

IV. Principio generi animantium omni eſt à natura tributum, ut ſe, vitam, corpuſque tueatur; declinetque ea, quæ nocitura videantur; [d] omniaque, quæ ſint ad vivendum neceſſaria,

(b) *afferatque ancipitem curam* cogitandi] Non dicitur cui animus afferat illam ancipitem curam; quod dicendum videtur. Nec vulgata igitur lectio *cogitandi* placet, nec Gronoviana *cogitatio*. Fortaſſe ſcripſit Cicero, *afferatque ancipitem curam* cogitanti, i. e. animus ita diſtractus afferat eam curam illi, qui de eâ re cogitat & deliberat. Memoranda tamen videtur conjectura amici cujuſdam mei, afferantque *ancipitem curam cogitandi*, i. e. utilitas & honeſtas eam animo afferant. Cùm proximè præceſſerit *diſtrahatur* verbum ſingularis numeri, Librarii ideo videntur *afferantque* in *afferatque* commutâſſe, ut copula *que* verba ſimilium numerorum connecteret.

(c) *pari ratione*] i. e. dupliciter etiam.

(d) *omniaque, quæ ſint, &c.*] Sequor Victorium, Langium, duos MSos Gulielmii, quatuor meos, Bodl. pr. Laud. & Mert. pr. cùm vulgò edatur *omniaque quæcunque ſint*. Hoc quidem non inuſitatum eſt Ciceroni, qui dicit in ii. 2. de Orat. *Omnia, quæcunque in hominum diſceptationem cadere poſſunt*,

neceſſaria, anquirat & paret; ut paſtum, ut latibula, ut alia generis ejuſdem. [e] Commune item animantium omnium eſt conjunctionis appetitus, procreandi cauſſa, & cura quædam eorum, quæ procreata ſunt. Sed inter hominem & beluam hoc maximè intereſt; quòd hæc tantum, quantum ſenſu movetur, ad id ſolum, quod adeſt, quodque præſens eſt, ſe accommodat, paullulum admodum ſentiens præteritum aut futurum: homo autem, quoniam rationis eſt particeps, per quam conſequentia cernit, cauſſas rerum videt, [f] earumque prægreſſus & quaſi anteceſſiones

poſſunt, benè ſunt ei dicenda, &c. Et ibid. *non omnia, quæcumque loquimur, mihi videntur*, &c. In Tuſc. diſp. v. 6. *qui omnia humana, quæcumque accidere poſſunt*, &c. At in vulgatâ lectione iteratio ſyllabarum, *que, quæ*, & *que* in duabus vocibus auribus ita inſuavis eſt, ut ea à Cicerone profecta eſſe non videatur.

(e) *Commune* item *animantium*] Sic legendum omnino videtur; non, ut vulgò, *autem*: de alio enim, ſed non contrario, animantium appetitu Cicero dicturus eſt. Iſta vox *item* extat in Edit. Leodegarii à Quercu, & Lambini; itaque legendum eſſe monuit Daviſius in Notâ quâdam ad lib. ii. de Divinat. c. 1.

(f) *earumque prægreſſus*] Hæc vox extat in MSis Mead. pr. Mert. pr. Pal. ſec. in uno Giſanii, Turnebi tribus, & uno Lambini. Vulgò legitur *progreſſus*: ſed vox *anteceſſiones*, quæ proximè ſequitur, & huic copulâ annectitur, ſatis oſtendit Ciceronem ſcripſiſſe *prægreſſus*, non *progreſſus*; aliter enim (opinor) ordinem verborum mutâſſet, dixiſſetque *earumque quaſi anteceſſiones & progreſſus non ignorat*. Notandum eſt etiam, per vocem *earum* hîc intelligi debere, non *rerum*, ſed *cauſſarum rerum*: Ut Cicero dicit in c. 19. de Fato. *Dicent, ſi omnia fato fierent ejuſmodi, ut nihil fieret niſi prægreſſione cauſſæ, confitendum eſſe fato fieri omnia*. Maturantius rectè explicâſſe hunc locum videtur: Non ſolùm (inquit) ipſas rerum cauſſas videt, quæ plerumque apertæ & manifeſtæ ſunt, ut nimia aëris

ceſſiones non ignorat, ſimilitudines comparat, & rebus præſentibus adjungit atque annectit futuras, facilè totius vitæ curſum videt, ad eamque degendam præparat res neceſſarias. Eadem natura vi rationis hominem conciliat homini, & ad orationis & ad vitæ ſocietatem; [a] ingeneratque in primis præcipuum quendam amorem in eos, qui procreati ſunt; impellitque ut hominum cœtus & celebrationes eſſe, & à ſe obiri velit; ob eaſque cauſſas ſtudeat parare ea, quæ ſuppeditent & ad cultum & ad victum; nec ſibi ſoli, ſed conjugi, liberis, cæteriſque, quos caros habeat tuerique debeat: quæ cura exſuſcitat etiam animos, & majores ad rem gerendam facit. In primiſque hominis eſt propria veri inquiſitio atque inveſtigatio: Itaque, cùm ſumus neceſſariis negotiis curiſque vacui, tum avemus aliquid videre, audire, addiſcere; cognitionemque rerum, aut occultarum aut admirabilium, ad beatè vivendum neceſſariam ducimus: ex quo intelligitur, quod verum, ſimplex, ſincerumque ſit, id eſſe naturæ hominis aptiſſimum. Huic veri videndi cupiditati adjuncta eſt appetitio quædam principatûs, ut

aëris intemperies cauſſa eſt peſtilentiæ: ſed ſi quid eſt, quod ipſas cauſſas antecedat, ut, cùm ex ſignis quibuſdam & prognoſticis futuram percipit aëris intemperiem, quæ peſtilentiæ cauſſa ſit.

(a) *ingeneratque in primis*] Fortè, *ingeneratque* ei *in primis*, &c. voce *ei* à finali literâ unius verbi & initiali alterius abſorptâ. Ut Lact. Div. Inſt. vi. 14. *ingeneravit* ei *priùs iſtas animi commotiones*.

ut nemini parere animus bene à natura informatus velit, [b] niſi præcipienti aut docenti, aut utilitatis cauſſâ juſtè & legitimè imperanti: ex quo animi magnitudo exiſtit, humanarumque rerum contemtio. Nec verò illa parva vis naturæ eſt rationiſque, quòd unum hoc animal ſentit quid ſit ordo, quid ſit quod deceat, in factis dictiſque qui modus. Itaque eorum ipſorum, quæ adſpectu ſentiuntur, nullum aliud animal pulchritudinem, venuſtatem, convenientiam partium ſentit: [c] quam ſimilitudinem natura ratioque ab oculis ad animum tranſferens, multo etiam magis pulchritudinem, conſtantiam, ordinem in [d] conſiliis factiſque conſervandum putat; [e] cavetque ne quid indecorè

(b) *niſi præcipienti* aut *docenti*] *Præcipienti* ut Medico, vel Patri; *docenti*, ut Magiſtro. *Maturantius:* Sed mihi potior videtur iſta lectio, quam Verburgius notavit aliis placuiſſe, *niſi* aut *præcipienti* & *docenti*, &c.

(c) *quam ſimilitudinem natura ratioque*, &c.] Senſus eſt; Id quod fit in iis rebus, quæ ſub aſpectum oculorum noſtrorum cadunt, natura & ratio homini data imitando facit in aliis etiam rebus, quæ animo ſolo cernuntur. Simile eſt, quod Noſter dicit in i. 8. de Leg. *Artes innumerabiles repertæ ſunt, docente naturâ; quam imitata ratio res ad vitam neceſſarias ſolerter conſecuta eſt.* Et, quod in ii. 14. de Fin. *cujus ſimilitudine perſpectâ in formarum ſpecie ac dignitate, tranſitum eſt ad honeſtatem dictorum & factorum.*

(d) *conſiliis*] Quod anteà Tullius *dictis* vocârat, hîc vocat *conſiliis*, poſtea verò *opinionibus:* idem tamen ubique intelligendum eſt.

(e) *cavetque ne quid*, &c.] Senſus eſt; Natura & ratio cavet, ut illud animal (ſc. homo) ne quid faciat indecorè & effeminatè, & ne aut faciat aut cogitet quid libidinosè. Mutatio eſt hîc caſus nominativi, qui in præcedentibus fuit *natura ratioque*. Simile dicendi genus occurrit in cap. 37, ubi vide Notam ad verba *excludat alios*.

decorè effeminatève faciat; tum in omnibus & opinionibus & factis, ne quid libidinosè aut faciat aut cogitet: quibus ex rebus conflatur & efficitur id, quod quærimus, honeſtum; quod, etiam ſi [b] nobilitatum non ſit, tamen honeſtum ſit; quodque verè dicimus, etiam ſi à nullo laudetur, naturâ eſſe laudabile.

Formam quidem ipſam, Marce fili, & tanquam faciem honeſti vides: quæ, *ſi oculis cerneretur*, [c] *mirabiles amores* (ut ait Plato) *excitaret ſapientiæ*. Sed omne quod honeſtum eſt, id quatuor partium oritur V.

(b) *nobilitatum*] i. e. Multorum ſermonibus prædicatum celebratumque. Eadem vox malo ſenſu uſurpata occurrit in ii. 7. *Teſtis eſt Phalaris, cujus præter cæteros nobilitata crudelitas.*

(c) *mirabiles amores (ut ait Plato) excitaret Sapientiæ*] Reſpicit Noſter ad illud Platonis in Phæd. quod aliter verbis protulit in ii. 16. de Fin. *Oculus eſt in nobis ſenſus acerrimus; quibus ſapientiam non cernimus: quàm illa ardentes amores excitaret ſui, ſi videretur!* At quod de Sapientiâ ibi dixerat Plato, Cicero hîc dicit de *formâ & facie honeſti*. Hinc, cùm facilè appareat Ciceronem non ſcripſiſſe, *excitaret ſapientiæ*, Faërnus olim monuit legendum eſſe *excitaret ſui*; ut ad *formam & faciem honeſti* iſtud *ſui* referretur. Sed nè hæc conjectura, quamvis vulgatæ anteponenda, omnem ſententiæ labem tollit: Nam Plato hoc non dixerat de *formâ & facie honeſti*, ad quam vox *ſui* referenda eſt, ſed de *ſapientiâ*. Mihi igitur videtur locum ſic legendum eſſe, *quæ, ſi oculis cerneretur, mirabiles amores (ut ait Plato ſapientiæ) ſui excitaret.* Ubi voces iſtæ, *ut ait Plato ſapientiæ*, idem ſonant, quod ſequentes, *ut ait Plato, excitaturam mirabiles amores ſui ſapientiam, ſi ea poſſet oculis humanis cerni.* Eundem loquendi modum habet Noſter in Paradox. 6. *ſi (ut aiunt Danaï) quinquaginta ſint filiæ:* ſc. ſi cui ſint quinquaginta filiæ, ut poetæ aiunt fuiſſe Danaï.

oritur ex aliqua: aut enim in perſpicientia veri ſolertiaque verſatur; aut in hominum ſocietate tuenda, tribuendoque ſuum cuique, & rerum contractarum fide; aut in animi excelſi atque invicti magnitudine ac robore; aut in omnium, quæ fiunt, quæque dicuntur, ordine & modo, in quo ineſt modeſtia & temperantia. Quæ quatuor quanquam inter ſe colligata atque implicata ſunt, tamen ex ſingulis certa officiorum genera naſcuntur: velut ex ea parte, [d] quæ prima deſcripta eſt, in qua ſapientiam & prudentiam ponimus, ineſt indagatio atque inventio veri; ejuſque virtutis hoc munus eſt proprium: ut enim quiſque maximè perſpicit, quid in re quaque veriſſimum ſit; quique acutiſſimè & celerrimè poteſt & videre & explicare rationem, is prudentiſſimus & ſapientiſſimus rite haberi ſolet: quocirca huic, quaſi materia, quam tractet, & in qua verſetur, ſubjecta eſt veritas. Reliquis autem tribus virtutibus neceſſitates propoſitæ ſunt ad eas res parandas tuendaſque, quibus actio vitæ continetur; ut & ſocietas hominum conjunctioque ſervetur; & animi excellentia magnitudoque, cùm in augendis opibus, utilitatibuſque & ſibi & ſuis comparandis, tum multo magis in his ipſis deſpiciendis eluceat.

(d) *quæ prima deſcripta eſt*] i. e. quæ collocata & ordinata eſt primo loco: ita nonnunquam ſignificat vox *deſcribere*. Vide notam meam ad c. 39.

eluceat, (e) Ordo autem, & conſtantia, & moderatio, & ea, quæ ſunt his ſimilia, verſantur in eo genere, ad quod adhibenda eſt actio quædam, non ſolùm mentis agitatio: his enim rebus, quæ tractantur in vita, modum quendam & ordinem adhibentes honeſtatem & decus conſervabimus.

Ex quatuor autem locis, in quos honeſti naturam vimque diviſimus, (f) primus ille, qui in veri cognitione conſiſtit, maximè (g) naturam attingit humanam: omnes enim trahimur & ducimur ad cognitionis & ſcientiæ cupiditatem; in qua excellere, pulchrum putamus; labi autem, errare, neſcire, decipi, & malum & turpe ducimus. In hoc genere, & naturali & honeſto, duo vitia vitanda ſunt: unum, ne incognita pro cognitis habeamus, hiſque temere aſſentiamur; quod vitium effugere qui volet (omnes autem velle debent), adhibebit ad conſiderandas res & tempus VI.

(e) *Ordo autem*] Ni fallor, legendum eſt *item*: ad actionem enim Cicero hîc refert *ordinem* eodem modo, quo das præcedentes virtutes, Juſtitiam & Fortitudinem.

(f) *primus ille*] Cùm Honeſtum in quatuor partes diſtinxerit Cicero, de iis ſingulis præcepta daturus eſt: Hîc primam partem, nempe veri cognitionem, tractat: Secundam, quâ *Juſtitia* continetur, ab initio c. 7. uſque ad medium c. 18. Tertiam, in quâ ineſt *Fortitudo*, à medio cap. 18. ad finem cap. 26. Quartam verò, ad quam referendus eſt *Ordo*, *Conſtantia*, & *Moderatio*, ab initio cap. 27. uſque ad finem cap. 42.

(g) *naturam attingit humanam*] i. e. naturæ humanæ maximè convenit & accommodatus eſt: ſic in cap. 22, *hæc quidem res non ſolùm ex domeſticâ eſt ratione; attingit etiam bellicam*, i. e. bellicæ rationis vim habet, eique quodammodo convenit.

tempus & diligentiam: alterum eſt vitium, quòd quidam nimis magnum ſtudium, multamque operam in res obſcuras atque difficiles conferunt, eaſdemque non neceſſarias: quibus vitiis declinatis, quod in rebus, honeſtis & cognitione dignis, operæ curæque ponetur, id jure laudabitur: ut in aſtrologia C. Sulpitium audivimus; in geometria Sex. Pompeium ipſi cognovimus; multos in dialectica, plures in jure civili: quæ omnes artes in veri inveſtigatione verſantur, cujus ſtudio à rebus gerendis abduci contra officium eſt; virtutis enim laus omnis in actione conſiſtit: [h] à quâ tamen ſæpe fit intermiſſio, multique dantur ad ſtudia reditus; tum agitatio mentis, quæ numquam acquieſcit,

(h) *à quâ tamen ſæpe fit intermiſſio*] *A quâ* ſc. actione. Senſus horum & ſequentium verborum videtur hujuſmodi eſſe: Ab actione ſæpe liberi & vacui eſſe poſſumus, non ſolùm cùm ad Muſea noſtra recedamus, ibique ſtudia recolamus, ſed etiam cùm non eò nos recipiamus; nam *mentis agitatio* (ſive communis ejus ab aliis ad alias res curſitatio) efficiet, ut *ſine opera noſtra* (i. e. cùm non id ex profeſſo, ut in Muſeis, facimus) *contineamur in ſtudiis cogitationis*, ſive in iis ſtudiis, quæ cogitationem requirunt, quibuſque actio opponitur. Duo horum ſtudiorum cogitationis genera Cicero hîc profert: unum quod in *conſiliis capiendis de honeſto verſatur*; alterum, quod *in ſtudiis ſcientiæ cognitioniſque*: utrumque eſt *ſtudium cogitationis*, hoc eſt, id genus ſtudii, in quo cogitatio exercetur: utrùmque ab actione, in quâ omnis virtutis laus, disjunctum eſt. Nihil igitur opus eſt, ut in ſequentibus hiſce, *poteſt nos in ſtudiis cogitationis*, aut cum Grævio deleamus vocem *cogitationis*, aut cum Lambino eam vocem in *cognitionis* mutemus. Non multùm diſſimile eſt id, quod Noſter dicit de Africano in iii. 1. *ex quo intelligi decet illum mentis agitatione inveſtigationeque earum rerum, quas cogitando conſequebatur, nec otioſum, nec ſolum eſſe.*

acquieſcit, poteſt nos in ſtudiis cogitationis etiam ſine opera noſtra continere: omnis autem cogitatio motuſque animi, aut in conſiliis capiendis de rebus honeſtis & pertinentibus ad bene beatéque vivendum, aut in ſtudiis ſcientiæ cognitioniſque verſatur. Ac de primo quidem officii fonte diximus.

De tribus autem reliquis latiſſimè patet [i] ea ratio, quâ ſocietas hominum inter ipſos, & vitæ quaſi communitas continetur: cujus partes duæ ſunt: juſtitia, in qua virtutis ſplendor eſt maximus; ex qua viri boni nominantur: & huic conjuncta beneficentia, quam eandem vel benignitatem vel liberalitatem appellari licet. Sed juſtitiæ primum munus eſt, ut ne cui quis noceat, [k] niſi laceſſitus injuria: deinde, [a] ut communibus utatur pro communibus, privatis ut ſuis. Sunt autem [b] privata nulla naturâ; ſed VII.

(i) *ea ratio, quâ ſocietas*] De ſecundo fonte Honeſti præcepta daturus eſt Cicero ab hoc loco uſque ad medium cap. 18.

(k) *niſi laceſſitus injuria*] Hæc qui legat, meminerit ea quæ Cicero dicit in c. 11. *Haud ſcio an ſatis ſit, eum qui laceſſierit, injuriæ ſuæ pœnitere: ut & ipſe nequid tale poſthac, & cæteri ſint ad injuriam tardiores.* Meminerit etiam hæc de illo dici, qui in ſtatu (ut vocant) naturæ vivit, non in civitate, ubi Leges & Judicia conſtituta ſunt, quæ injurioſos pœnâ afficiant.

(a) *ut communibus utatur*] ſc. omnis homo: in ſuperiore ſententiâ dixerat *ne quis*; ex iſtis igitur negativis vocibus ſubintelliguntur hîc affirmativæ. Vide quæ annotavi ad Ciceronis de Oratore i. 51.

(b) *privata nulla naturâ*] Hoc dicitur non de ſingulis, ſed de populo quodam, aut populi parte, quales erant Arpinates & Tuſculani.

ſed aut veteri occupatione, ut qui quondam in vacua venerunt; aut victoria, ut qui bello potiti ſunt; [c] aut lege, pactione, conditione, ſorte: ex quo fit, ut ager Arpinas Arpinatum dicatur, Tuſculanus Tuſculanorum: Similiſque eſt privatarum poſſeſſionum deſcriptio: [d] ex quo, quia ſuum cujuſque fit, eorum, quæ naturâ fuerant communia, quod cuique obtigit, id quiſque teneat: [e] eo ſi quis ſibi plus appetet, violabit jus humanæ ſocietatis. Sed *quoniam* (ut præclarè ſcriptum eſt à Platone) *non nobis ſolùm nati ſumus, ortuſque noſtri partem patria vindicat, partem amici:* [f] atque, ut placet

(c) *aut lege, pactione, conditione,* &c.] Proprietatem quæri Cicero dicit, aut venditionis *lege*, aut *pactione* aliqua & contractu; etiam *conditione*, ſi quid feceris aut dederis, interdum dominium acquiritur, cùm ita convenit: poſtremò *ſorte*, ut in coloniis deducendis cùm aſſignabantur agri, centuriæ ſingulæ certo militum numero, miſſis in urnam eorum nominibus: nam quæ pars cuique evenerat, ſortitio ejus cenſebatur. Turneb. adverſar. xxvi. 32.

(d) *ex quo*] ſc. ſequitur, vel hæc concluſio ducenda eſt.

(e) eo *ſi quis ſibi* plus *appetet*] i. e. *ſiquis appetet ſibi plus eo, quod cuique obtigit, & quod ſuum cujuſque fit:* ita legunt Victorius, Manutius, & Lambinus, quibus aſſentitur prima Editio Mogunt. & MSi Mill. Reg. ſec. tert. & quartus: in margine MSi Mead. pr. notatur *eo* pro variante lectione. Vulgò legitur *ex quo ſi quis ſibi appetet*; ſed, cùm fere omnes MSi habeant *plus*, opinor eam lectionem reponendam eſſe: Quod ſi fit, quid velint voces *ex quo?* non rectè dicitur *plus ex quo*: nec voces *ex quo* ſignificant inde concludi, violatum eſſe jus humanæ ſocietatis; ex præcedentibus enim ea concluſio non ſequitur.

(f) *atque, ut placet Stoicis*] Cùm ſequantur in fine hujus ſententiæ duo verba infinitivi modi *creari* & *eſſe*; neceſſe videtur, ut verbum aliquod præcedat, à quo regi poſſint: At conjunctio *ut* facit, ut à verbo

placet Stoicis, quæ in terris gignuntur, ad uſum hominum omnia creari; homines autem hominum cauſſa eſſe generatos, ut ipſi inter ſe aliis alii prodeſſe poſſent: in hoc naturam debemus ducem ſequi, & communes utilitates in medium afferre, mutatione officiorum, dando, accipiendo; tum artibus, tum opera, tum facultatibus devincire hominum inter homines ſocietatem. Fundamentum eſt autem juſtitiæ fides; id eſt, dictorum conventorumque conſtantia & veritas: ex quo (quamquam hoc videtur fortaſſe cuipiam durius, tamen audeamus imitari Stoicos, qui ſtudioſè exquirunt, unde verba ſint ducta) [g] credamus, quia *fiat quod dictum eſt*,

verbo *placet* regi nequeant. Manutius igitur cenſuit delendam eſſe vocem *ut* auctoritate duorum MSorum. At mihi (fateor) non placet hæc conjectura, qui obſervaverim Ciceronem, in initio alicujus ſententiæ, aut alicujus membri ſententiæ, non ſolitum eſſe uti *atque*, niſi voce ſequente, quæ primam literam vocalem habet. Lambinus, aliam emendationis ſecutus viam, pro *ut* legendum eſſe voluit *ita*. At ne hoc quidem eſt dare Ciceroni ſuum uſitatum loquendi genus. Potiùs dixiſſet opinor, *atque etiam* (ſive *item*) *placet Stoicis*, &c. Fortaſſe ſyllaba quædam è textu excidit, ſcripſitque Cicero, *conſtatque (ut placet Stoicis) quæ in terris gignuntur, ad uſum hominum omnia creari*, &c. ita enim Lact. in Div. Inſt. vii. 4. *quoniam* conſtat *(id quod Stoici aiunt) hominum cauſſa mundum eſſe fabricatum.* Opiniones philoſophorum ſunt *placita* eorum. Hinc dicitur c. 43. *Placet igitur aptiora eſſe naturæ ea officia*, &c. Et de Fin. iii. 5. *Placet his, quorum ratio mihi probatur, ſimul atque animal ſit natum, ipſum ſibi conciliari & commendari.*

(g) *credamus, quia fiat*] Vulgò *credamuſque quia fiat*: ſed Victorius bene omittit iſtam copulam *que*; &, præcedentibus per Parentheſin poſitis, rectè dicitur *ex quo credamus, quia fiat*, &c. Notandum etiam eſt, in MSis Mead.

eſt, appellatam fidem. Sed [h] injuſtitiæ genera duo ſunt: unum eorum, qui inferunt; alterum eorum, qui ab iis, quibus infertur, ſi poſſint, non propulſant injuriam: Nam qui injuſtè impetum in quempiam facit, aut irâ [i] aut aliquâ perturbatione incitatus, is quaſi manus afferre videtur ſocio: qui autem non defendit, nec obſiſtit, ſi poteſt, injuriæ, [a] tam eſt in vitio, quàm ſi parentes, aut amicos, aut patriam deſerat. Atque illæ quidem injuriæ, quæ nocendi cauſſâ de induſtria inferuntur, ſæpe à metû proficiſcuntur; cùm is, qui nocere alteri cogitat, timet, ne, niſi id fecerit, ipſe aliquo afficiatur incommodo. [b] Maximam autem partem ad injuriam

Mead. pr. Reg. tert. & quart. & Groning. ut & in Editionibus Mog. pr. & Rom. pr. occurrere *fit* pro *fiat*: quod mihi ſe ſatis commendat: nec aliter Cicero in lib. iv. de Rep. (ut apud Nonium eſt,) *Fides nomen ipſum mihi videtur habere, cùm fit quod dicitur.*

(h) *injuſtitiæ genera duo ſunt*] De primo injuſtitiæ genere hinc dicturus eſt Cicero uſque ad finem c. 8. Hujus verò generis tres cauſſas memorat, Metum, Avaritiam, & imperiorum, honorum, gloriæque Cupiditatem.

(i) *aut aliquâ perturbatione*] Vox *aliquâ* hîc idem valet ac *aliâ quâ*, aut *ullâ aliâ*. Vide hâc de re Notam meam ad ii. 42. de Oratore.

(a) *tam eſt in vitio*] In hac locutione vocula *tam* non quantitatem, ſed qualitatem potiùs notat: Sicuti tam in vitio eſt, denarium furari acdecies, ſeſtertiûm, quamvis peccata differant plurimùm; ut multis diſputârunt Majoragius & Grifolus contra Cœl. Calcagninum. *Grævius.*

(b) *Maximam autem partem*] Senſus eſt; quoad maximam partem hominum injuſtorum, illi ad injuriam faciendam impelluntur, ut ea, quæ concupiverunt, adipiſcantur. Similem locutionem Ald. Manutius notavit in Cæſaris lib. iv. de Bell. Gall. *Maximam partem lacte & caſeo vivunt.*

riam faciendam aggrediuntur, ut adipiſcantur ea, quæ concupiverunt; in quo vitio latiſſimè patet avaritia. Expetuntur autem divitiæ VIII. cum ad uſus vitæ neceſſarios, tum ad perfruendas voluptates: In quibus autem major eſt animus, in iis pecuniæ cupiditas [c] ſpectat ad opes, & ad gratificandi facultatem: ut nuper M. Craſſus negabat ullam ſatis magnam pecuniam eſſe ei, qui in republica princeps vellet eſſe, cujus fructibus exercitum alere non poſſet. Delectant etiam magnifici apparatus, vitæque cultus cum elegantia & copia: quibus rebus effectum eſt, ut infinita pecuniæ cupiditas eſſet. Nec verò rei familiaris amplificatio, nemini nocens, vituperanda; ſed fugienda ſemper injuria eſt. Maximè autem adducuntur plerique, ut eos juſtitiæ capiat oblivio, cùm in imperiorum, honorum, gloriæ cupiditatem inciderint: quod enim eſt apud Ennium,

Nulla ſancta ſocietas, nec fides regni eſt;

id latiùs patet: nam, quicquid ejuſmodi eſt, in quo non poſſunt plures excellere, in eo fit plerumque tanta contentio, ut difficillimum ſit

vunt. Helleniſmus eſt (ut ait Budæus in Comment.) cùm Cicero hîc utitur Accuſativo caſu, quaſi Græcè dixiſſet ὡς τὰ πολλὰ, ἐπὶ τὸ πλεῖςον, &c. Vix aliter etiam in Tuſc. diſp. iv. 5. *Chryſippus & Stoici, quum de animi perturbationibus diſputant, magnam partem in his partiendis & definiendis occupati ſunt:* Et in Ep. Att. xvi. 6. *remis enim magnam partem navigavi.*

(c) *ſpectat ad opes*] ſc. ut in ſuo populo ſive civitate potentes ſint: vox *opes* enim hîc (ut alibi ſæpe) idem valet, quod potentia. Vide Notam ad ii. 6.

ſit ſanctam ſervare ſocietatem. Declaravit id modò temeritas C. Cæſaris, qui omnia jura divina atque humana pervertit, propter eum, quem ſibi ipſe opinionis errore finxerat, principatum. Eſt autem in hoc genere moleſtum, quòd in maximis animis ſplendidiſſimiſque ingeniis plerumque exiſtunt honoris, imperii, potentiæ, gloriæ cupiditates: quo magis cavendum eſt, ne quid in eo genere peccetur. Sed in omni injuſtitia permultùm intereſt, utrùm perturbatione aliqua animi, quæ plerumque brevis eſt & ad tempus, an conſultò & cogitata fiat injuria: leviora enim ſunt ea, quæ repentino aliquo motu accidunt, quàm ea, quæ meditata & præparata inferuntur. Ac de inferenda quidem injuria ſatis dictum eſt.

IX. [d] Prætermittendæ autem defenſionis, deſerendique officii plures ſolent eſſe cauſſæ: Nam aut inimicitias, aut laborem, aut ſumtus ſuſcipere nolunt; aut etiam negligentia, pigritia, inertia, aut ſuis ſtudiis quibuſdam occupationibuſve ſic impediuntur, ut eos, quos tutari debeant, deſertos eſſe patiantur. Itaque videndum eſt, ne non ſatis ſit id, quod apud Platonem eſt [e] in philoſophos dictum; quòd

(d) *Prætermittendæ*] Secundum Injuſtitiæ genus hinc Cicero tractat uſque ad finem hujus capitis.

(e) *in philoſophos*] i. e. de philoſophis: præpoſitio enim *in* hìc non ſignificat (ut uſitatè) *contrà*, ſed *de*: ſic in i. 19. de Leg. *quod item ad contrariam laudem in virtutem dici poteſt*; & alibi. Sic etiam *in* hìc uſurpatur cum caſu Ablativo

quòd in veri inveſtigatione verſentur, quòdque ea, quæ plerique vehementer expetunt, de quibus inter ſe digladiari ſolent, contemnant & pro nihilo putent, propterea juſtos eſſe: [f] nam, dum alterum juſtitiæ genus aſſequuntur,

tivo in c. 39. *quod in multis licet dicere*; & in ii. 61. de Orat. *quod idem in bono ſervo dici ſolet*. Hæc notatu digna eſſe videntur, quia Ciceroniana ſunt, quàmvis rariùs occurrant.

(f) *nam, dum alterum juſtitiæ genus aſſequuntur,—— in alterum incidunt*] Non video quid ſignificent hæc verba *in alterum incidunt*: Num Cicero hoc vult, *in alterum injuſtitiæ genus incidunt?* ita quidem nonnulli ediderunt; ſed, cùm in primâ ſententiæ parte ille dixerat *alterum genus juſtitiæ aſſequuntur*, hoc poſterius *alterum* non poteſt eſſe genus *injuſtitiæ*. Num igitur Cicero hoc vult, *in alterum juſtitiæ genus incidunt?* at inde exſurget ſenſus quovis ſcriptore, ne dicam Cicerone, prorſus indignus; cùm nihil aliud contineat poſtrema pars ſententiæ, quàm quod in primâ dicatur: Adde, quòd huic ſenſui omnino ſe opponunt ſequentia verba, *diſcendi enim ſtudio impediti*, &c. His rationibus adductus Lector, cùm vulgatam lectionem rejiciendam eſſe viderit, fortaſſe mecum ſentiet vocem *non*, quæ in nonnullis exemplaribus ante vocem *inferendâ* malè collocatur, alium locum occupare debuiſſe, legendumque eſſe, *in alterum non incidunt*, i. e. in alterum juſtitiæ genus non incidunt: quamvis enim *incidere in vitia* uſitatiùs, quàm *in virtutes*, Latinè dicatur, tamen non deſunt exempla, quæ probant Latinè dici poſſe *in virtutes incidere*: ut in ii. 21. de Orat. *Omnino in illud genus eum Craſſi magnificum atque præclarum natura ipſa ducebat: ſed ea non ſatis proficere potuiſſet, niſi eodem ſtudio atque imitatione incidiſſet.* Hæc verò conjectura ſi cui non arrideat, videat, annon aliâ aggrediendum ſit viâ. Cùm MSus Cant. omittat vocem *juſtitiæ* in priore parte ſententiæ, malo equidem (hoc & ſequente verbo omiſſo) ſic legere, *Nam dum alterum aſſequuntur, inferendâ ne cui noceant injuriâ, in alterum incidunt; diſcendi enim ſtudio impediti, quos tueri debent, deſerunt.* In hâc lectione, ut poſterior vox *alterum* reſpicit ad ſequentia, *diſcendi enim ſtudio impediti*, &c. ita prior ad ea, quæ ipſam ſequuntur, *inferendâ ne cui noceant injuriâ.* Quod cùm ignorarent, Librarii viden-

tur

quuntur, inferenda ne cui noceant injuria, in alterum incidunt; diſcendi enim ſtudio impediti, quos tueri debeant, deſerunt. Itaque eos ad rempublicam ne acceſſuros quidem putant, niſi coactos: æquius autem erat id voluntate fieri; nam hoc ipſum ita juſtum eſt, quod rectè fit, ſi eſt voluntarium. Sunt etiam, qui aut ſtudio rei familiaris tuendæ, aut odio quodam hominum, ſuum ſe negotium agere dicant, ne facere cuiquam videantur injuriam: qui altero injuſtitiæ genere vacant, in alterum incurrunt: deſerunt enim vitæ ſocietatem, quia nihil conferunt in eam ſtudii, nihil operæ, nihil facultatum. Quoniam igitur, duobus generibus injuſtitiæ propoſitis, adjunximus cauſſas utriuſque generis, eaſque res antè conſtituimus, quibus juſtitia continetur; facile [g] quod cujuſque temporis officium ſit poterimus, niſi [h] noſmetipſos valde amabimus, [i] judicare; eſt enim difficilis cura rerum alienarum; quamquam Terentianus ille Chremes *humani nihil à ſe alienum putat.* Sed

tur verba *juſtitiæ genus* inter lineas, interpretamenti loco, collocâſſe, anſamque dediſſe aliis ea poſtea in textum inferendi.

(g) *quod cujuſque temporis officium ſit*] Per vocem *tempus* Cicero ſæpe ſignificat ſtatum, conditionem, ſive fortunam vel Reipublicæ, vel (ut hìc) ſingulorum hominum. Vide quæ de eâdem re dicemus in Notâ ad cap. ſequens, & ad finem ii. 1.

(h) *noſmetipſos*] Rectiùs, ut opinor, *noſmet ipſi.*

(i) *judicare: eſt enim*] Ni fallor, exciderunt quædam verba inter *judicare* & *eſt enim*: nam, quæ ſequuntur nullam continent rationem eorum, quæ præceſſerant; imò potius iis contrariantur. Rectiúſne legemus? *Eſt quidem*, &c.

Sed tamen, quia magis ea percipimus atque ſentimus, quæ nobis ipſis aut proſpera aut adverſa eveniunt, quàm illa, quæ cæteris, (quæ quaſi longo intervallo interjecto videmus,) aliter de illis, ac de nobis judicamus. Quocirca bene præcipiunt, qui vetant quidquam agere, quod dubites, æquum ſit an iniquum: æquitas enim lucet ipſa per ſe; dubitatio cogitationem ſignificat injuriæ.

X. Sed incidunt ſæpe tempora, cùm ea, quæ maximè videntur digna eſſe juſto homine, eoque quem virum bonum dicimus, commutantur, fiuntque contraria; ut, reddere depoſitum, promiſſum facere, quæque pertinent ad veritatem & ad fidem, ea [a] migrare interdum, & non ſervare, ſit juſtum: referri enim decet ad ea, quæ poſui in principio, fundamenta juſtitiæ; primùm, ut ne cui noceatur; deinde, ut communi utilitati ſerviatur. [b] Ea cùm tempore commutantur,

(a) *migrare*] i. e. tranſgredi, tranſilire, non facere: Sic Cicero in iii. 20. de Fin. *Qui id* (jus) *conſervaret, eum juſtum; qui* migraret, *injuſtum fore.* De Divin. i. 5. *ne communia jura* migrare *videatur.* De Leg. iii. 4. *Quod quis earum rerum* migraſſet, *noxiæ pœna par eſto.*

(b) *Ea cùm tempore commutantur*] Vulgò *tempora*; ſed Victorii lectionem ſequor, quam tuentur omnes MSi, codice Pithœi excepto: & ita olim legiſſe videtur Ambroſius in Offic. i. 50. *ſed interdum commutatio ſit aut* tempore *aut neceſſitate, ut non ſit officium reddere quod acceperis.* Nec fuit, cur vox *ea* ſuſpecta eſſet Grævio, cùm ad remotiora commodè referri poſſit verba, ſc. *ea, quæ maximè videntur digna eſſe juſto homine*, &c. Quaſi dixiſſet Cicero; *ea (inquam) cùm tempore commutantur, commutatur officium.* De ſignificatione vocis *tempore* vide quæ dixi ad cap.

tur, commutatur officium, & non ſemper eſt idem: poteſt enim accidere promiſſum aliquod & conventum, ut id effici ſit inutile vel ei, cui promiſſum ſit, vel ei, qui promiſerit: nam ſi (ut in fabulis eſt) Neptunus, quod Theſeo promiſerat, non feciſſet, Theſeus filio Hippolyto non eſſet orbatus: ex tribus enim optatis (ut ſcribitur) hoc erat tertium, quod de Hippolyti interitu iratus optavit; quo impetrato, in maximos luctus incidit. Nec promiſſa igitur ſervanda ſunt ea, quæ ſint iis, quibus promiſeris, inutilia; nec, ſi plus tibi noceant, quàm illi proſint, [b] cui promiſeris, contra officium eſt, majus anteponi minori: ut, ſi conſtitueris te cuipiam advocatum [c] in rem præſentem eſſe

cap. præcedens, & dicturus ſum ad iii. 1. Interim notetur Ciceronem in ii. 4. dicere, *ſæpe enim tempore fit, ut quod pleramque turpe haberi ſoleat, inveniatur non eſſe turpe.* Et iii. 6. *quæſtiones omnes eæ, in quibus ex* tempore *officium exquiritur*, &c. Virgilius etiam eodem modo dixit in Æn. vii. 37.

Nunc age, qui reges, Erato; quæ tempora *rerum*
Expediam.

(b) *cui promiſeris, contra officium eſt, majus anteponi minori*] Ita edidi, ſenſu loci poſtulante & Lambino præeunte. Vulgò legitur, *cui promiſeris. Contra officium eſt, majus* non *anteponi minori:* ſed illud *non* abeſt ab omnibus MSis, ſi excipias Pal. pr. & unum Grævianum: Qui particulam negantem in textum induxerint, ideo hoc eos feciſſe opinor, quia peſſimè interpunctum locum ante oculos ſuos habuerint: *Majus* reſpicit ad verba, *ſi plus tibi noceant.*

(c) *in rem præſentem*] i. e. in judicium, ſeu potiùs in locum ipſum, de quo controverſia eſt: *ſur le champ*, ut dicunt Galli. Apud Juriſconſultos Romanos uſitata eſt hæc loquendi formula. Ita Noſter in Or. pro Cæcin. *Placuit Cæcinæ de amicorum ſententiâ conſtituere quo die in rem præſentem venirent.* Hoc notavit Grævius, ut & illud Liv. in

eſſe venturum, atque interim graviter ægrotare filius cœperit, non ſit contra officium non facere quod dixeris; magiſque ille, cui promiſſum ſit, ab officio diſcedat, ſi ſe deſtitutum queratur. Jam illis promiſſis ſtandum non eſſe quis non videt, quæ coactus quis metu, quæ deceptus dolo promiſerit? quæ quidem pleraque [d] jure prætorio liberantur, nonnulla legibus. Exſiſtunt etiam ſæpe injuriæ [e] calumnia quadam,

In lib. xlviii. *Inter populum Carthaginienſem & Regem Maſiniſſam in re præſenti diſceptatores Romani de agro fuerunt:* & illud Senecæ de Benef. iv. 35. *in rem præſentem venturus fui; ſed æger filius, ſed puerpera uxor tenet.* Minus probo id quod Maturantio placuit, qui vocem *præſentem* referri voluit non ad *rem*, ſed ad *advocatum*.

(d) *jure prætorio* —— *legibus*] Hæc duo benè diſtinguuntur: *Leges* enim erant vel populi Romani juſſa, vel Senatûs decreta; & in earum numero habendæ ſunt xii. tabulæ. Nihil autem aliud erat *jus Prætorium* (dicit Grævius), quàm edicta Prætorum. Quilibet Prætor, cùm iniret Magiſtratum, proponebat edictum, ex edictis eorum, quibus ſucceſſerat, in id transferens (hinc vocatur etiam *jus tranſlatitium*) quod juſtum & æquum putabat: nova etiam interponebat, veteribus repudiatis. Ita ille, & fere quicumque de Jure Romano ſcripſêre. At mihi videtur *jus Prætorium* etiam aliud quid in ſe continere, nempe Prætorum ſingulorum Sententias ſive Judicia in cauſſis, in unum quaſi corpus Juris collecta & literis mandata. In temporibus Ciceronis (ut ait ipſe de Leg. i. 5.) *Plerique juris diſciplinam hauriendam putabant à Prætorum edicto; ſuperiores verò à duodecim tabulis.* Huic loco illuſtrando ſuam operam confert id, quod dicit Idem in iii. 15. hujus libri, *Dolus malus etiam legibus erat vindicatus, ut tutela duodecim tabulis, & circumſcriptio adoleſcentium lege Lætoriâ; &, ſine lege, judiciis* (Prætorum) *in quibus additur, ex fide bonâ.*

(e) *calumnia*] *Calumnia* eſt lis, quam alicui quis ſine cauſâ intendit, ut ei moleſtiam & periculum creet: fraudi igitur conjunctior eſt. Sic Noſter in

Or.

dam, & [f] nimis callida, ſed malitioſa juris interpretatione: ex quo illud, *ſummum jus ſumma injuria*, factum eſt jam tritum ſermone proverbium. Quo in genere etiam in republica multa peccantur: ut [g] ille, qui, cùm triginta dierum eſſent cum hoſte pactæ indutiæ, noctu populabatur agros, quòd dierum eſſent pactæ, non noctium indutiæ. Ne noſter quidem probandus, ſi verum eſt, Q. Fabium Labeonem, ſeu quem alium, (nihil enim præter auditum habeo), arbitrum Nolanis & Neapolitanis de finibus à ſenatu datum, cùm ad locum veniſſet, cum utriſque ſeparatim locutum, ut ne cupidè quid agerent, [h] ne appetenter; atque ut regredi, quàm progredi mallent. Id cùm utrique feciſſent, aliquantum agri in medio relictum eſt.

Or. pro Mil. cap. 27. *Qui* (Clodius) *non calumniâ litium alienos fundos petebat*, & in Or. pro Domo, c. 14. *Illud in primis, nequa calumnia, nequa fraus, nequis dolus adhibeatur.*

(f) *nimis callida*, ſed *malitioſa*, &c.] Manutius, Lambinus, Car. Stephanus, aliique ediderunt *& malitioſa*; quos, niſi omnes MSi mei vocem *ſed* exhiberent, ideo ſequendos eſſe ducerem, quòd τὸ *ſed* in hoc loco videtur innuere, nihil turpe ſignificatum fuiſſe præcedentibus verbis *nimis callida*; contrà id quod certè Cicero voluit. Chapmanno videtur legendum eſſe, *ſed & malitioſa*.

(g) *ille, qui cùm triginta*] Hoc eſſe in Argivos factum à Cleomene Spartano memorat Plutarchus in Apophthegmat. At (notante Langio) Ephorus apud Strabonem commentum fuiſſe dicit Thracum adverſus Bœotos.

(h) *ne appetenter*] Turnebus primus hanc lectionem pro vulgatâ *nec appeterent*, in textum intulit; faventibus quibuſdam MSis, quibus addi poteſt MSus Mead. pr. Sed cùm nonnulli MSi Oxonienſes habeant *neque appeterent*, & MSus Mill. *ne quid appeterent*, reponendum eſſe cenſeo, *ut ne cupidè quid agerent, ne quid appetenter*.

eſt. Itaque illorum fines, [i] ſicut ipſi dixerant, terminavit; in medio relictum quod erat, populo Romano adjudicavit. Decipere hoc quidem eſt, non judicare; quocirca in omni re fugienda eſt talis ſolertia.

XI. Sunt autem quædam officia etiam adversùs eos ſervanda, à quibus injuriam acceperis; eſt enim ulciſcendi & puniendi modus; atque haud ſcio an ſatis ſit, eum, qui laceſſierit, injuriæ ſuæ pœnitere; ut & ipſe [a] ne quid tale poſthac, & cæteri ſint ad injuriam tardiores.

Atque in republica maximè conſervanda ſunt jura belli: nam, cùm ſint duo genera decertandi; unum per diſceptationem, alterum per vim; cúmque illud proprium ſit hominis, hoc beluarum; confugiendum eſt ad

(i) *ſicut ipſi dixerant*] i. e. ſicut ipſi ſibi fines conſtituerant, ut *diem dicere* ſignificat *diem ſtatuere, conſtituere:* vel, ſicut ipſi ſe regrediendo utrinque feciſſe dixerant, hortante Labeone; finibus, quibus futuri erant contenti, nominatis. Non opus eſt igitur, ut cum codice Pithœanò legamus *ſicut ipſi diſceſſerant*, quamvis hoc ſuadeat Grævius.

(a) *ne quid tale poſthac*] Subint. *faciat* ſive *committat:* ſed, quamvis una aut altera harum vocum in quibuſdam MSis inveniatur, tamen nullo modo recipienda eſt; cùm & Latinè omitti poſſit, & major meliorque pars MSorum eam non agnoſcat. Langius notavit ſimile dicendi genus extare in Ciceronis Or. pro Ligario c. 10. *Ignoſcite, Judices; erravit; lapſus eſt; non putavit; ſi unquam poſthac:* ſimile eſt etiam Terentianum illud in Phorm. I. ii. 92. *Poſthac ſi quidquam, nihil precor.* Cui addi poteſt id quod Noſter hìc dicit in iii. 17. *Ratio poſtulat, ut ne quid inſidiosè, ne quid ſimulatè, ne quid fallaciter.*

ad poſterius, ſi uti non licet ſuperiore. Quare ſuſcipienda quidem bella ſunt ob eam cauſſam, ut ſine injuria in pace vivatur. Parta autem victoria, conſervandi ſunt ii, qui non crudeles in bello, nec immanes fuerunt: ut majores noſtri Tuſculanos, Æquos, Volſcos, Sabinos, Hernicos in civitatem etiam acceperunt; at Carthaginem & Numantiam funditus ſuſtulerunt. Nollem Corinthum: ſed [b] credo aliquid ſecutos, opportunitatem loci maximè, ne poſſet aliquando ad bellum faciendum locus ipſe adhortari. Mea quidem ſententia, paci, quæ nihil habitura ſit inſidiarum, ſemper eſt conſulendum: in quo ſi mihi eſſet obtemperatum, ſi non optimam, at aliquam rempublicam, quæ nunc nulla eſt, haberemus. Et, cùm iis, quos vi deviceris, conſulendum eſt; tum ii, qui, armis poſitis, ad imperatorum fidem confugient, quamvis murum aries percuſſerit, recipiendi

(b) *credo* aliquid, &c.] Ita Victorius, Langius, & editorum recentiorum maxima pars, lectione non improbandâ, ſi faverent MSi; ſed editio Mog. pr. & Rom. pr. cæteræque veteres, ut & omnes MSi habent *aliquos*; quam vocem editores ſupradicti conjecturâ mutârunt in *aliquid*, ut ſententia ſe rectiùs haberet. Interim ſi conjecturæ detur locus, judicet lector, annon potius iſta vox *aliquos* in MSis malo omine nata ſit ex duabus vocibus, & legendum ſit *credo* aliqua eos *ſecutos, opportunitatem loci maximè*, &c. Cicero ſatis innuit non unam ſolam, ſed plures fuiſſe iis Romanis conſilii rationes, cùm dicat *opportunitatem loci* potiorem iis fuiſſe rationem. Vox *aliqua* eo ſenſu, quo *quædam*, aliquando occurrit, quamvis non ſit uſitatè uſurpata in numero plurali. Sic in Juven. Satir. vi. 14.

Multa pudicitiæ veteris veſtigia forſan,
Aut aliqua, *extiterint & ſub Jove*———

cipiendi ſunt: in quo tantopere apud noſtros juſtitia culta eſt, ut ii, qui civitates aut nationes devictas bello in fidem recepiſſent, earum patroni eſſent, more majorum. Ac belli quidem æquitas [c] ſanctiſſimè fetiali populi Romani jure perſcripta eſt; ex quo intelligi poteſt, nullum bellum eſſe juſtum, niſi quod aut rebus repetitis geratur, aut denuntiatum antè ſit & indictum. [d] Popillius

(c) *ſanctiſſimè*] i. e. verbis lege ſancitis.

(d) *Popillius imperator tenebat provinciam*, &c.] Langius & Schottus, deleto *Popillio*, *Paulum Æmilium* legendum eſſe volunt & hìc & in ſequentibus: Jac. verò Perizonius *Hoſtilium*: ex ingenio nimirum omnes, non ex libris manuſcriptis: Et utramcunque ex iſtis lectionem prætuleris, magnæ ſanè orientur difficultates. Nam horum quempiam in bello Macedonico (ut illi volunt) *legionem unam ex ſuis dimiſiſſe*, neque Livius uſpiam prodit, qui res tamen Macedonicas fusè perſequitur, neque res ipſæ eorum temporum id fieri patiebantur, ante Perſeum devictum, ut ſatis conſtat ex Liv. lib. 42, 43, 44, 45. Namque ab an. U. C. 578, quo arma Romanorum adverſus Perſeum moveri cœpta ſunt, uſque ad an. 585, quò penitus ſubacti erant Macedones, non modò non dimitti legiones ex Macedonia, verùm etiam annis ſingulis novas ſcribi, vel repleri veteres compertum eſt. Quid quòd ipſum Catonem filium per ea tempora militâſſe ſub L. Æmilio Paulo refert Plutarchus in Catone majore & Æmilio Paulo: itemque Juſtinus xxxiii. 2. & Frontin. Strat. iv. 5. 17. Neque tamen de miſſo identidem Catone, aut repetito ſacramento, aut epiſtolâ Catonis Patris ad Conſulem, quidquam innuunt. Id quod mirum in Plutarcho videatur, qui inſigne quoddam Catonis juvenis factum disertè inibi commemorat, atque etiam Patris epiſtolam in laudem Filii ob virtutes bellicas. Κάτωνος αὐτοῦ φέρεται τις ἐπιστολὴ πρὸς τὸν υἱὸν, ὑπερφυῶς ἐπαινοῦντος τὴν περὶ τὸ ξίφος φιλοτιμίαν αὐτοῦ καὶ σπουδήν. *Plut.* in Cat. maj. p. m. 638. 8vo. Ex quibus ſanè liquet fruſtra quærendum eſſe ſub *A. Hoſtilio* vel *Æmilio* id, quod refert Noſter de legione dimiſſa. Neque aliam facilè provinciam *Hoſtilii* vel *Æmilii*

pillius imperator tenebat provinciam, in cujus exercitu Catonis filius tiro militabat. Cùm autem Popillio videretur unam dimittere legionem, Catonis quoque filium, qui in eadem legione militabat, dimiſit: Sed, cùm amore pugnandi in exercitu [e] remanſiſſet, Cato ad Popillium ſcripſit, ut, ſi eum pateretur in exercitu remanere, ſecundo eum obligaret militiæ [f] ſacramento; quia, priore amiſſo,

lii invenias, quâ illud contigerit *legioni* vel *Catoni* filio. Nam *Hoſtilio* legiones nullæ, niſi in bello (de quo ſuprà) Macedonico, cùm Conſul eſſet U. C. 583; neque ullæ Æmilio (ni fallor) ab eo anno, quo Ligures debellavit U. C. 569, cùm nondum pueritiam Cato filius depoſuerat: quippe qui mortuus eſt in prætura U. C. 598 (*Liv.* Epit. 48), quique etiam ad U. C. 582 μειράκιον & νεανίας à Plutarcho dictus eſt in Cat. maj. p. m. 638. Æmil. Paulo p. 485. 8vo. Quidni itaque ſcripturam veterem amplectamur, *Pompilium* vel *Popilium?* Nam leve quidem eſt, quod objicit Perizonius, *Pompilium* nullum extitiſſe per ea tempora: Satis enim eſt, *Popilios* eâ certè tempeſtate floruiſſe, & *Marcum* & *Caium*, cum imperio tum Conſulari, tum Proconſulari. *M. Popilius Lænas* Conſul fuit circa an. U. C. 579, *Caius* autem anno ſequente: Et utrique legiones decretæ adverſus Ligures, & res geſtæ memorabiles (vid. Livii lib. 42). Quin & Cato per ætatem in utriuſvis exercitu tiro eſſe potuerit (quamvis id quidem, quod Cicero refert, ſilentio prætermiſerunt ſcriptores cæteri), cùm nihil quod ſciam in *Popiliorum* hiſtoriâ repugnet. His accedat, quod *Popilii* aliàs ſæpe in MSis *Pompilii* nuncupantur. Ita *Caius* exhibetur in codd. Val. Max. vi. 4. 3. ubi vide Glarean. & Torrent. in edit. optimâ 1726. Ita etiam in Juſtini codd. xxxiv. 3. Nec non *Marcus Pompilius* in nonnullis exemplaribus & editis Livii xli. 28 ut ex ipſo nomine litem movere, ſit planè frivolum: præſertim cùm Joan. Sariſber. jam olim in ſuis codd. ita legerat hunc locum Ciceronis, ut patet ex Polycrat. vi. c. 7. *Chapman.*

(e) *remanſiſſet,*] Sc. Catonis filius.

(f) *ſacramento*] Scilicet, eo juramento, quo militaturi ſe ſuâ ſponte obligare ſolebant.

amiſſo, jure cum hoſtibus pugnare non poterat. Adeo ſumma erat obſervatio in bello movendo. [g] Marci quidem Catonis ſenis

bant. Formulam quandam juramenti (notante Manutio) habemus apud Aul. Gell. xvi. 4. Livius etiam in ii. 45. cùm memorat Centurionem quendam juraſſe in hæc verba, *Victor revertar ex acie*, addit, *ſi fallat, Jovem patrem Gradivumque Martem alioſque iratos invocat Deos.* Monendus eſt tamen Lector eundem Livium xxii. 38. ſacramentum à jurejurando ſic diſtinguere: *Milites tunc* (an. U. C. 536.) *quod nunquam anteà factum erat, jurejurando à tribunis militum adacti, juſſu conſulum conventuros, neque injuſſu abituros: nam ad eum diem nil præter ſacramentum fuerat; & ubi ad decuriatum aut centuriatum conveniſſent, ſuâ voluntate ipſi inter ſe equites decuriati, centuriati pedites conjurabant, ſeſe fugæ atque formidinis ergo non abituros, neque ex ordine receſſuros, niſi teli ſumendi aut petendi, aut hoſtis feriendi, aut civis ſervandi cauſâ: id ex voluntario inter ipſos fœdere à tribunis ad legitimam jurisjurandi adactionem tranſlatum.*

(g) *Marci quidem Catonis ſenis epiſtola eſt*, &c.] Hæc quidem, ſi à Cicerone ipſo profecta ſunt, aliam (ut puto) à ſuperiore & tempore & loco hiſtoriolam exhibent. Et fortaſſe ad A. Hoſtilii Conſulis factum referenda ſunt; qui (ut narrant legati apud *Liv.* xliii. 13.) *exercitum infrequentem* reddiderat *commeatibus vulgo per ambitionem datis*: unde, *quia fama erat multos ex Macedonicis legionibus ab exercitu abeſſe* (circa an. U. C. 580, 581.) Cenſores *edixerunt, ut, qui in Patris aut Avi poteſtate eſſent, eorum nomina ad ſe ederentur: miſſorum quoque cauſſas ſe cognituros eſſe; & quorum ante emerita ſtipendia gratioſa* miſſio *ſibi viſa eſſet; eos milites fieri juſſuros. Quo edicto, tanta multitudo juniorum Romam convenit, ut gravis Urbi turba inſolita eſſet*, ib. c. 16. Hinc evenire potuit, ut Cato pater, cùm hujuſmodi quiddam de ſuo etiam Filio audierat, id ipſum monuerit, quod hoc loco memoratur. Verumtamen, ne quid diſſimulem, tota hæc pericope mihi gloſſatoris ingenium ſapere, atque ex margine videtur in textum irrepſiſſe. Nam Cicero, cùm antea de *Catone* verba fecerat, interjectis etiam verbis *Adeò ſumma erat*, &c. non (opinor) eundem iterum exhiberet tam pravo exordio, *Marci quidem Catonis*, quo alium à priore induci exiſtimes, ſed iſtiuſmodi copulâ leniori *Ejuſdem quoque Catonis*, &c. Neque mirum ſanè, ſi aliena alicubi irrepſe-

nis epiſtola eſt ad M. filium, in qua [h] ſcribit, ſe audiſſe eum miſſum factum eſſe à conſule, cùm in Macedonia [i] Perſico bello miles eſſet: monet igitur, ut caveat, ne prælium ineat; negat enim jus eſſe, qui miles non ſit, pugnare cum hoſte.

XII. Equidem illud etiam animadverto, quòd, qui proprio nomine perduellis eſſet, is hoſtis vocaretur, lenitate verbi triſtitiam rei mitigante: hoſtis enim apud majores noſtros is dicebatur, quem nunc peregrinum dicimus. Indicant duodecim tabulæ, [a] *aut ſtatus dies cum hoſte*: itemque [b] *adversùs hoſtem æterna auctoritas*. Quid ad hanc manſuetudinem addi

irrepſerint, cùm Operis hujus codices MSi complures, quorum ipſi nonnullos vidimus, marginalibus gloſſis referti ſint per ſingulas ferè paginas. *Chapman.*

(h) *ſcribit*] Sic Langius & Victorius: ſic & MSi Mead. pr. Cant. & tres Regii, cum tribus aliis: rectè; nam ſequentia verba *monet* & *negat* ſatis probant Ciceronem hîc uſum eſſe præſenti tempore. Vulgò *ſcripſit*.

(i) *Perſico bello*] i. e. bello cum Perſeo ſive Perſe, Macedonum rege, Hoc in Faſtis Capitolinis vocari *bellum Perſicum* monet Fabritius.

(a) *aut ſtatus dies cum hoſte*] Feſtus dicit eum *diem ſtatum* vocari, qui judicii cauſſâ cum hoſte, i. e. peregrino conſtitutus eſt. Sententia igitur Legis hæc eſt: Is, qui judicio ſiſti promiſerit adverſario, ſecundùm ſuam vel fidejuſſorum promiſſionem ſe ſiſtat ad diem ſtatutum. Ad hoc reſpicit Plautus in Curcul. I. i. 5. ubi. de Venere & Cupidine dicit,

Si ſtatus, condictus cum hoſte intercedit dies,
Tamen eſt eundum, quo imperant, ingratiis.

A. Gellius xvi. 4. cùm de delectu militum Romanorum ageret, eandem loquendi formulam ex vetere illorum juramento protulit; dicit enim juramento, quo ſe, ut adeſſent, milites obligabant, hanc unà cum aliis additam fuiſſe exceptionem, *ſi ſtatus condictuſve dies cum hoſte.*

(b) *adversùs hoſtem æterna auctoritas*] Adversùs peregrinum

addi poteſt, eum, [c] quîcum bellum geras, tam molli nomine appellari? Quamquam id nomen durius jam effecit [d] vetuſtas; à [e] peregrino enim receſſit, & propriè in eo, qui arma contra ferret, remanſit. Cùm verò de imperio decertatur, belloque quæritur gloria, cauſſas omnino ſubeſſe tamen oportet eaſdem, quas dixi paulo antè juſtas cauſſas eſſe bellorum. Sed ea bella, quibus imperii gloria propoſita eſt, minus acerbè gerenda ſunt: ut enim, [f] cùm civiliter contendimus, aliter, ſi eſt inimicus, aliter, ſi competitor; cum altero certamen honoris & dignitatis eſt; cum altero capitis & famæ:

num ſemper civi Romano ſalvum manet jus dominii: peregrinus nihil, quod eſt civis Romani, poteſt uſucapere. *Auctoritas* hìc eſt jus dominii. *Græv.*

(c) *quîcum bellum geras*] Vulgò *bella*: ſed, cùm præceſſerit *eum*, rectiùs ſe habet nomen ſingularis numeri; nam cum ſingulis non *bella*, ſed *bellum* gerit miles. MSi etiam Cant. duo Mead. tres Regii, excerpt. Pith. & editio Victorii habent *bellum*.

(d) *vetuſtas*] i. e. longinquitas temporis.

(e) *à peregrino enim receſſit*] Errore ediderunt recentiores, à *peregrino enim* jam *receſſit*: Vox *jam* ſupervacanea eſt, ne dicam inepta, cùm proximè præceſſerit: nec eam agnoſcunt Victorius & Lambinus; nec MSi Mead. pr. tres Reg. Milh aliique.

(f) *cùm civiliter contendimus, aliter, ſi eſt inimicus*] Sic Victorius & omnes MSi: Fabritius tamen & Lambinus conjecturâ locum ſic mutârunt, *cùm* civi aliter *contendimus, ſi eſt inimicus*, &c. Quam lectionem, quamvis ſenſui optimè conveniat, nequaquam tamen probo, cùm cunctis MSis (ut dixi) ſe opponat. *Civiliter contendere* ſignificat iis modis, artibus, viis contendere, quibus (ſalvis legibus) cives cum civibus certantes uti ſolent: ſimile eſt illud Ciceronis in Ep. ad fam. viii. 14, *homines in diſſenſione domeſticâ debent, quamdiu civiliter ſine armis cernetur, honeſtiorem ſequi partem.*

D 4

mæ; ſic cum Celtiberis, cum Cimbris bellum, ut cum inimicis, gerebatur, uter eſſet, non uter imperaret: cum Latinis, Sabinis, Samnitibus, Pœnis, Pyrrho de imperio dimicabatur. Pœni fœdifragi; crudelis Hannibal; reliqui juſtiores. Pyrrhi quidem de captivis reddendis illa præclara;

Nec mî aurum poſco, nec mî pretium dederitis:
(g) *Nec cauponantes bellum, ſed belligerantes,*
Ferro, non auro (h) *vitam cernamus utrique,*

Voſne

(g) *Nec cauponantes*, &c.] Cum in vulgatis editionibus poſt præcedens verbum *dederitis* ponatur Comma, & poſt *belligerantes* in hoc verſu Colon, vox *cauponantes* ſuam propriam vim habere non videtur: *cauponari* enim dicuntur ii, qui cum lucro vendunt: non qui pretium offerentes emunt: hoc verò poſterius ſolùm Romanis competit, de quibus Pyrrhus loquitur, & qui pretium iſti Regi pro reddendis captivis obtulerant. Hac ratione adductus Cl. Ric. Bentleius ſic legendum eſſe locum cenſuit,

Non mî aurum poſco, nec mî pretium dederitis
Non cauponanti *bellum, ſed* belligeranti;

Sed conjecturâ iſtâ non opus erit, ſi ſequamur interpunctionem Victorii, & aliorum veterum editorum, qui primum verſum à ſecundo diſtinguunt; ſecundum verò tertio adjungunt: ſic enim interpungendo vox *cauponantes* referri poteſt ad vocem *utrique*. Senſus eſt; Nec meum eſt nunc *cauponari bellum*, captivis ob pretium vobis reddendis; nec veſtrùm eſt id poſtea facere, ſi qui de meis, fortunâ belli, apud vos captivi fuerint.

(h) *vitam cernamus*] Ennius hâc locutione, cujus uſus jam in Ciceronis temporibus ferè antiquatus fuit, ſignificabat *de vitâ dimicemus*. Idemque (notante Grævio) eodem genere dicendi uſus fuerat in ſuâ Medeâ,

Nam ter ſub armis malim vitam cernere,
Quàm ſemel parere.

Nec multùm diſſimile eſt iſtud Virgilii Æn. xii. 709.

Inter ſe coiiſſe viros, & cernere ferro.

Voſne velit, an me [1] *regnare hera, quidve ferat, Fors,*
Virtute experiamur: & [a] *hoc ſimul accipe dictum;*
Quorum virtuti belli fortuna pepercit,
Eorumdem [b] *me libertati parcere certum eſt:*
Dono, ducite, doque, volentibu' cum magnis diis.

Regalis ſane, & digna Æacidarum genere ſententia.

XIII. Atque etiam, ſi quid ſinguli, temporibus adducti, hoſti promiſerint, eſt in eo ipſo

(i) *regnare hera, quidve ferat, Fors*] Monuit J. Fr. Gronovius jungenda eſſe in conſtructione verba *hera* & *Fors*, ut idem ſint, quod *domina Fortuna.*

(a) *hoc ſimul* accipe *dictum*] Pyrrhus in his verſibus Ennianis duo vel plures alloquitur, quod oſtendunt verba *dederitis, vos, ducite,* &c. Cur igitur hîc occurrit *accipe*, verbum ſingularis numeri? Tres legatos ad Pyrrhum miſerant Romani, ſi hiſtoricis fides ſit. Quocirca doct. vir *Jortinus* ſuſpicatur legendum eſſe, *hoc ſimul* accipite *dictum*; quod pronuntiandum, quaſi ſcriptum eſſet *acpite*; ut pro *porrigite* contractè dicitur *porgite*, more antiquo, in Virg. Æn. viii. 274. & pro *ſurripite* dicitur *ſurpite* in Horat. Serm. II. iii. 283.

(b) me *libertati parcere certum eſt:*] *Certum eſt* non modò accipitur pro *manifeſtum eſt*, ſed etiam pro *deliberatum & conſtitutum eſt.* In quo ſecundo ſenſu plerumque adjungitur Dativus cum Infinitivo; ut *certum eſt mihi ire in Hiſpaniam.* Nonnunquam Dativus ſubintelligitur, ut apud Virg. Eclog. x. 52.

Certum eſt in ſylvis, inter ſpelæa ferarum
Malle pati —— id eſt, mihi.

Hæc Valla in Eleg. L. Lat. v. 27. quibus addi poteſt Terent. Andr. II. i. 11. Eunuch. II. iii. 97. & Heaut. III. i. 57. item Virg. Æn. ix. 153. Lexicographi notant vocem *certum*, per metatheſin factum eſſe ex *cretum*, à *cerno*, quod idem eſt ac *decerno, conſtituo.* Fortaſſe Ennius ſcripſit *mi libertati*, non *me libertati:* i. e. certum eſt mihi parcere libertati eorumdem.

ipſo fides conſervanda: ut primo Punico bello Regulus captus à Pœnis, cùm de captivis commutandis Romam miſſus eſſet, juràſſetque ſe rediturum; primùm, ut venit, captivos reddendos in ſenatu non cenſuit; deinde, cùm retineretur à propinquis & amicis, ad ſupplicium redire maluit, quàm fidem hoſti datam fallere. [[c] Secundo autem Punico bello poſt Cannenſem pugnam, quos decem Hannibal Romam adſtrictos miſit jurejurando, ſe redituros eſſe, niſi de redimendis iis, qui capti erant, impetràſſent; eos omnes cenſores, quoad quiſque eorum vixit, qui pejeràſſent, in ærariis reliquerunt: nec minùs illum, qui jurisjurandi fraude culpam invenerat: cùm enim Hannibalis permiſſu exiſſet de caſtris, rediit paullo poſt, quòd ſe oblitum neſcio quid diceret; deinde, egreſſus è caſtris, jurejurando ſe ſolutum putabat: & erat verbis, re non erat. Semper autem in fide, quid ſenſeris, non quid dixeris, cogitandum. Maximum autem exemplum eſt juſtitiæ in hoſtem à majoribus noſtris conſtitutum:

(c) *Secundo autem Punicò bello*] Hæc & ſequentia uſque ad *interitum cum ſcelere approbavit*, licet à plurimis MSis abſint, tamen inveniuntur in unò Langii, altero Fabritii, in marg. Reg. tertii, & in tribus Oxonienſibus: nec indigna videntur, quæ à Ciceronis manu profecta eſſe cenſeantur. Certè non hîc audiendus eſt Langius, qui ideo ea rejicienda eſſe voluit, quòd infra in iii. 22, & 32. eadem ferè à Noſtro dicuntur: Nam & ea, quæ Cicero antea in hoc capite de Regulo dixerat, iterum aliis verbis memorat in iii. 26. ut etiam ea, quæ de Theſeo dixerat in capite 10, repetuntur in iii. 25.

tutum: cùm à Pyrrho perfuga ſenatui eſt pollicitus, ſe venenum regi daturum, & eum necaturum, ſenatus & C. Fabricius [d] perfugam Pyrrho dedidit. Ita ne hoſtis quidem, & potentis, & bellum ultro inferentis, interitum cum ſcelere approbavit.] Ac de bellicis quidem officiis ſatis dictum eſt.

Meminerimus autem etiam adversùs infimos juſtitiam eſſe ſervandam: eſt autem infima conditio & fortuna ſervorum; quibus, non malè præcipiunt, qui ita jubent uti, ut mercenariis; operam exigendam, juſta præbenda. Cùm autem duobus modis, id eſt, aut vi aut fraude, fiat injuria, fraus quaſi vulpeculæ, vis leonis videtur: utrumque ab homine alieniſſimum; ſed fraus odio digna majore. Totius autem injuſtitiæ nulla [e] capitalior eſt, quàm eorum, qui, tum, cùm maximè fallunt, id agunt, ut viri boni eſſe videantur. De juſtitia ſatis dictum eſt.

Deinceps, ut erat propoſitum, [f] de beneficentia ac liberalitate dicatur, qua quidem nihil XIV.

(d) *perfugam Pyrrho dedidit*] Ita Lambinus, quem ſequor. Vulgò *dedit*.

(e) *capitalior*] i. e. pejor, deteſtabilior, & magis quaſi capitis ſupplicio expianda. Sic in ii. 21. dicitur, *capitalis oratio, & ad æquationem bonorum pertinens*. Notandum eſt poſt vocem *nulla* in hoc loco poni caſum genitivum; conſtructio enim eſt *nulla totius injuſtitiæ*, i. e. ex omnibus generibus injuſtitiæ nullum genus eſt, &c. Sic in c. 17. dicitur, *omnium ſocietatum nulla eſt gravior*. De Nat. Deor. i. 35. *Elephanto beluarum nulla prudentior*, & alibi ſæpius.

(f) *de beneficentiâ*] De ſecundâ

nihil eſt naturæ hominis accommodatius; [g] ſed habet multas cautiones. Videndum eſt enim primùm, ne obſit benignitas & iis ipſis, quibus benignè videbitur fieri, & cæteris: deinde, ne major benignitas ſit, quàm facultates: tum, ut pro dignitate cuique tribuatur; id enim eſt juſtitiæ fundamentum, ad quam hæc referenda ſunt omnia. Nam & [h] qui gratificantur cuipiam, quod obſit illi, cui prodeſſe velle videantur, non benefici, neque liberales, ſed pernicioſi aſſentatores judicandi ſunt: & qui aliis nocent, ut in alios liberales ſint, in eadem ſunt injuſtitia, ut ſi in ſuam rem [i] alienam convertant. Sunt autem multi, & quidem cupidi ſplendoris & gloriæ, qui eripiunt aliis, quod aliis largiantur: hique arbitrantur ſe beneficos in ſuos amicos viſum iri, ſi locupletent eos quacumque ratione. Id autem tantum abeſt ab officio, ut nihil magis officio poſſit eſſe contrarium. Videndum eſt igitur, ut ea liberalitate utamur, quæ

cundâ parte ejus rationis, quâ ſocietas hominum continetur, & quæ tres cautiones habet, hinc Noſter dicturus eſt uſque ad medium cap. 18. Prima pars fuit Juſtitia.

(g) *ſed habet multas cautiones*] Inuſitato, opinor, ſenſu hîc dicitur *cautio* pro cavendi præcepto. Vult Cicero neceſſe eſſe, ut multa dicantur, nè in hac re homines non ſatis cauti ſint. Quod hîc vocatur *cautio*, paulo infra vocatur *locus cautionis*.

(h) *qui gratificantur cuipiam, quod*, &c.] Pleniùs dixiſſet, *qui gratificantur quid cuipiam, quod*, &c.

(i) *alienam*] Ita Victorius & Editio pr. ut & MSi Mead. duo, Mill. Reg. tert. & quatuor Oxonienſes, quorum eo melior mihi videtur lectio, quàm vulgata *aliena*, quo magis voci *ſuam* reſpondet.

quæ proſit amicis, noceat nemini. Quare L. Syllæ & C. Cæſaris pecuniarum tranſlatio à juſtis dominis ad alienos non debet liberalis videri: nihil eſt enim liberale, quod non idem juſtum.

Alter erat locus cautionis, ne benignitas major eſſet, quàm facultates: quòd, qui benigniores volunt eſſe, quàm res patitur, primùm in eo peccant, quòd injurioſi ſunt in proximos: quas enim copias his & ſuppeditari æquius eſt & relinqui, eas tranſferunt ad alienos. Ineſt autem in tali liberalitate cupiditas plerumque rapiendi & auferendi per injuriam, ut ad largiendum ſuppetant copiæ. Videre etiam licet pleroſque non tam natura liberales, quàm quadam gloria ductos, ut benefici videantur, facere multa; quæ proficiſci ab oſtentatione magis quàm à voluntate videantur. Talis autem ſimulatio vanitati eſt conjunctior, quàm aut liberalitati aut honeſtati.

[a] Tertium eſt propoſitum, ut in beneficentia delectus eſſet dignitatis; in quo & mores ejus erunt ſpectandi, in quem beneficium conferetur; & animus erga nos; & communitas ac ſocietas vitæ; & ad noſtras

(a) *Tertium* eſt *propoſitum*] Hanc tertiam cautionem, quam Noſter beneficentiæ neceſſariam eſſe judicat, in quatuor genera dividit, quæ omnia in ſe habent delectum quendam dignitatis. Fortaſſe ſcripſit Cicero, *Tertium* erat *propoſitum*; ſequitur enim, *ut in beneficentiâ delectus* eſſet *dignitatis*: & ita in initio capitis legimus, *Deinceps, ut* erat *propoſitum*, &c.

ſtras utilitates officia antè collata: quæ ut concurrant omnia, optabile eſt; ſin minùs, plures cauſſæ majoreſque ponderis plus habebunt.

XV. Quoniam autem vivitur non cum perfectis hominibus plenéque ſapientibus, ſed cum iis, in quibus, præclarè agitur, ſi ſunt ſimulacra virtutis; etiam hoc intelligendum puto, neminem omnino eſſe negligendum, in quo aliqua ſignificatio virtutis appareat: colendum autem eſſe ita quemque maximè, ut quiſque maximè his virtutibus lenioribus erit ornatus, modeſtiâ, temperantiâ, hac ipſâ, de qua jam multa dicta ſunt, juſtitiâ. Nam fortis animus & magnus, in homine non perfecto nec ſapiente, ferventior plerumque eſt: illæ virtutes virum bonum [b] videntur potiùs attingere. Atque hæc in moribus.

De benevolentia autem, quam quiſque habeat erga nos, primum illud eſt in officio, ut ei plurimum tribuamus, à quo plurimùm diligimur: ſed benevolentiam, non adoleſcentulorum more, ardore quodam amoris, ſed ſtabilitate potiùs & conſtantia judicemus. Sin erunt merita, ut non ineunda, ſed referenda ſit gratia, major quædam cura adhibenda eſt: nullum enim officium referendâ gratiâ magis neceſſarium eſt.

(b) *videntur potiùs attingere*] Gulielmius maluit *propiùs attingere:* at mutatione iſtâ non opus eſt: nam in cap. 6. dicitur *maximè naturam attingit humanam*; non *proximè:* (conſulatur nota ad loc.) Sic dicitur in cap. 22. *attingit etiam bellicam.* Vide etiam Notam ad cap. 44.

eſt. Quòd ſi ea, quæ utenda acceperis, majore menſura, ſi modò poſſis, [c] jubet reddere Heſiodus; quidnam beneficio provocati facere debemus? [d] an imitari agros fertiles, qui multo plus efferunt, quàm acceperunt? Etenim ſi in eos, quos ſperamus nobis profuturos, non dubitamus [e] officia conferre; quales in eos eſſe debemus, qui jam profuerunt? Nam cùm duo genera liberalitatis ſint, unum dandi beneficii, alterum reddendi; demus, nec ne, in noſtra poteſtate eſt; non reddere, viro bono non licet, modò id facere poſſit [f] ſine injuria. Acceptorum autem beneficiorum ſunt delectus habendi; nec dubium, quin [g] maximo cuique plurimum debeatur. In quo tamen

(c) *jubet reddere Heſiodus*] Cujus hæc ſunt verba in Op. & Dier. i. 347.

Ἐυ μεν μετρεῖσθαι παρὰ γείτονος, εὐ δ' ἀποδοῦναι,
Αὐτῷ τῷ μέτρῳ, ἢ λώιον, ἄικε δύνηαι.

Rectâ quidem menſurâ mutuum accipe à vicino, & rectâ redde, eâdem menſurâ, vel meliore, ſi quidem poſſis.

(d) *an imitari agros*] Vox *an* hìc idem valet ac *annon:* nec infrequens apud Ciceronem eſt is vocis uſus in Interrogationibus. Sic enim in ii. 2. de Leg. *Anne eſt illa una patria communis?* i. e. annon eſt illa una patria communis? Sic etiam v. 14. de Fin. *an ea, quæ per vinitorem anteà conſequebantur, & per ſe ipſam curabit?* i. e. annon vitis, ſi ad eam ſenſus acceſſerit, ſe ipſa reſecabit, & luxuriantes ramos amputabit? Plura exempla vide in Notâ, quam appoſuimus ad i. 58. de Oratore.

(e) *officia conferre*] Per *officia* hic intelligas ea beneficia, quæ ex officiis rectè factis conferuntur. Ita loquitur Noſter in c. 20. de Amicitiâ, *odioſum genus hominum officia exprobrantium, quæ meminiſſe debet is, in quem collata ſunt:* & alibi ſæpius.

(f) *ſine injuria*] Vide quæ Noſter dixerat in cap. 10.

(g) *maximo cuique*] i. e. beneficio accepto.

tamen in primis, [h] quo quiſque animi ſtudio & benevolentia fecerit, ponderandum eſt: multi enim faciunt multa temeritate quadam, [i] ſine judicio vel modo, in omnes repentino quodam (quaſi vento) impetu animi incitati; quæ beneficia æquè magna non ſunt habenda, atque ea, quæ judicio, conſideratè, conſtanterque delata ſunt. Sed in collocando beneficio, & in referenda gratia, ſi cætera paria ſint, hoc maximè officii eſt, ut quiſque maximè opis indigeat, ita ei potiſſimùm opitulari: quod contra fit à pleriſque;

(h) *quo quiſque* animi *ſtudio & benevolentiâ*] Ita MSi Cant. & Reg. tert. & quart. Habet etiam MSus Mead. pr. *animi ſtudio*, ut etiam Victorius. Vulgò, *animo, ſtudio, benevolentiâ*.

(i) *ſine judicio vel modo, in omnes*, &c.] Qui largiuntur nullâ accipientium habitá ratione, id faciunt *ſine judicio*; qui verò nullâ ſuæ rei familiaris habitâ ratione, ii *ſine modo*. Victorius reliquique veteres editores habent *modo*, cui favet longè maxima MSorum pars: At recentiores ediderunt *morbo*: quod nollem factum, cùm hoc verbum (vel Grutero quidem defendente) non ſatis hìc ſe tueri poſſit: puta enim hanc vocem *morbum* ſignificare inſaniam, ſeu vitioſam animi affectionem; puta etiam Senecam (ut docet Gruterus) centies opponere *morbum judicio*: at hìc voces *ſine judicio vel morbo* idem ſignificabunt quod *ſine judicio vel ſine morbo*. Qui verò legit *morbo*, potiùs præpoſitionem *cum*, quàm *ſine* ad ſententiam complendam ſubintelligat, neceſſe eſt. De hoc verò ſatis. In ſequentibus vulgò legitur *vel modo in omnes* vel *repentino*, &c. ſed cùm iſtud *vel* ante *repentino* planè ſententiam turbet, abſitque à MSo Cant. hâc auctoritate eam vocem, quæ locum videtur corrumpere, delevi. Interim caveat Lector, ne referat voces *in omnes* ad præcedens verbum *faciat*, ut multi faciunt interpretes; cùm conſtructio ſit *incitati in omnes*, i. e. erga omnes, ſeu propenſo in omnes animo. Cui ſimile eſt iſtud Trebonii in Ciceron. Epiſt. ad Fam. xii. 16. *ne putes in Aſiâ feriatum illum ab iis ſtudiis*, in quæ *tuâ cohortatione* incitatur, *futurum*.

pleriſque; à quo enim plurimum ſperant, etiamſi ille his non eget, tamen ei potiſſimùm inſerviunt.

XVI.

Optimè autem ſocietas hominum conjunctioque ſervabitur, ſi, ut quiſque erit conjunctiſſimus, ita in eum benignitatis plurimum conferetur. Sed quæ naturâ principia ſint communitatis & ſocietatis humanæ, repetendum altiùs videtur. Eſt enim primum, quod cernitur in univerſi generis humani ſocietate: ejus autem vinculum eſt ratio & oratio, quæ docendo, diſcendo, communicando, diſceptando, judicando conciliat inter ſe homines, conjungitque naturali quadam ſocietate. Neque ulla re longiùs abſumus à natura ferarum; in quibus ineſſe fortitudinem ſæpe dicimus, ut in equis, in leonibus; juſtitiam, æquitatem, bonitatem non dicimus: ſunt enim rationis & orationis expertes. Ac latiſſimè quidem patens hominibus inter ipſos, omnibus inter omnes, ſocietas hæc eſt: in qua omnium rerum, quas ad communem hominum uſum natura genuit, eſt ſervanda communitas: ut quæ deſcripta ſunt legibus & jure civili, hæc ita teneantur, [a] ut ſit conſtitutum: è quibus

(a) *ut ſit conſtitutum: è quibus ipſis*] Cùm non facile ſit videre, quid ſignificet *è quibus ipſis*, Gulielmius putavit legendum eſſe, *ut ſit conſtitutum* legibus *ipſis*. Sed hoc ille ſine ullà MSorum auctoritate, nullaque (opinor) ratione Ciceroniani ſtili habitâ. Omnes MSi habent *è quibus ipſis*; ut videri poſſit hic locus multis retro ſeculis inquinatus fuiſſe. Conjecturâ ductus arbitror Ciceronem ſcripſiſſe,

 hæc

è quibus ipſis cætera ſic obſerventur, ut in Græcorum proverbio eſt; *amicorum eſſe omnia communia.* Omnia autem communia hominum videntur ea, quæ ſunt generis ejus, quod, ab Ennio poſitum in una re, transferri in permultas poteſt;

Homo, qui erranti comiter monſtrat viam,
Quaſi lumen de ſuo lumine accendat, facit:
Nihilo minùs ipſi lucet, cùm illi accenderit.

Una ex re ſatis præcipit, ut, quidquid ſine detrimento poſſit commodari, id tribuatur vel ignoto. Ex quo ſunt illa communia; non [b] prohibere aquam profluentem; pati ab igne ignem capere, ſi quis velit; conſilium

hæc ita teneantur, ut conſtitutum eſt civibus *ipſis: cætera ſic obſerventur,* &c. Non dixit (opinor) *ut ſit conſtitutum,* ſed *ut conſtitutum eſt*; ſequitur enim, in poſteriore ſententiæ parte, *ut in Græcorum proverbio eſt,* non *ſit.* In MSis, literis *c* & *i* errore conjunctis, deinde caudâ literæ *i* productâ, fieri facilè potuit, ut vox *civibus* verteretur in *quibus.* Quod etiam factum eſt in cap. 15. ubi, cùm plerique MSi habent *in quibus præclarè agitur,* MSus Pal. ſec. habet *cum civibus,* pro *cum quibus.* Nec minus proclivis eſt mutatio vocis *eſt* in *è,* cùm ferè *eſt* ſcribatur *ē.* Senſus eſt; Quemadmodum ea, quæ in civitatibus præſcribuntur legibus & jure civili, ſunt ſervanda, eo modo quo conſtitutum eſt civibus; ita in cæteris rebus ſi cives debent omnium rerum communitatem ſervare.

(b) *prohibere aquam profluentem*] Sic Victorius, & vet. editores ferè omnes: ſic etiam MSi Cant. duo Mead. Mill. tres Regii, & omnes Oxon. cum aliis quàm plurimis. Subintellige ab *iis, qui eam haurire volunt,* quomodo Virgil. in Æn. i. 529.

—— *prohibe infandos à navibus ignes.*

Simili modo Ovidius dicit in Metam. vi. 349.

Quid prohibetis aquas? uſus communis aquarum.

Sic & Noſter in Orat. de Haruſp. reſp. c. 2. *ſupplicia à ſociorum mænibus prohibere non potuerunt:* quamquam ſæpius idem dicit *prohibere aliquem à ſuppliciis, rempublicam à calamitate,* &c.

ſilium fidele deliberanti dare; quæ ſunt iis utilia, qui accipiunt, danti non moleſta. Quare & his utendum eſt, & ſemper aliquid ad communem utilitatem afferendum. Sed quoniam copiæ parvæ ſingulorum ſunt, eorum autem, qui his egeant, infinita eſt multitudo, vulgaris liberalitas referenda eſt ad illum Ennii finem, *Nihilo minùs ipſi lucet*; ut facultas ſit, qua in noſtros ſimus liberales.

Gradus autem plures ſunt ſocietatis hominum: ut enim ab infinita illa diſcedatur, propior eſt ejuſdem gentis, nationis, linguæ, qua maximè homines conjunguntur. Interius etiam eſt, ejuſdem eſſe civitatis; multa enim ſunt civibus inter ſe communia, forum, fana, porticus, viæ, leges, jura, judicia, ſuffragia, conſuetudines præterea & familiaritates, multiſque cum multis res rationeſque contractæ. Arctior verò colligatio eſt ſocietatis propinquorum: ab illa enim immenſa ſocietate humani generis in exiguum anguſtumque concluditur. Nam, cùm ſit hoc naturâ commune animantium, ut habeant lubidinem procreandi, prima ſocietas in ipſo conjugio eſt; proxima in liberis; deinde una domus, communia omnia. Id autem eſt principium urbis, & quaſi ſeminarium reipublicæ. Sequuntur fratrum conjunctiones: poſt conſobrinorum ſobrinorumque, qui, cùm una domo jam capi non poſſint, in alias domos, XVII.

 tam-

tamquam in colonias, exeunt. Sequuntur connubia & affinitates, ex quibus etiam plures propinqui; quæ propagatio & ſoboles origo eſt rerumpublicarum. [c] Sanguinis autem conjunctio benevolentiâ devincit homines & caritate: magnum eſt enim eadem habere monumenta majorum, iiſdem uti ſacris, ſepulchra habere communia. Sed omnium ſocietatum nulla præſtantior eſt, nulla firmior, quàm cùm viri boni, moribus ſimiles, ſunt familiaritate conjuncti: illud enim honeſtum, quod ſæpe dicimus, etiam ſi in alio cernimus, tamen nos movet, atque illi, in quo id ineſſe videtur, amicos facit. Et quamquam omnis virtus nos ad ſe alliciat, faciatque ut eos diligamus, in quibus ipſa ineſſe videatur; tamen juſtitia & liberalitas

(c) *Sanguinis autem conjunctio benevolentiâ*, &c.] Vulgò *Sanguinis autem conjunctio & benevolentia devincit homines caritate*: & ita omnes, quos vidi, MSi: locus tamen eſt corruptus: Quo enim ſenſu dici poſſit, *benevolentiam devincire homines caritate?* De eo ſolo loquitur, quod efficit *ſanguinis conjunctio*, non quod *benevolentia*; quæ quidem inter eos poſſit eſſe, qui non ſunt ſanguine conjuncti. Facile eſt videre, *benevolentiam* hîc memorari debere, ut effectum cujuſdam rei, non ut rem efficientem *caritatis*. Aut igitur cum Gronovio (quem ſequor) legendum eſt, *ſanguinis autem conjunctio benevolentiâ devincit homines & caritate*: ut in c. 6. de Amicitiâ ea dicitur eſſe *omnium divinarum humanarumque rerum cum* benevolentiâ & caritate *ſumma conſenſio*. Niſi malit Lector mecum ſentire Ciceronem ſcripſiſſe, *ſanguinis autem conjunctio & (i. e. etiam) benevolentiæ devincit homines caritate*. Huic poſteriori lectioni favent verba Ciceronis in Amicit. c. 9. *Ipſi autem intelligamus à naturâ gigni ſenſum diligendi, &* benevolentiæ caritatem, *factâ ſignificatione probitatis*. Ib. c. 8. *Quis eſt, qui C. Fabricii non cum* caritate *aliquâ* benevolâ *memoriam uſurpet?*

ralitas id maximè efficit; nihil autem eſt amabilius, nec [d] copulantius, quàm morum ſimilitudo bonorum: in quibus enim eadem ſtudia ſunt, eædemque voluntates, in his fit, ut æquè quiſque altero delectetur, ac ſe ipſo; efficiturque id, [e] quod Pythagoras ultimum in amicitiâ putavit, [f] ut unus fiat ex pluribus. Magna etiam illa communitas eſt, quæ conficitur ex beneficiis ultro & citro datis acceptiſque; quæ & mutua & grata dum ſunt, inter quos ea ſunt, firma devinciuntur ſocietate. Sed, cùm omnia ratione animoque luſtraris, omnium ſocietatum nulla

(d) *copulantius*] Vulgò *copulatius*; ſed omnino legendum eſt cum nonnullis MSis *copulantius*: nam morum ſimilitudo bonorum eſt id quod copulat, non id quod copulatur. Ejuſdem generis comparativa ex participiis formata ſæpius occurrunt apud Ciceronem, ut *valentior*, *vigilantior*: & eodem ferè ſenſu dicit in Amicit. c. 20. *diſpares mores diſparia ſtudia ſequuntur, quorum diſſimilitudo diſſociat amicitias*.

(e) *quod Pythagoras ultimum in amicitiâ putavit*] Veteres editiones & MSi ad unum omnes habent, *quod Pythagoras vult in amicitiâ*: at illam alteram lectionem feliciter protulit Langius ex vetere Grammatico Nonio Marcello: cujus hæc ſunt verba, *Ultimum*, *primum*, Virg. Æn. vii. *Tu ſanguinis ultimus auctor*. M. Tul. de Offic. i. *efficiturque id, quod Pythagoras ultimum in amicitiâ putavit, ut unus fiat ex pluribus. Idem de fin. bon. & mal.* iii. *Eorum dico, qui ſummum bonum, quod ultimum appellant, in animo ponerent*. Cicero etiam in l. i. de Divin. dicit, *ut ab ultimis auctoritatem repetam:* ubi vide Daviſii notam. Cùm in MSis antiquis verbum *putavit* (incuriâ ſcribentis) omiſſum eſſet, ſequentes librarii videntur illud *ultimum* contractè ſcriptum in *vult* mutâſſe.

(f) *ut unus fiat ex pluribus*] Sc. animus: ita enim loquitur Noſter in Amicit. c. 25. *quum amicitiæ vis ſit in eo, ut unus quaſi* animus *fiat ex pluribus*.

la eſt gravior, nulla carior, quàm ea, quæ cum republica eſt unicuique noſtrûm: cari ſunt parentes, cari liberi, propinqui, familiares; ſed omnes omnium caritates patria una complexa eſt; pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere, ſi ei ſit profuturus? Quo eſt deteſtabilior iſtorum immanitas, qui lacerarunt omni ſcelere patriam, & in ea funditus delenda occupati & ſunt & fuerunt. Sed ſi contentio quædam & comparatio fiat, quibus plurimum tribuendum ſit officii, principes ſint patria & parentes, quorum beneficiis maximis obligati ſumus: proximi liberi, totaque domus, quæ ſpectat in nos ſolos, neque aliud ullum poteſt habere perfugium: deinceps bene convenientes propinqui, quibuſcum etiam communis plerumque fortuna eſt. Quamobrem neceſſaria præſidia vitæ debentur iis maximè, quos antè dixi: vita autem victuſque communis, conſilia, ſermones, cohortationes, conſolationes, interdum etiam objurgationes, in amicitiis vigent maximè: eſtque ea jucundiſſima amicitia, quam ſimilitudo morum conjugavit.

XVIII. Sed in his omnibus officiis tribuendis videndum erit, quid cuique maximè neceſſe ſit, & [g] quid quiſque vel ſine nobis aut poſſit conſequi,

(g) *quid quiſque* vel *ſine nobis*] Otioſa hîc, ne dicam inepta & moleſta, videtur conjunctio *vel*, quæ benè abeſt à MSo pr. Grævii. In quibuſdam MSis legitur *quid quiſque* nobiſcum vel *ſine nobis*, &c; Unde conjicio in aliis MSis extitiſſe

ſequi, aut non poſſit: ita [h] non iidem erunt neceſſitudinum gradus, qui temporum: ſuntque officia, quæ aliis magis, quàm aliis debeantur: ut vicinum citiùs adjuveris in fructibus percipiendis, quàm aut fratrem aut familiarem; at, ſi lis in judicio ſit, propinquum potiùs & amicum, quàm vicinum defenderis. Hæc igitur & talia circumſpicienda ſunt in omni officio; & conſuetudo [i] exercitatioque capienda, ut boni ratiocinatores officiorum eſſe poſſimus, & addendo deducendoque videre, quæ reliqui ſumma fiat; ex quo, quantum cuique debeatur, intelligas. Sed ut nec medici, nec imperatores, nec oratores, quamvis artis præcepta perceperint, quidquam magna laude dignum ſine uſu & exercitatione conſequi poſſunt: ſic officii conſervandi præcepta traduntur illa quidem (ut facimus ipſi); ſed

extitiſſe quondam ſolùm *quid quiſque nobiſcum*; in aliis rectiùs *quid quiſque ſine nobis*: iſtud verò *vel* poſitum fuiſſe olim inter lineas, ut oſtenderet duplicem fuiſſe hujus loci lectionem, *nobiſcum* & *ſine nobis*.

(h) *non iidem erunt neceſſitudinum gradus*] Cicero anteà dixerat officia primo loco tribuenda eſſe parentibus, tum liberis, deinceps propinquis, Hîc verò ait eos neceſſitudinum gradus non ſemper ſequendos eſſe; ſed aliquando immutandos, ut habeatur ratio temporum ſive neceſſitatum eorum, quibuſcum vivimus. Vide ſenſum vocis *temporum* in not. ad. i. 9 & 10. & ad ii. 1.

(i) *exercitatioque capienda*] Gulielmius legit *facienda*, alii *adhibenda*; ſed neutra lectio placet: cur non verbum *capere* hîc idem valeat ac *ſuſcipere?* ut in Or. pro Roſc. Com. Cicero dicit, *non fuit cauſſa, cur tantum laborem caperes & ad me venires*: aliter locutus eſt idem, ſed eodem ſenſu, in i. 32. de Orat. *ea exercitatio ſuſcipienda vobis eſt*.

rei magnitudo uſum quoque exercitationemque deſiderat. Atque ab iis rebus, quæ ſunt in jure ſocietatis humanæ, quemadmodum ducatur honeſtum, [a] ex quo aptum eſt officium, ſatis ferè diximus.

[b] Intelligendum eſt autem, cùm propoſita ſint genera quatuor, è quibus honeſtas officiumque manaret, ſplendidiſſimum videri, quod animo magno elatoque, humanaſque res deſpiciente, factum ſit. Itaque in probris maximè in promtu eſt, ſi quid tale dici poteſt;

Vos etenim juvenes animum geritis muliebrem;

Illa [c] virago viri.

Et ſi quid ejuſmodi;

——————— [d] *Salmaci,*

Da ſpolia —— ſine ſudore & ſanguine.

Con-

(a) *ex quo aptum eſt officium*] i. e. ex quo compoſitum eſt officium: ſimili modo Noſter loqui ſolet; de Fin. ii. 14. *his tribus generibus honeſtorum notatis, quartum ſequitur* ——— aptum *ex illis tribus.* De Fato c. 15. *quid proficiatur, ſi ea cauſſa non ex æternis cauſſis* apta *ducatur?* De Univ. c. 5. *quâ ex conjunctione cœlum ita* aptum *eſt, ut ſub aſpectum & tactum cadat.*

(b) *Intelligendum eſt*] De tertio fonte Honeſti (ſc. de Fortitudine animi) Cicero hinc eſt dicturus uſque ad finem c. 26.

(c) *virago*] Clœlia (ut videtur) de cujus fortitudine multa dixerunt Romani Hiſtorici. Verſus Enniani eſſe creduntur.

(d) *Salmaci da ſpolia*] i. e. Tu, qui mollis & ignavus es vir, &c. Sic dictus à Salmaci fonte Cariæ, qui viros in eò ſe lavantes effeminatos reddere credebatur. Adeat Lector Ovid. Metam. iv. 285, &c. Hos verſus Ennii fuiſſe maxima pars interpretum putat: ſed Manutius eos inſculptos fuiſſe ſtatuæ cuidam equeſtri colligit ex libro Senecæ *de conſolatione.* De re verò tam incertâ nihil ſtatuendum eſt.

Contraque in laudibus, quæ magno animo, & fortiter excellenterque geſta ſunt, ea, neſcio quomodo, quaſi pleniore ore laudamus. Hinc rhetorum campus de Marathone, Salamine, Platæis, Thermopylis, Leuctris: hinc noſter Cocles, hinc Decii, hinc Cnæus & Publius Scipiones, hinc M. Marcellus, innumerabileſque alii: maximéque ipſe populus Romanus animi magnitudine excellit. Declaratur autem ſtudium bellicæ gloriæ, quòd ſtatuas quoque videmus ornatu ferè militari.

Sed ea animi elatio, quæ cernitur in periculis & laboribus, ſi juſtitiâ vacat, pugnatque non pro ſalute communi, ſed pro ſuis commodis, in vitio eſt: non enim modò id virtutis non eſt, ſed potiùs immanitatis omnem humanitatem repellentis. Itaque probè definitur à Stoicis fortitudo, cùm eam virtutem eſſe dicunt propugnantem pro æquitate. Quocirca nemo, qui fortitudinis gloriam conſecutus eſt inſidiis & malitia, laudem eſt adeptus: nihil enim honeſtum eſſe poteſt, quod juſtitiâ vacat. Præclarum igitur Platonis illud: *Non ſolùm*, inquit, *ſcientia, quæ eſt remota à juſtitia, calliditas potiùs, quàm ſapientia eſt appellanda; verùm etiam animus paratus ad periculum, ſi ſua cupiditate, non utilitate communi impellitur, audaciæ potiùs nomen habeat, quàm fortitudinis.* Itaque viros fortes & magnanimos, eoſdem bonos & ſimplices, XIX.

plices, veritatis amicos, minimèque fallaces eſſe volumus; quæ ſunt ex media laude juſtitiæ.

Sed illud odioſum eſt, quòd in hac elatione & magnitudine animi facillimè pertinacia & nimia cupiditas principatûs innaſcitur: ut enim apud Platonem eſt, [e] *omnem morem Lacedæmoniorum inflammatum eſſe cupiditate vincendi*; ſic, ut quiſque animi magnitudine maximè excellit, ita maximè vult princeps omnium, vel potiùs ſolus eſſe. Difficile autem eſt, cùm præſtare omnibus concupieris, ſervare æquitatem, quæ eſt juſtitiæ maximè propria. Ex quo fit, ut neque diſceptatione vinci ſe, nec ullo publico ac legitimo jure patiantur; exſiſtuntque in republica plerumque [f] largitores

(e) *omnem morem*] i. e. Lacedæmonios in omnibus ſuis moribus inflammatos eſſe cupiditate meliùs, quàm cæteri, faciendi id quód ipſis eſſet faciendum. Omnes MSi uno quaſi ore vocem *morem* proferunt: Jac. Gronovius tamen monuit legendum eſſe *moram* ——— *inflammatam*: quæ enim Latinis cohors, ea fuit *mora* Lacedæmoniis: de quâ ſic Corn. Nep. in. Iphicr. c. 2. *Hoc exercitu* moram *Lacedæmoniorum interfecit: quod maximè totâ celebratum eſt Græciâ.* Sic in nuperis editionibus Tuſc. diſp. ii. 15. legimus, *Noſtram dico, non Spartiatarum, quorum procedit* mora *ad tibiam*, &c. Urſino videtur Noſter reſpexiſſe ad verba Platonis in Lachete, ὅις ἐδὲν ἄλλο μέλει ἐν τῷ βίῳ ἤ τῦτο ζητεῖν καὶ ἐπιτηδεύειν, ὅ, τι ἂν μαθόντες καὶ ἐπιτηδεύσαντες πλεονεκτοῖεν τῶν ἄλλων περὶ πόλεμον: *quibus nihil aliud curæ eſt in vitá, quàm ut hoc quærant, & in hoc elaborent, cuicunque ſtudium ſuum & laborem adjunxerint, alios in pugna excellere.*

(f) *largitores & factioſi*] Eraſmus dicit vocem *largitores* in malo ſenſu uſurpatam, inuſitatam eſſe. Fortaſſe ſcripſit Cicero, *largitores factioſi*, deletâ copulâ.

tores & factioſi, ut opes quàm maximas conſequantur, & ſint vi potiùs ſuperiores, quàm juſtitia pares. [g] Sed quo difficilius, hoc præclarius: nullum eſt enim tempus quod juſtitiâ vacare debeat. Fortes igitur & magnanimi ſunt habendi, non qui faciunt, ſed qui propulſant injuriam. Vera autem & ſapiens animi magnitudo honeſtum illud, quod maximè naturam ſequitur, in factis poſitum, non in gloria judicat: principemque ſe eſſe mavult, quàm videri: etenim, qui ex errore imperitæ multitudinis pendet, hic [h] in magnis viris non eſt habendus. Facillimè autem ad res injuſtas impellitur, [i] ut quiſque eſt altiſſimo animo, & gloriæ cupiditate: qui locus eſt ſanè lubricus, quòd vix invenitur, qui, laboribus

(g) *Sed quo difficilius*] Sc. *cùm præſtare omnibus concupieris, ſervare æquitatem*: nam hæc verba ex præcedentibus hîc ſubintelligenda ſunt.

(h) *in magnis viris non eſt habendus*] Pro, in numero magnorum, Græco more; nequis reprehendat alibi lectum, *Eraſmus*.

(i) *ut quiſque eſt altiſſimo animo & gloriæ cupiditate*] Ordo verborum hic eſt: Ut quiſque eſt altiſſimo animo, facillimè impellitur ad res injuſtas & (i. e. etiam) gloriæ cupiditate. Simile quid dixerat in c. 8. *in maximis animis* —— *plerumque exiſtunt* —— *gloriæ cupiditates*; *quo magis cavendum eſt, ne quid in eo genere peccetur*. At hîc Cicero videtur potiùs ſcripſiſſe, *Facillimè autem ad res injuſtas impellitur, ut quiſque altiſſimo animo* eſt, *gloriæ cupiditate*: & hæc lectio invenitur in MSo Mead. ſec. MSi etiam Mead. pr. & duo Regii omittunt verbum *eſt* ante *altiſſimo*: & ſæpius in MSis confunduntur *eſt* & *et*: certè nihil opus eſt, ut duos treſve MSos audiamus habentes *&* *gloriæ cupidus*: vel ut cum Lambino locum audaciùs paulo immutante legamus *&* *gloriæ cupidiſſimo*.

boribus ſuſceptis periculiſque aditis, non quaſi mercedem rerum geſtarum deſideret gloriam.

XX. Omnino fortis animus & magnus duabus rebus maximè cernitur: quarum una in rerum externarum deſpicientia ponitur, cùm perſuaſum ſit, nihil hominem, niſi quod honeſtum decorumque ſit, aut admirari, aut optare, aut expetere oportere; nullique neque homini, neque perturbationi animi, nec fortunæ ſuccumbere. Altera eſt res, ut, cùm ita ſis affectus animo, ut ſupra dixi, res geras magnas illas quidem, & maximè utiles; ſed & vehementer arduas, plenaſque laborum & periculorum cum vitæ, tum multarum aliarum rerum, quæ ad vitam pertinent. Harum rerum duarum ſplendor omnis & amplitudo, addo etiam utilitatem, in poſteriore eſt: cauſſa autem & ratio efficiens magnos viros eſt in priore; in eo enim eſt illud, quod excellentes animos & humana contemnentes facit. Id autem ipſum cernitur in duobus; ſi & ſolum id, quod honeſtum ſit, bonum judices; & ab omni animi perturbatione liber ſis. Nam & ea, quæ eximia pleriſque & præclara videntur, parva ducere; eaque ratione ſtabili firmaque contemnere, fortis animi magnique ducendum eſt: & ea, quæ videntur acerba, (quæ multa & varia in hominum vita fortunaque verſantur) ita ferre, ut nihil à ſtatu naturæ diſcedas,

cedas, nihil à dignitate ſapientis, robuſti animi eſt magnæque conſtantiæ. Non eſt autem conſentaneum, qui metu non frangatur, eum frangi cupiditate; nec, qui invictum ſe à labore præſtiterit, vinci à voluptate. Quamobrem [a] & hæc videnda ſunt, & pecuniæ fugienda cupiditas: nihil enim eſt tam anguſti animi, tamque parvi, quàm amare divitias: nihil honeſtius magnificentiuſque quàm pecuniam contemnere, ſi non habeas; ſi habeas, ad beneficentiam liberalitatemque conferre. Cavenda eſt etiam gloriæ cupiditas, ut ſupra dixi: eripit enim libertatem, pro qua magnanimis viris omnis debet eſſe contentio. Nec vero imperia expetenda, ac potiùs aut non accipienda interdum, aut deponenda nonnumquam.

Vacandum autem eſt omni animi perturbatione, tum cupiditate & metu, tum etiam ægritudine & voluptate animi & iracundia; [b] ut tranquillitas animi & ſecuritas adſit, quæ affert cum conſtantiam, tum etiam

(a) *& hæc videnda*] Quidam cod. ſcripti habent *vitanda*: ſed *videre* hîc & alibi ſæpius eſt *cavere* ſive *vitare*: pro qua in proximâ periodo dicitur, *Cavenda eſt etiam gloriæ cupiditas.*

(b) *ut tranquillitas animi & ſecuritas*] Addidi vocem *animi* (quæ deeſt in vulgatis) auctoritate Victorii, & MSorum quatuor Reg. duorum Mead. & quinque Oxon. Eam verò in præcedentibus velim abeſſe, ut legatur *& voluptate & iracundia*; nam, cùm præceperet *omni animi perturbatione*, & inter alias ejus ſpecies *voluptas* numerata eſſet, non videtur repetenda fuiſſe vox *animi.* Eſt tamen, qui ibi legendum eſſe cenſuit, *& voluptate* nimia, *& iracundia*; ut in c. 29. habemus, *aut voluptate* nimiâ *geſtiunt.*

etiam dignitatem. Multi autem & ſunt & fuerunt, qui eam, quam dico, tranquillitatem expetentes, à negotiis publicis ſe removerint, ad otiumque perfugerint: in his & nobiliſſimi philoſophi longéque principes. Et quidam homines ſeveri & graves [c] nec populi nec principum mores ferre potuerunt: vixeruntque nonnulli in agris, delectati re ſua familiari. His idem propoſitum fuit, quod regibus, ut ne qua re egerent; ne cui parerent; libertate uterentur, cujus proprium eſt, ſic vivere ut velis.

XXI. Quare, cùm hoc commune ſit potentiæ cupidorum [d] cum iis, quos dixi, otioſis, alteri ſe adipiſci id poſſe arbitrantur, ſi opes magnas habeant; alteri, ſi contenti ſint [e] & ſuo & parvo. In quo neutrorum omnino contemnenda eſt ſententia: ſed & facilior & tutior, & minus aliis gravis aut moleſta, vita eſt otioſorum: fructuoſior autem hominum

(c) *nec populi nec principum*] Ex conjectura docti cujuſdam legamus, *qui nec populi nec principum*, &c.

(d) *cum iis, quos dixi, otioſis*] Ita MSi. Cant. Mill. & Reg. ſec. cum aliis: at Victorius, Editio Mogunt. & MSi Groning. duo Regii, duoque Mead. habent *cum iis quos dixi otioſos:* Male: Noſter enim eos non anteà dixerat *otioſos:* In vulgata lectione, quam tueor, verba *quos dixi* idem valent quod *de quibus dixi:* Sic in c. 21. *quam ſæpe dico,* i. e. de quâ ſæpe dico: c. 17. *præſidia vitæ debentur iis, quos ante dixi.* c. 20. *eam, quam dico, tranquillitatem expetentes:* & allbi ſæpe.

(e) *& ſuo & parvo*] Ex illo (ut videtur) Homerico, in Iliad. i. 167. ὀλιγόν τε φίλοντε: nam φίλος idem aliquando ſignificat, quod *meus*, *tuus*, &c. Vide notam meam ad Sect. x. Longini de Sublim.

——— φίλας ἀνὰ χεῖρας ἔχοντες.

minum generi, & ad claritatem amplitudinemque aptior, eorum, qui ſe ad rempublicam & ad res magnas gerendas accommodaverunt. Quapropter & iis forſitan concedendum ſit, rempublicam non capeſſentibus, qui excellente ingenio doctrinæ ſeſe dediderunt; & iis, qui aut valetudinis imbecillitate, aut aliqua graviore cauſſa impediti, à republica receſſerunt, cùm ejus adminiſtrandæ poteſtatem aliis laudemque concederent. Quibus autem talis nulla ſit cauſſa, ſi deſpicere ſe dicant ea, quæ plerique mirentur, imperia & magiſtratus; iis non modò non laudi, verùm etiam vitio dandum puto. Quorum judicium in eo, quòd gloriam contemnant & pro nihilo putent, difficile factu eſt non probare: ſed videntur labores & moleſtias tum offenſionum tum repulſarum, quaſi quandam ignominiam, timere, & infamiam. Sunt enim, qui in rebus contrariis parùm ſibi conſtent; voluptatem ſeveriſſimè contemnant, in dolore ſint molliores; gloriam negligant, frangantur infamia; atque ea quidem non ſatis conſtanter. Sed iis, qui habent à natura adjumenta rerum gerendarum, abjecta omni cunctatione, adipiſcendi magiſtratus, & gerenda reſpublica eſt: nec enim aliter aut regi civitas, aut declarari animi magnitudo poteſt. Capeſſentibus autem rempublicam, nihilo minùs quàm philoſophis, haud ſcio an magis etiam, & magnificen-

tia

tia & deſpicientia adhibenda ſit rerum (f) humanarum, & ea, quam ſæpe dico, tranquillitas animi atque ſecuritas: ſi quidem nec anxii futuri ſunt, & cum gravitate conſtantiaque victuri. Quæ eo faciliora ſunt philoſophis, quo minùs multa patent in eorum vita, quæ fortuna feriat; & quo minùs multis rebus egent; & quia, ſi quid adverſi eveniat, tam graviter cadere non poſſunt. Quocirca non ſine cauſſa majores motus animorum concitantur, majoraque efficienda rempublicam gerentibus, quàm quietis: quo magis his & magnitudo animi eſt adhibenda, & vacuitas ab angoribus.

Ad rem gerendam autem qui accedit, caveat, ne id modò conſideret, quàm illa res honeſta ſit; ſed etiam ut habeat efficiendi facultatem: in quo ipſo conſiderandum eſt, ne aut temere deſperet propter ignaviam, aut nimis confidat propter cupiditatem. In omnibus autem negotiis, prius quàm aggrediare, adhibenda eſt præparatio diligens.

Sed

(f) *humanarum*, & ea, *quam ſæpe dico*, &c.] Vulgò, *humanarum quam ſæpe dico*, & *tranquillitas animi*, &c. Sed Lambinum ſequor, qui ex quibuſdam vet. codicibus illam lectionem ſuam protulit. Vox *ea* neceſſaria videtur; ut hîc paulo antè Cicero dixerat, *cum* iis *quos dixi otioſis*: cap. 17. *præſidia vitæ debentur* iis *maximè, quos antè dixi*: cap. 20. *qui* eam, *quam dico, tranquillitatem expetentes*. Adde, quòd copula *&* videtur potiùs præponenda eſſe vocibus, *quam ſæpe dico*, quàm iis ſubjicienda: bis enim Cicero in præcedente capite *tranquillitatis animi* & *ſecuritatis* mentionem fecerat; ſemel in his verbis, *qui* eam, *quam dico, tranquillitatem expetentes*. Per voces *quam ſæpe dico* intellige *de qua ſæpe dico*, quod & in initio hujus capitis notavi.

Sed, cùm plerique arbitrentur res bellicas majores eſſe, quàm urbanas, minuenda eſt hæc opinio: multi enim bella ſæpe quæſiverunt propter gloriæ cupiditatem: atque id in magnis animis ingeniiſque plerumque contingit; eoque magis, ſi ſunt ad rem militarem apti, & cupidi bellorum gerendorum. Verè autem ſi volumus judicare, multæ res exſtiterunt urbanæ majores clarioreſque, quàm bellicæ: quamvis enim Themiſtocles jure laudetur, & ſit ejus nomen, quàm Solonis, illuſtrius; citeturque Salamis clariſſimæ teſtis victoriæ, quæ anteponatur conſilio Solonis ei, [g] quo primùm conſtituit Areopagitas; non minùs præclarum hoc, quàm illud, judicandum eſt: illud enim ſemel profuit, hoc ſemper proderit civitati: hoc conſilio leges Athenienſium, hoc majorum inſtituta ſervantur. [h] Et Themiſtocles quidem nihil dixerit, in quo ipſe Areopagum adjuverit: at ille verè, ab ſe XXII.

(g) *quo primùm conſtituit Areopagitas*] Cùm Euſebius ſcribat, Cecropem primum, qui urbem Athenarum condidit, Areopagum inſtituiſſe; dubium non eſt quin longo tempore hoc conſilium labefactatum, & Areopagitarum auctoritas imminuta fuerit, quam Solon reſtituit, & conſilium ipſum conſtituit. Sic in Bruto *leges & judicia conſtituta* dicit, non quæ tum primùm inſtituta fuerint, ſed quæ, bello civili ac tumultu labefactata & intermiſſa, eo tempore repetita & revocata *καθίςασιν ἔλαβον*. *Fabritius.*

(h) *Et Themiſtocles quidem nihil dixerit*] i. e. Themiſtocles nihil potuit dicere, nihil proferre à ſe geſtum factumque, in quo ipſe Areopagum adjuverit: at ille (Areopagus) potuit verè dicere, Themiſtoclem ab ſe eſſe adjutum.

ſe adjutum Themiſtoclem; eſt enim bellum geſtum conſilio ſenatûs ejus, qui à Solone erat conſtitutus. Licet eadem de Pauſania Lyſandroque dicere; quorum rebus geſtis quamquam [i] imperium Lacedæmonis dilatatum putatur, tamen ne minima quidem ex parte Lycurgi legibus & diſciplinæ [a] conferendi ſunt. Quinetiam ob has ipſas cauſſas & parentiores habuerunt exercitus, & fortiores. Mihi quidem neque, pueris nobis, M. Scaurus C. Mario, neque, cùm verſaremur in republica, Qu. Catulus Cn. Pompeio cedere videbatur: parvi enim ſunt foris arma, niſi eſt conſilium domi. Nec plus Africanus, ſingularis & vir & imperator, in exſcindenda Numantia reipublicæ profuit, quàm eodem

(i) *imperium Lacedæmonis dilatatum*] Vulgò legitur *Lacedæmoniis dilatatum*, quamvis diu hæc lectio doctis non parum diſplicuerit. Pro *dilatatum* Lambinus legebat *partum:* Gronov. pater *datum:* Gron. filius *delatum*, id eſt, comparatum. Ego verò Victorium ſequendum eſſe puto, qui *Lacedæmonis* edidit, non *Lacedæmoniis*; nam cum illâ voce bene conjungitur vox *dilatatum*, quæ tam moleſta videbatur, cùm voci *Lacedæmoniis* conjungeretur. *Lacedæmonis* ineſt etiam in MSo Mill. & excerptis Pithæanis. Senſus eſt, Eorum rebus geſtis imperium Lacedæmonis ſive Spartæ creditur fuiſſe ita auctum & amplificatum, ut non ſuis ſolùm civibus, ſed etiam aliis quibuſdam Græciæ civitatibus ipſa imperaret.

(a) *conferendi*] J. Walkero placuit *conferendæ*, ſc. res geſtæ. Sed retinenda eſt vox *conferendi*; ſequitur enim *paratiores habuerunt* (ſc. Pauſanias & Lyſander) *exercitus & fortiores.* Simile eſt illud in Tuſc. Diſp. i. 1. *illa, quæ natura, non literis aſſecuti ſunt, neque cum Græcia, neque ulla cum gente conferenda ſunt.* Vide etiam Notam meam ad Cic. de Orat. i. 44.

dem tempore [b] P. Naſica privatus, cùm Ti. Gracchum interemit. Quamquam hæc quidem res non ſolùm ex domeſtica eſt ratione; attingit etiam bellicam, quoniam vi manuque confecta eſt: ſed tamen id ipſum geſtum eſt conſilio urbano, ſine exercitu. Illud autem optimum eſt, in quod invadi ſolere ab improbis & invidis audio;

Cedant arma togæ, [c] *concedat laurea laudi.*

Ut

(b) *P. Naſica privatus*] Ideò tantùm *privatus* fuiſſe dicitur, quod nullum eo anno, quo T. Gracchum interemit, magiſtratum geſſit, cùm pluribus quidem antea functus eſſet. *Chapman.* Fuit tamen tunc temporis Pontifex maximus, cum Gracchum interemit: dicit enim Noſter in initio Or. cont. Catilin. 1. *An verò vir ampliſſimus P. Scipio, Pontifex maximus, Ti. Gracchum mediocriter labefactantem ſtatum reipublicæ privatus interfecit?*

(c) *concedat laurea laudi*] Sic MSi Palat. ſec. duo Gulielmii, totidem Grævii, itemque MSi Mead. pr. & duo Regii, codiceſque etiam Turnebi: magna verò pars MSorum habet *linguæ*; & de verâ lectione inter Criticos lis eſt. Ego quidem priori faveo, quia Cicero ſic ſcribit in Ep. ad Fam. xv. 6. *quem ego currum, aut quam lauream cum tuâ laudatione conferam?* ſed de hâc lectione ne quis dubitet, proferantur illa Ciceronis in Orat. in Piſonem c. 30. quibus hunc ſuum verſum memorat & defendit: quæ ad hoc hemiſtichium reſpiciunt, ſequuntur. *At in illo altero, inquit, hæres, concedat laurea laudi. Immo mehercule habeo tibi gratiam; hærerem enim, niſi tu me expediſſes: nam, cùm tu timidus ac tremens tuis ipſis furaciſſimis manibus detractam à cruentis faſcibus lauream ad portam Eſquilinam abjeciſti, indicâſti non modò ampliſſimæ, ſed etiam minimæ laudi lauream conceſſiſſe:* Ubi notandum eſt adjectiva *ampliſſimæ* & *minimæ* nullo modo cum lectione *linguæ* cohærere poſſe; optimè verò cum lectione *laudi*. Per *laudem* in utroque loco intellige honorificum ſenatûs de Ciceronis factis judicium, quale meruit ille Catilinariâ conjuratione feliciter oppreſſâ.

Ut enim alios omittam, nobis rempublicam gubernantibus, nonne togæ arma ceſſere? neque enim in republica periculum fuit gravius umquam, (d) nec majus otium: ita conſiliis diligentiaque noſtra celeriter de manibus audaciſſimorum civium delapſa arma ipſa ceciderunt. Quæ res igitur geſta umquam in bello tanta? qui triumphus conferendus? Licet enim mihi, Marce fili, apud te gloriari, ad quem & hereditas hujus gloriæ, & factorum imitatio pertinet. Mihi quidem certè vir abundans bellicis laudibus Cn. Pompeius, multis audientibus, hoc tribuit, ut diceret, (e) *fruſtra ſe triumphum tertium deportaturum fuiſſe, niſi, meo in rempublicam beneficio, ubi triumpharet eſſet habiturus.* Sunt igitur domeſticæ fortitudines non inferiores militaribus; in quibus plus

(d) *nec majus otium*] *Otium* quietem & tranquillitatem eam ſignificat, quæ oppreſſâ conjuratione Catilinariâ in republica fuit. Hoc vocabulum ex Or. Philip. xiii. 3. ſuſtulerunt; ubi Faërnus ex libro Vaticano reſtituit, *ſin otium incolumibus his eſſe nullum poteſt. Fabritius.*

Cicero etiam (notante Lambino) dicit in Or. Catil. iii. 7. *neque nos unquam, dum ille in urbe hoſtis fuiſſet, tantis periculis rempublicam, tanta pace, tanto otio, tanto ſilentio, liberaſſemus.* Adde quòd in iii. 1. de Off. ad hanc ipſam rem reſpiciens de ſe ſic dicit, *otio fruor, non illo quidem, quo debeat is, qui quondam peperiſſet otium civitati.* Non audiendi igitur ſunt ii, qui *odium* legunt, quamvis nonnulli aſſentiantur MSi.

(e) *fruſtra ſe triumphum*, &c.] Cicero ipſe videtur huic Pompeii dicto ortum dediſſe: dixerat enim in Or. contra Catilin. iv. 10. *niſi fortè majus eſt, patefacere nobis provincias, quò exire poſſimus, quàm curare, ut etiam illi, qui abſunt, habeant, quò victores revertantur.*

plus etiam, quàm in his, operæ ſtudiique ponendum eſt.

Omnino illud honeſtum, quod ex animo XXIII. excelſo magnificoque quærimus, animi efficitur, non corporis viribus. Exercendum tamen corpus, & ita afficiendum eſt, ut obedire conſilio rationique poſſit in exſequendis negotiis & in labore tolerando. Honeſtum autem id, quod exquirimus, totum eſt poſitum in animi cura & cogitatione: in quo non minorem utilitatem afferunt, qui togati reipublicæ præſunt, quàm qui bellum gerunt. Itaque eorum conſilio ſæpe aut non ſuſcepta, aut confecta bella ſunt, nonnumquam autem etiam illata; ut [f] M. Catonis bellum tertium Punicum, in quo etiam mortui valuit auctoritas. Quare expetenda quidem magis eſt decernendi ratio, quàm decertandi fortitudo: ſed cavendum, ne id bellandi magis fuga, quàm utilitatis ratione, faciamus. Bellum autem ita ſuſcipiatur, ut nihil aliud niſi pax quæſita videatur. Fortis verò & conſtantis eſt, non perturbari in rebus aſperis, nec tumultuantem de gradu dejici, ut dicitur; ſed præſenti animo uti & conſilio, nec à ratione diſcedere. Quamquam hoc animi, illud etiam ingenii magni eſt, [g] præcipere cogitatione

(f) *M. Catonis bellum*, &c.] i. e. M. Catonis conſilio bellum tertium Punicum fuit illatum.

(g) *præcipere cogitatione futura*] Omnes fere MSi & editiones veteres habent *percipere*; ſed Victorium ſequor, cui

tatione futura, & aliquanto antè conſtituere quid accidere poſſit in utramque partem; & quid agendum ſit, cùm quid evenerit; nec committere, ut aliquando dicendum ſit, *non putâram.* Hæc ſunt opera magni animi & excelſi, & prudentia conſilioque fidentis. Temere autem in acie verſari, & manu cum hoſte confligere, immáne quiddam & beluarum ſimile eſt: ſed, cùm tempus neceſſitaſque poſtulat, decertandum manu eſt, & mors ſervituti turpitudinique anteponenda.

XXIV. De evertendis autem diripiendiſque urbibus, valde conſiderandum eſt, ne quid temere, ne quid crudeliter; [h] idque eſt magni viri, rebus agitatis, punire ſontes, multitudinem conſervare, in omni fortunâ recta atque honeſta retinere: ut enim ſunt (quemadmodum ſupra dixi), qui urbanis rebus bellicas

cui aſſentiuntur MSi Mead. pr. Mill. & Reg. ſec. à primâ manu. Vox *præcipere* idem ſonat quod *præoccupare*, ut in Virg. Æn. vi. 105.

Omnia præcepi, atque animo mecum ante peregi.

Ne quis verò cenſeat potiùs legendum eſſe *percipere*, quia non neceſſe eſt, ut antecedat verbum ex *præ* compoſitum, cùm ſequatur vox *futura*; ſciat Ciceronem ſimili modo ſcripſiſſe in Divin. i. 31. *præſagire, id eſt, futura antè ſentire.*

(h) *idque eſt magni viri, rebus agitatis*] Ita Victorius: & MSi Norf. pr. duo Mead. quatuor Regii, cum Cant. habent vel *magni viri*, vel *viri magni*, quæ lectio melior eſt vel eâ, quam exhibent veteres quidam impreſſi libri *idque eſt viri magnis rebus*, &c. vel eâ, quam recentiores ferunt *idque eſt viri magnanimi, rebus agitatis*. Vult Cicero (inquit Grævius) virum magnum non temerè ad puniendum ruere, ſed expenſâ demum & animo diligenter volutatâ cauſſâ;

licas anteponant; ſic reperies multos, quibus periculoſa & [i] calida conſilia quietis & cogitatis ſplendidiora & majora videantur. Numquam omnino periculi fugâ committendum eſt, ut imbelles timidique videamur: ſed fugiendum etiam illud, ne offeramus nos periculis ſine cauſſa; quo nihil poteſt eſſe ſtultius. Quapropter in adeundis periculis conſuetudo imitanda medicorum eſt, qui leviter ægrotantes leniter curant; gravioribus autem morbis periculoſas curationes & ancipites adhibere coguntur. Quare in tranquillo tempeſtatem adverſam optare, dementis eſt; ſubvenire autem tempeſtati quovis ratione, ſapientis; eoque magis, ſi plus adipiſcare re explicatâ boni, quàm [a] addubitatâ mali. Periculoſæ autem rerum actiones partim iis ſunt, qui eas ſuſcipiunt, partim reipublicæ; itemque alii de vita, alii de gloria & benevolentia civium, in diſcrimen vocantur: [b] promtiores igitur debemus eſſe ad noſtra pericula, quàm ad communia; dimica-

cauſſâ; nam hoc eſt *agitare*; à quo *cogitare*, quaſi *coagitare*.

(i) *calida conſilia*] i. e. temeraria: Eandem loquendi formulam habet Livius in xxii. 24. *agitabantur pro ingenio ducis conſilia calidiora*: idem inveniet Lector in ejuſdem xxxii. 35. Sic etiam in Cic. Ep. ad Att. xv. 6. Hirtii verba ſunt, *per te exorentur, ne quod calidius incant conſilium*: & ipſius Ciceronis, cui *reſcripſi, nihil illos calidius cogitare*.

(a) *addubitatâ*] i. e. propter ſpem incerti exitûs omiſſâ. *Grævius*.

(b) *promtiores igitur debemus eſſe*] Promtiores debemus eſſe ad ea ſubeunda, quæ nobis periculoſa eſſe poſſint, quàm

dimicareque paratiùs de honore & gloria, quàm de cæteris commodis. Inventi autem multi ſunt, qui non modò pecuniam, ſed vitam etiam profundere pro patria parati eſſent; iidem gloriæ jacturam ne minimam quidem facere vellent, ne republica quidem poſtulante; ut Callicratidas, qui, cùm Lacedæmoniorum dux fuiſſet Peloponneſiaco bello, multaque feciſſet egregiè, vertit ad extremum omnia, cùm conſilio non paruit eorum, qui claſſem ab Arginuſis removendam, nec cum Athenienſibus dimicandum putabant. Quibus ille reſpondit, *Lacedæmonios, claſſe illa amiſſa, aliam parare poſſe; ſe fugere ſine ſuo dedecore non poſſe.* Atque hæc quidem Lacedæmoniis plaga mediocris: illa peſtifera, qua, cùm Cleombrotus invidiam timens temere cùm Epaminonda conflixiſſet, Lacedæmoniorum opes corruerunt. Quanto Qu. Maximus melius? de quo Ennius;

Unus homo nobis cunctando reſtituit rem:
Non ponebat enim rumores ante ſalutem.
[c] *Ergo poſtque, magiſque viri nunc gloria claret.*

Quod

quàm quæ Reipublicæ (quod contra fecit Callicratidas, de quo mox infrà): Ex communibus enim periculis plus damni, quia communia ſunt, oriturum eſt, quàm ex noſtris. *Fortitudo* (ait Noſter in ii. 84. de Orat.) *in periculis communibus jucunda eſt auditu in laudationibus.*

(c) *Ergo poſtque, magiſque* &c.] Ergo claret ejus viri gloria non modò poſt obitum, ſed màgis etiam quàm cùm viveret. *Manutius.*

Quod genus peccandi vitandum eſt etiam in rebus urbanis; ſunt enim qui, quod ſentiunt, etſi optimum ſit, tamen invidiæ metu non audent dicere.

Omnino, qui reipublicæ præfuturi ſunt, XXV. duo Platonis præcepta teneant: Unum, ut utilitatem civium ſic tueantur, ut, quæcunque agunt, ad eam referant, obliti commodorum ſuorum: alterum, ut totum corpus reipublicæ curent; ne, dum partem aliquam tuentur, reliquas deſerant; ut enim tutela, ſic procuratio reipublicæ ad utilitatem eorum, qui commiſſi ſunt, non ad eorum, quibus commiſſa eſt, gerenda eſt: qui autem parti civium conſulunt, partem negligunt, rem perniciosiſſimam in civitatem inducunt, ſeditionem atque diſcordiam; ex quo evenit, ut alii populares, alii ſtudioſi optimi cujuſque videantur, pauci univerſorum. Hinc apud Athenienſes magnæ diſcordiæ: in noſtra republica non ſolùm ſeditiones, ſed peſtifera etiam bella civilia: quæ gravis & fortis civis, & in republica dignus principatu, fugiet atque oderit; tradetque ſe totum reipublicæ, neque opes aut potentiam conſectabitur, totamque eam ſic tuebitur, ut omnibus conſulat. Nec verò criminibus falſis in odium aut invidiam quemquam vocabit: omninoque ita juſtitiæ honeſtatique adhæreſcet, ut, [d] dum eam

(d) *dum eam conſervet*] Ita Victor. edit. Mog. pr. & MSi tres Oxon. Reg. duo, Cant. Lambeth. & Mill. Vulgò *dum* ea

eam conſervet, [e] quamvis graviter offendat, mortemque oppetat potiùs, quàm deſerat [f] illa, quæ dixi. Miſerrima eſt omnino ambitio [g] honorumque contentio: de qua præclarè apud eundem eſt Platonem; *ſimiliter facere eos, qui inter ſe contenderent, uter potiùs rempublicam adminiſtraret, ut ſi nautæ certarent, quis eorum potiſſimùm gubernaret.* [h] Idemque præcipit, *ut eos adverſarios exiſtimemus, qui arma contra ſerant; non eos, qui ſuo judicio tueri rempublicam velint:* qualis fuit inter P. Africanum & Qu. Metellum ſine acerbitate diſſenſio. Nec verò audiendi, qui graviter iraſcendum inimicis putabunt, idque magna-

ea *conſervet*, ſc. Juſtitiam & Honeſtatem. Sed Ciceronianum magis eſt uti ſingulari numero, etiam cùm duæ ſint res, ad quas vox ſingularis numeri reſpiciat.

(e) quamvis *graviter offendat*] Victorius & Langius ediderunt *quemvis graviter offendat*. Sed MSi ferè omnes habent *quamvis*, pro *licet* vel *quamquam*: & nihil mutandum eſt, cùm *offendere* neutrali ſenſu ſæpiùs à Cicerone uſurpetur, ut in Orat. pro Cluent. c. 36. *quòd in eo genere, in quo ipſi* offendiſſent, *alios reprehendiſſent*: & alibi. *Quamvis graviter offendat* eo modo dicitur, quo in ii. 20. *cùm ipſi* quamvis *magnum aliquid acceperint*. Et de Oratore ii. 30. *ſi tu mihi* quamvis *eruditum hominem adduxeris*, &c. ſic dicitur etiam in præfat. Virg. Æn.

Ut quamvis *avido parerent arva colono.*

(f) *illa, quæ dixi.*] Sc. illa duo præcepta, de quibus Noſter in initio hujus capitis.

(g) *honorumque contentio*] Novè dixit, *contentionem honorum*, pro *contentionem ſuſceptam honorum gratiâ*: nam *honores* vocat Magiſtratus. *Eraſmus.*

(h) *Idemque præcipit*] Vulgò *præcepit*: ſed tempore præſenti opus eſt, quia proximè ſequitur, *ut eos adverſarios exiſtimemus*. Victorius & Lambinus habent *præcipit*, ut & MSi Mead. duo, Reg. duo, & Norf. pr.

magnanimi & fortis viri eſſe cenſebunt: nihil enim laudabilius, nihil magno & præclaro viro dignius placabilitate atque clementia. In liberis verò populis, & in juris æquabilitate, exercenda etiam eſt facilitas, [i] & altitudo animi, quæ dicitur; ne, ſi iraſcamur

(i) & *altitudo animi, quæ dicitur*] Nullo, ut opinor, ſano ſatis ſenſu hîc dicitur *altitudo animi:* qui enim faciles omnibus ſe præbent, humili & demiſſo magis ſunt, quàm *alto* animo: ſi per *altitudinem animi* intelligamus (ut nonnulli) βαθύτητα ſive profunditatem animi, quâ utitur ille, qui animi motus abdit & tegit, & quæ dicitur (Part. Or. c. 22.) videri *in capiendis incommodis, & maximè injuriis*; aliud quiddam dicet Cicero, quàm ſenſus loci videtur poſtulare: nam hæc animi affectio nihil habet conjunctum cum *facilitate*, cui tamen hîc copulatur. Corruptum igitur eſſe locum pronuntiare vix dubito: quem ſanare poterit is, qui cum MSo Linc. cum uno Manutiano, & uno Elienſi (quem memorat Daviſius in Not. ad Tuſc. diſp. v. 16.) legit, & lenitudo *animi, quæ dicitur*; ut in illo prædicto loco *Tuſc. diſp.* occurrit *lenitudo orationis:* Et huic lectioni favent ea, quæ Noſter mox dicit, in c. 31. *propterea quòd eorum vita lenior, & mores fuerant faciliores:* ubi, cùm *lenior* & *faciliores* conjungantur, ſatis patet cum *facilitate* hîc *lenitudinem* poſſe conjungi. Interim, ne quid Lectorem celem, dicendum eſt me, cùm cæteri MSi omnes habeant *altitudo*, ſuſpicari Ciceronem ſcripſiſſe *aptitudo*; quæ vox minùs à MSorum lectione recedit, & hujus loci ſenſui ſatis facit (Vide Not. ad iii. 29): *aptus* enim eſt, qui ſe aliorum moribus accommodat: Exemplo ſit iſtud Ciceronis in Ep. ad Fam. xii. 30. *O hominem, ſemper mihi quidem* aptum, *nunc verò etiam ſuavem.* Sic etiam Horatius loquitur in Serm. I. iii. 29.

Iracundior eſt paulo, minùs aptus *acutis*
Naribus horum hominum.

Et in Serm. II. v. 43.

—— ut patiens, ut amicis
aptus.

Vox *aptitudo*, fateor, non occurrit alibi apud Ciceronem: ſed multa ſunt, quæ in ejus ſcriptis novè aut ſemel dicta reperiuntur; cujus generis nonnulla Eraſmus in his libris notavit. Cur non igitur & huic verbo idem potuit contingere? Mihi quidem hîc videtur Cicero verbum non uſitatum

ſcamur aut intempeſtivè accedentibus, aut impudenter rogantibus, in moroſitatem inutilem & odioſam incidamus. Et tamen [a] ita probanda eſt manſuetudo atque clementia, ut adhibeatur reipublicæ cauſſâ ſeveritas, ſine qua adminiſtrari civitas non poteſt. Omnis autem & animadverſio & caſtigatio contumeliâ vacare debet; neque ad ejus, qui punitur aliquem, aut verbis caſtigat, ſed ad reipublicæ utilitatem referri. Cavendum eſt etiam, ne major pœna quàm culpa ſit; & ne iiſdem, de cauſſis alii plectantur, alii ne appellentur quidem. Prohibenda autem maximè eſt ira in puniendo: numquam enim, iratus qui accedit ad pœnam, mediocritatem illam tenebit, quæ eſt inter nimium & parum; quæ placet Peripateticis; [b] & rectè placet, modò ne laudarent iracundiam, & dicerent utiliter à natura datam: illa verò omnibus in rebus repudianda eſt; optandumque ut ii, qui præſunt

uſitatum protuliſſe, quia addit *quæ dicitur:* formula enim eſt ea dicendi, quæ dictionibus non uſu tritis ſoleat adhiberi. At doct. Chapmanno aliter ſanandum eſſe locum videtur. Vellem (inquit), *mollitudo*, eo ſenſu quo uſurpatur *mollitia* in Or. pro Sylla. c. 6. *qua mollitia ſum animi & lenitate:* aut quo *mollis* in Verr. i. 9. *in legem molliorem*; & pro Mil. c. 16. *molle, tenerum, flexibile:* aut denique, ne longiùs evagèmur, ut diſertè loquitur Cicero in re ſimili (de Orat. iii. 40.) *mollitudo humanitatis.* Quid mirum eſt, ſi in re tam incerta variæ ſint & diverſæ conjecturæ?

(a) *ita probanda eſt manſuetudo*] Senſus eſt; Licet probanda ſit manſuetudo & clementia, tamen ſeveritas adhibenda eſt, cùm Reipublicæ cauſſa poſtulet.

(b) *& rectè placet*] J. Walkeri conjectura eſt *& rectè placeret.*

ſunt reipublicæ, legum ſimiles ſint, quæ ad puniendum non iracundia, ſed æquitate ducuntur.

XXVI. Atque etiam in rebus proſperis, & ad voluntatem noſtram fluentibus, ſuperbiam, faſtidium, arrogantiamque magnopere fugiamus. Nam ut adverſas res, ſic ſecundas immoderatè ferre, levitatis eſt: præclaraque eſt æquabilitas in omni vita, & idem ſemper vultus eademque frons; ut de Socrate, itemque de C. Laelio accepimus. Philippum quidem, Macedonum regem, rebus geſtis & gloria ſuperatum à filio, facilitate & humanitate video ſuperiorem fuiſſe: itaque alter ſemper magnus, alter ſæpe turpiſſimus fuit: ut rectè præcipere videantur, qui monent, ut quanto ſuperiores ſumus, tantò nos geramus ſummiſſius. Panætius quidem Africanum, auditorem & familiarem ſuum, ſolitum ait dicere, *ut equos, propter crebras contentiones præliorum, ferocitate exſultantes domitoribus tradere ſoleant, ut his facilioribus poſſint uti; ſic homines ſecundis rebus effrenatos, ſibique præfidentes, tamquam in gyrum rationis & doctrinæ duci oportere, ut perſpicerent rerum humanarum imbecillitatem, varietatemque fortunæ.* Atque etiam in ſecundiſſimis rebus maximè eſt utendum conſilio amicorum, hiſque major etiam, quàm antè, tribuenda auctoritas. Iiſdemque temporibus cavendum eſt, ne aſſentatoribus patefaciamus

mus aures, [c] nec adulari nos ſinamus; in quo falli facile eſt; tales enim nos tunc putamus eſſe, ut jure laudemur: ex quo naſcuntur innumerabilia peccata, cum homines inflati opinionibus turpiter irridentur, & in maximis verſantur erroribus. Sed hæc quidem hactenus.

Illud autem ſic eſt judicandum, maximas geri res, & maximi animi, ab iis, qui reſpublicas regant; quòd earum adminiſtratio latiſſimè pateat, ad plurimoſque pertineat: eſſe autem magni animi, & fuiſſe multos, etiam in vita otioſa, qui aut inveſtigarent, aut conarentur magna quædam, ſeſeque ſuarum rerum finibus continerent; aut [d] interjecti inter philoſophos, & eos qui rempublicam adminiſtrarent, delectarentur re ſua familiari, non eam quidem omni ratione exaggerantes, neque excludentes ab ejus uſu ſuos; potiúſque & amicis impertientes & reipublicæ, ſi quando uſus eſſet: quæ

(c) *nec adulari nos ſinamus*] i. e. *nec ſinamus eos adulari nos*, ut vox *eos* ex præcedente voce *aſſentatoribus* eliciatur. Sunt tamen, qui paſſivè hîc accipiunt verbum *adulari*; & Cicero quidem uſus eſt activo verbo *adulo* (ſed pro more antiquo) in Tuſc. diſp. ii. 9.

——————*ſublime advolans*
Pinnatâ caudâ noſtrum adulat *ſanguinem*.

Et fortaſſe Lucretius etiam v. 1069. ubi de catulis ait,

Longè alio pacto gannitu vocis adulant.

(d) *interjecti inter philoſophos*, &c.] i. e. qui nec philoſophi erant, nec gubernatores Reipublicæ; ſed medii cujuſdam generis, & ad rem ſuam familiarem ſolùm in iſtâ vitâ privatâ attenti. De philoſophis dixerat in præcedente ſententia.

quæ primùm bene [e] parta ſit, nullo neque turpi quæſtu neque odioſo; tum quàm plurimis, modò dignis, ſe utilem præbeat; deinde augeatur ratione, diligentia, parſimonia; nec libidini potiùs luxuriæque, quàm liberalitati & [f] beneficentiæ pareat. Hæc præſcripta ſervantem licet magnificè, graviter, animoſéque vivere; atque etiam ſimpliciter, fideliter, vitæque hominum amicè.

[g] Sequitur, ut de una reliquâ parte honeſtatis dicendum ſit, in qua verecundia, & quaſi quidam ornatus vitæ temperantia & modeſtia, omniſque ſedatio perturbationum animi, & rerum modus cernitur. Hoc loco continetur id, quod dici Latinè decorum poteſt; Græcè enim πρέπον dicitur. Hujus vis ea eſt, ut ab honeſto non queat ſeparari: nam & quod decet honeſtum eſt, & quod honeſtum eſt decet. Qualis autem XXVII.

(e) *parta*] Ita Victorius, Manutius, & Gruterus; ita MSus Groning. & alii nonnulli. Vulgò *parata*; quæ, ſi vera eſt lectio, hìc idem valet, quod comparata & acquiſita: Vocibus *benè parta* contrariæ ſunt voces *malè parta*, de quibus Cicero in Or. Philip. ii. 27. *malè parta, malè dilàbuntur*.

(f) *beneficentiæ pareat*] Vulgò *pateat*, cui lectioni nihil habeo quod objiciam, niſi quòd editio Victorii, Mogunt. pr. Rom. pr. & aliæ pleræque veteres habent *pareat*: & hoc Gulielmio etiam & Grutero placuit. Eam vocem habent etiam MSi ferè omnes Oxon. quatuor Regii, Mead. duo, Mill. & Norf. pr. Ut hìc dicitur, *nec libidini potiùs —— quàm —— beneficentiæ pareat*; ita dicitur in Or. contra Verrem i. 31. *niſi id libidini tuæ cupiditatique paruerit*: Et de Fin. ii. 19. *ſi quis ſine teſte libidini* pareat.

(g) *Sequitur, ut de una reliquâ parte*] Ad quartam & ultimam partem Honeſti jam Cicero accedit, eamque tractat uſque ad finem c. 42.

tem differentia ſit honeſti & decori, faciliùs intelligi, quàm explanari poteſt; quidquid eſt enim, quod deceat, id tum apparet, cùm antegreſſa eſt honeſtatis. Itaque non ſolùm in hac parte honeſtas, de qua hoc loco diſſerendum eſt, ſed etiam in tribus ſuperioribus, quid deceat, apparet: nam & ratione uti atque oratione prudenter, & agere quod agas conſideratè, omnique in re quid ſit veri videre & tueri, decet: contraque falli, errare, labi, decipi tam dedecet, quàm delirare & mente eſſe captum: Et juſta omnia, decora ſunt; injuſta contra, ut turpia, ſic indecora. Similis eſt ratio fortitudinis: quod enim viriliter animoque magno fit, id dignum viro & decorum videtur; quod contra, id ut turpe, ſic indecorum.. Quare pertinet quidem ad omnem honeſtatem hoc, quod dico, decorum; & ita pertinet, ut non recondita quadam ratione cernatur, ſed ſit in promtu: eſt enim quiddam, idque intelligitur in omni virtute, quod deceat; quod cogitatione magis à virtute poteſt, quàm re ſeparari. Ut venuſtas & pulchritudo corporis ſecerni non poteſt à valetudine; ſic hoc, de quo loquimur, decorum totum illud quidem eſt cum virtute confuſum, ſed mente & cogitatione diſtinguitur. Eſt autem ejus deſcriptio duplex; nam & generale quoddam decorum intelligimus, quod in omni honeſtate verſatur; & aliud huic

ſubjectum

ſubjectum, quod pertinet ad ſingulas partes honeſtatis. Atque illud ſuperius ſic ferè definiri ſolet: Decorum id eſſe, quod conſentaneum ſit hominis excellentiæ, in eo, in quo natura ejus à reliquis animantibus differat. Quæ autem pars ſubjecta generi eſt, eam ſic definiunt, ut id decorum eſſe velint, quod ita naturæ conſentaneum ſit, ut in eo moderatio & temperantia appareat, [h] cum ſpecie quadam liberali.

Hæc ita intelligi, exiſtimare poſſumus ex XXVIII.
eo decoro, quod Poetæ ſequuntur; de quo alio loco plura dici ſolent. Sed tum ſervare illud poetas dicimus, quod deceat, cùm id, quod quaque perſona dignum eſt, & fit & dicitur: ut, ſi Æacus aut Minos diceret,

[i] *Oderint dum metuant*,---aut,
[a] *Natis ſepulchro ipſe eſt parens*,

indecorum

(h) *cum ſpecie quadam liberali*] i. e. cum quadam elegantiâ, qualis eſt hominum liberaliter educatorum, & liberalibus artibus imbutorum. *Grævius*.

(i) *Oderint dum metuant*] Hæc Ennii dicuntur eſſe in ii. 7.

(a) *Natis ſepulchro ipſe eſt parens*] Ex Accii fabulâ, *Atreus* vocatâ, hæc verba proferri videntur, quibus ibi Atreus jam voti compos utitur, & quæ ad Thyeſteas epulas reſpiciunt. Lambinus ex ſuis quibuſdam codicibus legendum cenſuit, *natis ſepulchro ipſe ſit parens*; quod & J. Fr. Gronovio valdè placuit, hæretque in MSis Bal. & Mag. At, qui legerit *ſit*, melius verſûs metro conſulet, ſi alium verborum ordinem ſervabit, *ſepulchro natis ipſe ſit parens*. Senſus eſt; pater, qui ſuorum natorum carnes ederit, ipſe eſt illis ſepulchrum. De Tereo apud Ovid. Met. vi. 665. dicitur,

Flet modo, ſeque vocat buſtum miſerabile nati.

G

indecorum videretur, quòd eos fuiſſe juſtos accepimus: at, Atreo dicente, plauſus excitantur; eſt enim digna perſonâ oratio. Sed poetæ, quid quemque deceat, ex perſona judicabunt: nobis autem perſonam impoſuit ipſa natura, [b] magna cum excellentia præſtantiaque animantium reliquarum. Quocirca poetæ, in magna varietate perſonarum, etiam vitioſis quid conveniat, & quid deceat, videbunt: nobis autem cùm à natura conſtantiæ, moderationis, temperantiæ, verecundiæ partes datæ ſint; cùmque eadem natura doceat non negligere, quemadmodum nos adverſùs homines geramus; efficitur, ut & illud, quod ad omnem honeſtatem pertinet, decorum, quàm latè fuſum ſit, appareat; & hoc, quod ſpectatur in unoquoque genere virtutis: Ut enim pulchritudo corporis aptâ compoſitione membrorum movet oculos, & delectat hoc ipſo, quod inter ſe omnes partes cum quodam lepore conſentiunt: ſic hoc decorum, quod elucet in vita, movet approbationem eorum, quibuſcum vivitur, ordine & conſtantia, & moderatione dictorum omnium atque factorum. [c] Adhibenda eſt igitur quædam reverentia, adverſùs homines, & optimi cujuſque

(b) *magna cum excellentia*, &c.] Non uſitato modo hæc dicuntur: ſenſus verò eſt; adeò ut multò excellentiores præſtantioreſque ſimus, quàm reliquæ animantes.

(c) *Adhibenda eſt*, &c.] i.e. in eo modo, quo nos adverſùs, vel erga, homines gerimus (ut paulo ante dicitur) adhibenda eſt quædam reverentia & optimi cujuſque, &c.

juſque & reliquorum: nam negligere quid de ſe quiſque ſentiat, non ſolùm arrogantis eſt, ſed etiam omnino diſſoluti. Eſt autem quod differat, in hominum ratione habenda, inter juſtitiam & verecundiam: juſtitiæ partes ſunt, non violare homines: verecundiæ, non offendere; in quo maximè perſpicitur vis decori. His igitur expoſitis, quale ſit id, quod decere dicimus, intellectum puto.

Officium autem, quod ab eo ducitur, hanc [d] primùm habet viam, [e] quæ deducit ad convenientiam conſervationemque naturæ; quam ſi ſequimur ducem, numquam aberrabimus; ſequemurque & [f] id quod acutum & perſpicax natura eſt; & [g] id quod ad hominum conſociationem accommodatum; & [h] id quod vehemens atque forte. Sed maxima vis decori in hac ineſt parte, de qua diſputamus: [i] neque enim ſolùm corporis, qui ad naturam

(d) *primùm*] Victorius, cum MSo. pr. Norf. & duobus Oxon. habet *primam*.

(e) *quæ deducit*, &c.] i. e. quæ efficit, ut naturæ convenienter vivamus; & eam ſequamur & quaſi conſervemus. Vide init. cap. 31.

(f) *id quod acutum*, &c.] ſc. quod nobis oſtendit Prudentia, prima pars Honeſtatis. *Grævius*.

(g) *id quod ad hominum*, &c.] ſc. in quo verſatur Juſtitia ſecunda ejuſdem pars. *Idem*.

(h) *id quod vehemens*, &c.] ſc. quod eſt Fortitudinis (tertiæ partis) in adeundis periculis, ſuſcipiendis laboribus, & offenſionibus ſubeundis. *Idem*.

(i) *neque enim ſolùm corporis*, &c.] Senſus eſt; non ſolùm motus corporis ſunt probandi, ut cognoſcamus, qui ſint ad naturam apti; ſed etiam, & multo etiam magis, motus animi ſunt probandi, ut cogno-

ram apti ſunt, ſed multo etiam magis animi motus probandi, qui item ad naturam accommodati ſunt. Duplex eſt enim [a] vis animorum atque naturæ: una pars in appetitu poſita eſt, quæ eſt ὁρμὴ Græcè, quæ hominem huc & illuc rapit: altera in ratione, quæ docet & explanat, quid faciendum fugiendumque ſit: ita ſit, ut ratio præſit, appetitus obtemperet.

XXIX. Omnis autem actio vacare debet temeritate & negligentia; [b] nec verò agere quidquam, cujus non poſſit cauſſam probabilem reddere: hæc eſt enim ferè deſcriptio officii. Efficiendum autem eſt, ut appetitus rationi obediant, eamque [c] neque præcurrant, nec propter

cognoſcamus, qui eorum item ad naturam accommodati ſunt.

(a) *vis animorum atque naturæ*] Lambinus legit *natura*, quod habet MSus Groning. quodque ideo probo, quia in *animo* magis propriè quam in *naturâ* dicuntur ineſſe *appetitus* & *ratio*, de quibus Noſter dicturus eſt. Sic in c. 36. *motus animorum duplices ſunt, alteri cogitationis, alteri appetitûs.*

(b) *nec verò agere quidquam*, &c.] Non alius eſt, qui præceſſerat, caſus nominativus, quàm *actio*; *actio* verò non ſatis accuratè dicitur *agere quidquam*: quocirca nonnulli ediderunt *nec verò agi quidquam*, ut nominativus caſus ſit *quidquam* & ſubintelligatur verbùm *debet*. Cum video MSos Groning. & Bodl. pr. habere in ſequentibus *poſſis*, non *poſſit*, ita ſanitati ſententiæ conſulendum eſſe conjicio, *nec verò agere* (ſubint. *debes*) *quidquam, cujus non poſſis cauſſam probabilem reddere.*

(c) *neque præcurrant.*] Victorius edidit *neque præcurrant propter temeritatem*: Hæ duæ poſtremæ voces abſunt quidem ab omnibus editionibus & codicibus ſcriptis, quos vidi; at ſententiæ huic accommodatiſſimæ videntur, ut meliùs reſpondeant ſequentibus *propter pigritiam aut ignaviam*. Sic enim Cicero in c. 21. *ne aut deſperet propter ignaviam, aut nimis confidat propter cupiditatem.*

propter pigritiam aut ignaviam deſerant; ſintque tranquilli, atque omni perturbatione animi careant; ex quo elucebit omnis conſtantia omniſque moderatio: nam, qui appetitus longiùs evagantur, &, tanquam exſultantes ſive cupiendo ſive fugiendo, non ſatis à ratione retinentur, hi ſine dubio finem & modum tranſeunt; relinquunt enim & abjiciunt obedientiam, nec rationi parent, cui ſunt ſubjecti lege naturæ: à quibus non modò animi perturbantur, ſed etiam corpora. Licet ora ipſa cernere iratorum, aut eorum, qui aut libidine aliqua, aut metu commoti ſunt, aut voluptate nimia geſtiunt; quorum omnium vultus, voces, motus, ſtatuſque mutantur. Ex quibus illud intelligitur (ut ad officii formam revertamur) appetitus omnes contrahendos ſedandóſque eſſe, excitandamque animadverſionem & diligentiam, ut ne quid temere ac fortuitù, inconſideratè negligenterque agamus. Neque enim ita generati à natura ſumus, ut ad ludum & jocum facti eſſe videamur; ſed ad ſeveritatem potiùs, & ad quædam ſtudia graviora atque majora. Ludo autem & joco uti illo quidem licet; ſed, ſicut ſomno & [d] quietibus cæteris, tum cùm gravibus

(d) *quietibus cæteris*] Rariſſimè vox *quietibus* occurrit in plurali numero: Notavit verò Fabritius Salluſtium in Catil. ſimiliter locutum eſſe. *Namque animus impurus, diis hominibuſque infeſtus, neque vigiliis, neque quietibus cæteris ſedari poterat.*

gravibus ſeriiſque rebus ſatisfecerimus. Ipſumque genus jocandi non profuſum nec immodeſtum, ſed ingenuum & facetum eſſe debet: ut enim pueris non omnem ludendi licentiam damus, ſed eam, quæ ab honeſtis actionibus non ſit aliena; ſic in ipſo joco aliquod probi ingenii lumen eluceat. Duplex omnino eſt jocandi genus: unum illiberale, petulans, flagitioſum, obſcœnum: alterum elegans, urbanum, ingenioſum, facetum: [e] quo genere non modò Plautus noſter, & [f] Atticorum antiqua comœdia, ſed etiam philoſophorum Socraticorum libri referti ſunt: multaque multorum facetè dicta; ut ea, quæ à ſene Catone collecta ſunt, quæ vocant ἀποφθέγματα. Facilis igitur eſt diſtinctio

(e) *quo genere non modò Plautus noſter*] Longè aliter de Plauto Horatius judicavit in Art. Poet. v. 270, &c.

At noſtri proavi Plautinos & numeros &
Laudavere ſales; nimium patienter utrumque,
Ne dicam ſtultè, mirati: ſi modo Ego & Vos
Scimus inurbanum lepido ſeponere dicto, &c.

(f) *Atticorum antiqua comœdia*] Scriptores veteris Comœdiæ (quorum principes erant Ariſtophanes, Eupolis, & Cratinus) ferè ex re turpi & obſcœnâ jocos petiiſſe à doctis notatum eſt: quod verò *obſcœnum* eſt, (docente ipſo Cicerone) eſt illiberale. Mirandum eſt igitur, cur illud jocandi genus his viris familiare hîc laudetur, ut *elegans*, & *urbanum*, &c. Aliud ſenſit Quinctil. in Inſt. Orat. x. 1. *Omnibus ferè verbis, præter pauca, quæ ſunt parùm verecunda, in oratione locus eſt: nam ſcriptores quidam Iamborum veteriſque Comœdiæ etiam in illis ſæpe laudantur: ſed nobis noſtrum opus interim tueri ſatis eſt. Quis non videt* (inquit Vavaſſor de ludic. dictione) *Comœdiam veterem nec ingenuitatem, nec ruborem, nec moderationem ullam præſtitiſſe, vel offenſione hominum, vel rerum turpitudine, vel verborum obſcœnitate vitandâ?*

ſtinctio ingenui & illiberalis joci; alter eſt, ſi tempore fit ac remiſſo animo, [g] libero dignus: alter ne homine quidem, ſi rerum turpitudini adhibetur verborum obſcœnitas. Ludendi etiam eſt quidam modus retinendus, ut [h] ne nimis omnia profundamus, elatique voluptate in aliquam turpitudinem delabamur. Suppeditant autem & campus noſter & ſtudia venandi, honeſta exempla ludendi.

Sed pertinet ad omnem officii quæſtionem ſemper in promtu habere, quantum natura hominis pecudibus reliquiſque beluis antecedat. XXX.

(g) *libero dignus: alter ne homine quidem*] Ita Aldi nepos, Lambinus, aliique; cùm vulgati libri, omneſque MSi, ordine verborum mutato, habeant, *homine dignus; alter ne libero quidem.* Mihi quidem ſatis perſuaſum eſt, Ciceronem ad priorem modum ſcripſiſſe: ineleganter enim dicitur, *ne libero quidem*, quaſi quid liceret *libero*, quòd *homini* non liceret. Sententiæ ratio poſtulat, ut ea vox, quæ latiùs pateat, in poſteriore loco collocetur; quæ verò arctior ſit, in priore: ſic in Or. iii. Philip. c. 5. *hunc civem Romanum, hunc liberum, hunc denique hominem putem?* ſic etiam in c. 24. de Amicit. *aſſentatio, quæ non modò amico, ſed ne libero quidem digna eſt.* Plures multò ſunt *liberi*, quàm *amici*: inſurgit igitur ſententia, cùm vox *amico* præcedat, *libero* ſequatur. Quocirca non dubitavi doctorum conjecturam hîc potiùs admittere, quàm MSorum futilem lectionem contra rationem amplecti.

(h) *ne nimis omnia profundamus*] Hunc locum corruptum eſſe docti ferè agnoſcunt. Hinc Langius putavit legendum eſſe *ne nimis profundamur*; aut, *ne nimis animo profundamur:* Lambinus verò *ne nimis* joca *profundamus.* Mihi potiùs videtur legendum, *ne nimis profundamur* (ſc. in ludum), *elatique voluptate in aliquam turpitudinem* omnino *delabamur.* Cenſeo vocem *omnino* (ſic in MSis oı̄o) ex ſequente linea huc invectam fuiſſe, & mutatam in vocem *omnia* ſive (ut MSi exhibent) oı̄a.

antecedat. Illæ nihil ſentiunt niſi voluptatem, ad eamque feruntur omni impetu: hominis autem mens diſcendo alitur & cogitando, ſemper aliquid aut anquirit aut agit, videndique & audiendi delectatione ducitur. Quinetiam, ſi quis eſt paullo ad voluptates propenſior, modò ne ſit ex pecudum genere (ſunt enim quidam homines non re, ſed nomine); ſed, ſi quis eſt paullo erectior, quamvis voluptate capiatur, occultat & diſſimulat appetitum voluptatis, propter verecundiam; ex quo intelligitur, corporis voluptatem non ſatis eſſe dignam hominis præſtantia, eamque contemni & rejici oportere: ſin ſit quiſpiam, qui aliquid tribuat voluptati, diligenter ei tenendum eſſe ejus fruendæ modum. Itaque victus cultuſque corporis ad valetudinem referatur, & ad vires, non ad voluptatem. Atque etiam ſi conſiderare volumus, quæ ſit in natura excellentia & dignitas, intelligemus quàm ſit turpe diffluere luxuria, & delicatè ac molliter vivere; quámque honeſtum parcè, continenter, ſeverè, ſobriè.

Intelligendum eſt etiam, duabus quaſi nos à natura indutos eſſe perſonis: quarum una eſt communis, ex eo quòd omnes participes ſumus rationis præſtantiæque ejus, qua antecellimus beſtiis; à qua omne honeſtum decorumque trahitur, & ex qua ratio inveniendi officii exquiritur: Altera autem, quæ propriè ſingulis eſt tributa: ut enim in

corporibus magnæ diſſimilitudines ſunt (alios enim videmus velocitate ad curſum, alios viribus ad luctandum valere; itemque in formis aliis dignitatem ineſſe, aliis venuſtatem) ſic in animis exſiſtunt majores etiam varietates. Erat in L. Craſſo & in L. Philippo multus lepos: major etiam, magiſque de induſtria, in C. Cæſare, L. filio: at iiſdem temporibus in M. Scauro & in M. Druſo adoleſcente ſingularis ſeveritas: in C. Lælio multa hilaritas; in ejus familiari Scipione ambitio major, vita triſtior. De Græcis autem, dulcem & facetum, feſtivique ſermonis, atque [i] in omni oratione diſſimulatorem, quem εἴρωνα Græci nominaverunt, Socratem accepimus: contra, Pythagoram & Periclem ſummam auctoritatem conſecutos ſine ulla hilaritate. Callidum Hannibalem ex Pœnorum; ex noſtris ducibus Q. Maximum accepimus; facile celare, tacere, diſſimulare, inſidiari, præcipere hoſtium conſilia. In quo genere Græci Themiſtoclem

(i) *in omni oratione diſſimulatorem*] Vulgò *ſimulatorem:* ſed Lambini conjecturam in textum adduxi, quia aliud quid ſignificat *ſimulare*, aliud *diſſimulare*: quod in uſu trito verſu ſic notatur,

Quod non eſt, ſimulo; diſſimuloque, *quod eſt*.

Quibus prioribus verbis adſtipulatur Horatius, cùm dicit in Serm. ii. 7. 56.

Non ès, quod ſimulas.

Notum verò eſt Socratis morem fuiſſe, id quod ſciret, præ ſe ferre non ſcire, quod propriè eſt *diſſimulare*. Nec aliter Cicero in ii. 67. de Orat. *Socratem opinor in hâc ironiâ diſſimulantiâque longè lepore & humanitate omnibus præſtitiſſe:* & in Acad. iv. 5. *cùm aliud diceret Socrates atque ſentiret, libenter uti ſolitus eſt eâ diſſimulatione, quam Græci εἰρωνείαν vocant.*

Themiſtoclem & Pheræum Jaſonem cæteris anteponunt: in primiſque verſutum & callidum factum Solonis, qui, quo & tutior vita ejus eſſet, & plus aliquanto reipublicæ prodeſſet, furere ſe ſimulavit. Sunt his alii multùm diſpares, ſimplices & aperti; qui nihil ex occulto, nihil ex inſidiis agendum putant, veritatis cultores, fraudis inimici: itemque alii, qui quidvis perpetiantur, cuivis deſerviant, dum quod velint, conſequantur; [a] ut Syllam & M. Craſſum videbamus: quo

(a) *ut Syllam & M. Craſſum videbamus:*] Ita Victorius, editiones Mog. & Rom. omneſque MSi, ſi excipias unum Grævii, qui ex eo edidit, *ut* Syllæ *M. Craſſum videbamus:* nuſquam enim (dicit) ſcriptum eſt, *Syllam* alios coluiſſe, & ſervili obſequio dignitates meruiſſe. At non opus eſt, ut præcedentia *cuivis deſerviant* de homine intelligantur, cùm de re dici poſſint. Sic in Lactant. Div. Inſt. ii. 5. dicitur, *legibus officiiſque deſerviunt*, & ib. iv. 16. *ſcientes memoriæ mortuorum deſerviunt.* Eſto autem verum, verbum *cuivis* ſignificare, Syllam in eorum numero fuiſſe, qui hominibus deſervirent, ſui commodi cauſſâ; at contra Grævium audiendus eſt Maturantius, qui dicit Syllam, cùm eſſet nobiliſſimus & Romanus, Quæſtorem tamen Marii Arpinatis & novi hominis ſe fieri ſuſtinuiſſe: Eundemque, cùm Præturam petiiſſet, & repulſam paſſus eſſet, non dubitaviſſe populo ſe ſubjicere, & largitione uti, donec ſequente anno, habitis rurſum Comitiis, conſecutus eſſet, quod optabat: Eundemque occiſo Pompeio filio atque ipſius genero, in eo tumultu, quem P. Sulpitius concitaverat, ſeſe ſubjeciſſe exercitui, ut commiſeratione commotum contra Marium concitaret. Hæc Maturantius hauſit ex Plutarcho (in vitâ Syllæ), qui refert etiam Syllam ſolitum eſſe, θεραπεύειν ὧν δέοιτο, &c. *ſtudiosè colere eos, qui ipſi opus eſſent; moroſum verò eſſe iis, quibus ipſe opus eſſet: adeò ut incertum fuit, num faſtidioſus naturâ, an aſſentator eſſet.* De eodem Vell. Paterculus ii. 25. *potitus eorum, dimiſit incolumes; credo, ut in eodem homine duplicis ac diverſiſſimi animi exemplum conſpiceretur.* Vide etiam quæ de illo dicit Salluſtius in Bell. Jugurth.

quo in genere verſutiſſimum & patientiſſimum Lacedæmonium Lyſandrum accepimus; [b] contraque Callicratidam, qui præfectus claſſis proximus poſt Lyſandrum fuit. [c] Itemque in ſermonibus alium quemque, quamvis præpotens ſit, efficere, ut unus de multis eſſe videatur: quod in Catulo, & in patre & in filio; itemque in Q. Mutio Mancia vidimus. Audivi ex majoribus natu hoc idem fuiſſe in P. Scipione Naſica; contraque, patrem ejus, illum, qui T. Gracchi conatus perditos [d] vindicavit, nullam comitatem habuiſſe ſermonis: ne Xenocratem quidem, ſeveriſſimum philoſophorum; ob eamque rem ipſam magnum clarumque fuiſſe. Innumerabiles aliæ diſſimilitudines ſunt naturæ, morumque, minimè tamen vituperandorum.

XXXI. Admodum autem tenenda ſunt ſua cuique, non vitioſa, ſed tamen propria, quo faciliùs decorum illud, quod quærimus, retineatur.

(b) *contraque Callicratidam*] ſc. qui minimè patiens calida & feſtinata conſilia ſequi ſolebat. Exemplum habet Lector in c. 24.

(c) *Itemque in ſermonibus alium quemque, quamvis*, &c.] Si ſatis Latinè dici poſſit *alium quemque*, certè nullo ſenſu huic loco accommodato. Quapropter Grævius cenſuit delendum eſſe *quemque*, quocum facit MSus Mag. At ne ſic quidem omnem mendam videtur ſuſtuliſſe: nihil enim habet vox *alium* aut in præcedentibus aut in ſequentibus ad quod referri poſſit, aut quod ipſi reſpondeat. Lego igitur, *Itemque in ſermonibus aliquem, quamvis* &c. & ſubintelligo *videmus*, quod ex *vidimus* in fine ſententiæ commodè elici poſſit.

(d) *vindicavit*] i. e. punivit, pœnâ affecit: ſic in iii. 17. *jus civile fraudem malitiamque vindicat:* & alibi ſæpius.

tineatur. Sic enim eſt faciendum, ut contra univerſam naturam nihil contendamus; ea tamen conſervata, propriam naturam ſequamur: ut, etiam ſi ſint alia graviora atque meliora, [e] tamen nos ſtudia noſtræ naturæ regula metiamur: neque enim attinet repugnare naturæ, nec quidquam ſequi, quod aſſequi non queas. Ex quo magis emergit, quale ſit decorum illud, ideo, quia nihil decet *invitâ* (ut aiunt) *Minervâ*, id eſt, adverſante & repugnante natura. Omnino ſi quidquam eſt decorum, nihil eſt profectò magis, quàm æquabilitas univerſæ vitæ, tum ſingularum actionum; quam conſervare non poſſis, ſi aliorum naturam imitans omittas tuam: ut enim ſermone eo debemus uti, qui notus eſt nobis, ne, ut quidam, Græca verba inculcantes jure optimo irrideamur; ſic in actiones omnemque vitam nullam diſcrepantiam conferre debemus. Atque hæc differentia naturarum tantam habet vim, ut nonnumquam [f] mortem ſibi ipſe conſciſcere alius debeat, alius in eadem cauſſa non debeat.

(e) *tamen nos ſtudia* noſtræ *naturæ regulâ metiamur*] Editiones Mog. & Leodeg. à Quercu, itemque MSi Mead. pr. Reg. ſec. & quartus, Mill. Groning. & quinque Oxon. habent *noſtræ*, quod vulgatæ lectioni *noſtra* præferendum videtur, quia non cujuſcunque aut univerſæ naturæ, ſed *noſtræ* ſeu nobis propriæ regulâ ſtudia noſtra metienda ſunt.

(f) *mortem ſibi ipſe conſciſcere alius debeat*] Hoc & quæ de Catonis morte Noſter dicit in ſequentibus, ex amicitiâ potiùs quàm judicio credas dicta. Saniore utitur ſententiâ in c. 3. Somn. Scip. *Niſi Deus is* (ait), *cujus eſt hoc templum omne quod conſpicis, iſtis te corporis cuſtodiis*

debeat. Num enim alia in cauſſa M. Cato fuit, alia cæteri, qui ſe in Africa Cæſari tradiderunt? Atqui cæteris forſitan vitio datum eſſet, ſi ſe interemiſſent, propterea quòd eorum vita lenior, & mores fuerant faciliores: Catoni autem cùm incredibilem tribuiſſet natura gravitatem, eamque ipſe perpetua conſtantia roboraviſſet, ſemperque in propoſito ſuſceptoque conſilio permanſiſſet, moriendùm potiùs, quàm tyranni vultus adſpiciendus fuit. Quàm multa paſſus eſt Ulyſſes in illo errore diuturno, cùm & mulieribus (ſi Circe & Calypſo mulieres appellandæ ſunt) inſerviret, & in omni ſermone omnibus affabilem & jucundum ſe eſſe vellet? domi verò etiam contumelias ſervorum ancillarumque pertulit, ut ad id aliquando, quod cupiebat, perveniret. At Ajax, quo animo traditur, millies oppetere mortem, quàm illa perpeti maluiſſet. Quæ contemplantes expendere oportebit, quid quiſque habeat ſui; eaque moderari, nec velle experiri,

ſtodiis liberavit, in cœlum aditus tibi patere non poteſt: Et, *piis omnibus retinendus eſt animus in cuſtodia corporis; nec injuſſu ejus, à quo ille eſt vobis datus, ex hominum vita migrandum eſt, ne munus humanum aſſignatum à Deo defugiſſe videamini.* Nec aliter idem in Tuſc. diſp. i. 30. *Vetat dominans ille in nobis Deus, injuſſu hinc nos ſuo demigrare.* Quod verò ille in iſto loco fingit, *Deum ipſum Catoni juſtam cauſſam moriendi dediſſe,* id nos ſatis docet, Ciceronem potiùs voluiſſe, quàm potuiſſe Catonis voluntariam mortem defendere; cùm tam diverſis argumentis nitatur, quales ſunt *gravitas & conſtantia* Catonis hîc memorata, & *cauſſa moriendi ipſi à Deo data,* quam ibi in Tuſc. diſp. nullâ ratione adhibitâ ſuggerit.

periri, quàm ſe aliena deceant: id enim maximè quemque decet, quod eſt cujuſque ſuum maximè. Suum igitur quiſque noſcat ingenium, acremque ſe & bonorum & vitiorum ſuorum judicem præbeat; ne ſcænici plùs qùam nos videantur habere prudentiæ: illi enim non optimas, ſed ſibi accommodatiſſimas fabulas eligunt; qui voce freti ſunt, Epigonos, Medumque; qui geſtu, Menalippam, Clytæmneſtram; ſemper Rutilius, quem ego memini, Antiopam; non ſæpe Æſopus Ajacem. Ergo hiſtrio hoc videbit in ſcæna, non videbit vir ſapiens in vita? Ad quas igitur res aptiſſimi erimus, in iis potiſſimùm elaborabimus; ſin aliquando neceſſitas nos ad ea detruſerit, quæ noſtri ingenii non erunt; omnis adhibenda erit cura, meditatio, diligentia, ut ea, ſi non decorè, at quàm minimè indecorè facere poſſimus: nec tam eſt enitendum, ut bona, quæ nobis data non ſint, ſequamur, quàm ut vitia fugiamus.

XXXII. Ac duabus iis perſonis, quas ſupra dixi, tertia adjungitur, quam caſus aliquis aut tempus imponit: quarta etiam, quam nobiſmet ipſi judicio noſtro accommodamus. Nam regna, imperia, nobilitates, honores, divitiæ, opes, eaque, quæ ſunt his contraria, in caſu ſita, temporibus gubernantur: ipſi autem gerere quam perſonam velimus, à noſtra voluntate proficiſcitur: itaque ſe alii ad philoſophiam, alii ad jus civile, alii ad eloquen-

eloquentiam applicant: ipſarumque virtutum in alia alius mavult excellere. Quorum verò patres aut majores aliqua gloria præſtiterunt, ii ſtudent plerumque eodem in genere laudis excellere: ut Q. Mutius Publii filius in jure civili; [g] Pauli filius Africanus in re militari. Quidam autem ad eas laudes, quas à patribus acceperunt, addunt aliquam ſuam: ut hic idem Africanus eloquentia cumulavit bellicam gloriam: quod idem fecit Timotheus Cononis filius; qui, cùm belli laude non inferior fuiſſet, quàm pater, ad eam laudem doctrinæ & ingenii gloriam adjecit. Fit autem interdum, ut nonnulli, omiſſa imitatione majorum, ſuum quoddam inſtitutum conſequantur: maximéque in eo plerumque elaborant ii, qui magna ſibi proponunt obſcuris orti majoribus. Hæc igitur omnia, cùm quærimus, quid deceat, complecti animo & cogitatione debemus.

In primis autem conſtituendum eſt, quos nos & quales eſſe velimus, & in quo genere vitæ: quæ deliberatio eſt omnium difficillima: ineunte enim adoleſcentia, cùm eſt maxima imbecillitas conſilii, tum id ſibi quiſque genus ætatis degendæ conſtituit, quod maximè adamavit: itaque antè implicatur aliquo certo genere curſuque vivendi, quàm potuit,

(g) *Pauli filius*, &c.] Sc. is Scipio Africanus, Pauli Æmylii filius, quem adoptavit filius ſuperioris Africani, ut dicitur in cap. 33.

potuit, quid optimum eſſet, judicare. Nam quod [h] Herculem Prodicium dicunt, ut eſt apud Xenophontem, cùm primùm pubeſcecret (quod tempus à natura ad deligendum, quam quiſque viam vivendi ſit ingreſſurus, datum eſt), exiſſe in ſolitudinem, atque ibi ſedentem, diu ſecum multumque dubitaſſe, cùm duas cerneret vias, unam Voluptatis, alteram Virtutis, utram ingredi melius eſſet: hoc Herculi, [i] Jovis ſatu edito, potuit fortaſſe contingere; nobis non item, qui imitamur, quos cuique viſum eſt, atque ad eorum ſtudia inſtitutaque impellimur. Plerumque autem, parentium præceptis imbuti, ad eorum conſuetudinem moremque deducimur: alii multitudinis judicio feruntur, quæque majori parti pulcherrima videntur, ea maximè exoptant: nonnulli tamen, ſive felicitate quadam, ſive bonitate naturæ, ſive parentium diſciplina, rectam vitæ ſecuti ſunt viam.

Illud

(h) *Herculem Prodicium*] Xenophon hanc hiſtoriam ſcripſit in lib. iii. memorab. auctoritate uſus Prodici Philoſophi, qui de Hercule præclarum opus edidit. *Maturantius.* Dicitur *Hercules Prodicius*, ut in Ep. ad fam. v. 12. *Hercules Xenophonteus.*

(i) *Jovis ſatu edito*] Multùm diſſident hîc MSi in re non dubiâ: ſequor verò lectionem MSS. Mill. Mead. pr. Reg. quart Mert. ſec. Grævii pr. & Laud. in marg. ſic enim alibi Noſter loquitur; ut in libro de Univ. c. ii. *Oceanum Salaciamque Cœli* ſatu *Terræque conceptu generatos* editoſque *memoremus.* Nec aliter ferè ibi paulò poſtea, *Vos, qui Deorum ſatu orti eſtis.* Et in Tuſc. diſp. ii. 8. *una vecors Jovis partu* edita. Ex poetis videtur traxiſſe hanc loquendi formulam, *editus ſatu Jovis.* Nonius in voce *ſatu* dicit eam poſitam eſſe pro *ſemine.*

Illud autem maximè rarum genus eſt eorum, qui aut excellente ingenii magnitudine, aut præclara eruditione atque doctrina, aut utraque re ornati, ſpatium etiam deliberandi habuerunt, quem potiſſimum vitæ curſum ſequi vellent: in qua deliberatione ad ſuam cujuſque naturam conſilium eſt omne revocandum: nam, cùm in omnibus, quæ aguntur, ex eo modo, quo quiſque natus eſt (ut ſupra dictum eſt), quid deceat, exquirimus; tum in tota vita conſtituenda multo eſt major [a] rei cura adhibenda, ut conſtare in vitæ perpetuitate poſſimus nobiſmet ipſi, nec in ullo officio claudicare. Ad hanc autem rationem quoniam maximam vim natura habet, fortuna proximam, utriuſque omnino ratio habenda eſt in deligendo genere vitæ; ſed naturæ magis: multo enim & firmior eſt & conſtantior; [b] ut fortuna nonnumquam, tamquam ipſa mortalis, cum immortali naturâ pugnare videatur. Qui igitur ad naturæ ſuæ XXXIII.

non

(a) *rei*] Hæc vox abeſt à Langii editione: ſed opinor Ciceronem ſcripſiſſe *ei*, i. e. ei modo quo quiſque natus eſt, ut in præcedentibus dixerat. Litera *r* voci *ei* videtur adhæſiſſe mendosè ex finali litera vocis *major*.

(b) ut *fortuna nonnumquam, tamquam ipſa mortalis*, &c.] Conjunctio *ut* idem hîc valet quod *ita ut*, vel *adeo ut:* ſenſuſque loci hujuſmodi eſt; Quoties fortuna cum naturâ (ut fit aliquando) pugnat, videtur impari congreſſu pugnare, quaſi mortalis cum immortali contenderet. In Ciceron. de Senect. c. 2. ſimile quid occurrit, *Quid eſt aliud, gigantum modo pugnare cum diis, niſi naturæ repugnare?*

non vitioſæ genus conſilium vivendi omne contulerit, is conſtantiam teneat (id enim maximè decet), niſi fortè ſe intellexerit erraſſe in deligendo genere vitæ. Quod ſi acciderit (poteſt autem accidere), facienda morum inſtitutorumque mutatio eſt. Eam mutationem ſi tempora adjuvabunt, faciliùs commodiùſque faciemus: ſin minùs, ſenſim erit pedetentimque facienda; ut amicitias, quæ minùs delectent & minùs probentur, magis decere cenſent ſapientes ſenſim diſſuere, quàm repente præcidere. Commutato autem genere vitæ, omni ratione curandum eſt, ut id bono conſilio feciſſe videamur. Sed quoniam paullo ante dictum eſt, imitandos eſſe majores; primùm illud exceptum ſit, ne vitia ſint imitanda; deinde, ſi natura non feret, (c) ut quædam imitari poſſint (ut ſuperioris Africani filius, qui hunc Paulo natum adoptavit, propter infirmitatem valetudinis non tam potuit patris ſimilis eſſe, quàm ille fuerat ſui); ſi igitur non poterit ſive cauſſas defenſitare, ſive populum concionibus tenere, ſive bella gerere; illa tamen præſtare debebit, quæ erunt in ipſius poteſtate, juſtitiam, fidem, liberalitatem, modeſtiam, temperantiam; quo minùs ab eo id, quod deſit, requiratur.

(c) *ut quædam imitari poſſint*] Fortè *poſſit*: ſequitur enim (Parentheſi finita) in poſteriore ſententiæ parte, *ſi igitur non poterit*: Et paulo antè uſus fuerat Cicero tertiâ perſonâ, *Qui ad naturæ ſuæ non vitioſum genus vivendi conſilium omne contulerit, is conſtantiam teneat*, &c.

tur. Optima autem hereditas à patribus traditur liberis, omnique patrimonio præſtantior, gloria virtutis rerumque geſtarum; cui dedecori eſſe, [d] nefas & vitium judicandum eſt.

Et quoniam officia non eadem diſparibus ætatibus tribuuntur, aliaque ſunt juvenum, alia ſeniorum; aliquid etiam de hac diſtinctione dicendum eſt. Eſt igitur adoleſcentis majores natu vereri, [e] exque his deligere optimos & probatiſſimos, quorum conſilio atque auctoritate nitatur: [f] ineuntis enim ætatis XXXIV.

(d) *nefas* & vitium *judicandum eſt*] Ita omnes MSi, exceptis Pal. pr. & Grævii pr. qui habent *impium*, quam vocem ideo Grævius in textum intulit, quòd *vitium* (ut ait) eſt infra *nefas*: nec aliter video Noſtrum locutum eſſe in ii. 14. *modò ne* nefarium impiumque *defendere*. At non neceſſe eſt, ut ob eam cauſſam rejiciatur vox *vitium*: *nefas* enim, ſi originem vocis ſpectes, nihil aliud ſonat, quàm *quod fas non eſt*: ergo *nefas* dici poteſt aliquando eſſe etiam infra *vitium*. Hoc videtur ſenſu vocis dixiſſe Horatius in Carm. I. iii. 26.

Gens humana ruit per vetitum nefas.

Et Cicero in c. 5. de ſenect. *profectò videtis*, nefas *eſſe dictu, miſeram fuiſſe talem ſenectutem*.

(e) *exque his*] Potiùs *ex iiſque* vel *ex hiſque*, quod poſterius habent MSi Mead ſec. & Mill.

(f) *ineuntis enim ætatis* inſcitia] Ita Vict. omneſque ferè codices MSi, cum editionibus veteribus. Recentiores verò editiones habent *inſcientia*; ſed non opus fuit, ut vox immutaretur contra tot MSorum fidem: *Inſcitia* enim hîc de iis dicitur, qui in rebus gerendis rudes & ignari ſunt: Non diſſimile eſt id, quod paulo infra in c. 40. occurrit, *at hoc idem ſi in convivio faciat, inhumanus videatur* inſcitia *temporis*. Sic etiam in i. 22. de Orat. legimus, *earum rerum, quæ quaſi in arte traduntur*, inſcitiâ. Adde Horat. Serm. ii. 3.

Quem mala ſtultitia, aut quæcunque inſcitia *veri Cæcum agit*.

Nonius etiam in verbo *conſtituere* hunc locum ſic citavit, *ineuntis enim ætatis inſcitia*, &c.

282080

ætatis inſcitia ſenum conſtituenda & regenda prudentiâ eſt. Maximè autem hæc ætas à libidinibus arcenda eſt, exercendaque [g] in labore, patientiaque & animi & corporis; ut eorum & in bellicis & in civilibus officiis vigeat induſtria. Atque etiam, cùm relaxare animos, & dare ſe jucunditati volent, caveant intemperantiam, meminerint verecundiæ: quod erit facilius, ſi in ejuſmodi quidem rebus majores natu velint intereſſe. Senibus autem labores corporis minuendi, exercitationes animi etiam augendæ videntur: danda verò opera, ut & amicos & juventutem, & maximè rempublicam conſilio & prudentia quàm plurimùm adjuvent. Nihil autem magis cavendum eſt ſenectuti, quàm ne languori ſe deſidiæque dedat. Luxuria verò, cum omni ætati turpis, tum ſenectuti fœdiſſima eſt: ſin autem etiam libidinum intemperantia acceſſerit, duplex malum eſt; quòd & ipſa ſenectus concipit dedecus, & facit adoleſcentium impudentiorem intemperantiam.

Ac ne illud quidem alienum eſt, [h] de magiſtratuum, de privatorum, de civium, de

(g) *in labore* &c.] Senſus videtur eſſe: in patiendo labore tum animi tum corporis.

(h) *de magiſtratuum, de privatorum, de civium, de peregrinorum* &c.] MSi Laud. & Mert. pr. omittunt vocem *civium*; MSi verò Bodl. ſec. & Mill. vocem *de*. Ego utramque delendam eſſe cenſeo, ut legamus, *de magiſtratuum, de privatorum, de peregrinorum,* &c. Voces *de civium* videntur interpretamento fuiſſe vocum *de privatorum*: nam de tribus

de peregrinorum officiis dicere. Eſt igitur proprium munus magiſtratûs, intelligere, ſe gerere perſonam civitatis, debereque ejus dignitatem & decus ſuſtinere, ſervare leges, [i] jura deſcribere, ea fidei ſuæ commiſſa meminiſſe. Privatum autem oportet æquo & pari cum civibus jure vivere, neque ſubmiſſum & abjectum, neque ſe efferentem: tum in republica ea velle, quæ tranquilla & honeſta ſint: talem enim & ſentire bonum civem, & dicere ſolemus. Peregrini autem atque incolæ officium eſt, nihil præter ſuum negotium agere, nihil de alieno anquirere, miniméque in aliena eſſe republica curioſum. Ita fere officia reperientur, cùm quæretur, quid deceat, & quid aptum ſit perſonis, temporibus, ætatibus. Nihil eſt autem, quod tam deceat, quàm in omni re gerenda conſilioque capiendo ſervare conſtantiam.

Sed quoniam decorum illud [a] in omnibus factis & dictis, in corporis denique motu & XXXV.

tribus ſolùm generibus perſonarum Cicero in ſequente capitis parte agit, & de ſecundâ ſic dicit, *Privatum autem oportet æquo & pari cum civibus jure vivere*; ubi poſt vocem *privatum* non inſeritur vox *civem*, quamvis (ut & hîc *civium*) ſubintelligenda eſſe videatur.

(i) *jura deſcribere*] Non eſt leges ferre ſeu condere, ſed jus ſuum cuique tribuere, jus dicere: *deſcribere* enim eſt ordinare & diſtribuere. *Grævius.* Huc facit id quod dicit Noſter ad finem ii. 4. *juris æqua deſcriptio.*

(a) *in omnibus factis & dictis, in corporis denique motu*] Agit Noſter de decoro in Corpore paulo infrà, *Principio corporis noſtri* &c. de decoro in Dictis ad initium c. 37. de decoro verò

& ſtatu cernitur, ([b] idque poſitum eſt in tribus rebus, formoſitate, ordine, ornatu ad actionem apto, [c] difficilibus ad eloquendum, ſed ſatis erit intelligi; in his autem tribus continetur cura etiam illa, ut probemur iis, quibuſcum, & apud quos vivamus), his quoque de rebus pauca dicantur. Principio, corporis noſtri magnam natura ipſa videtur habuiſſe rationem, quæ [d] formam noſtram reliquamque figuram, in qua eſſet ſpecies honeſta, poſuit in promtu: quæ autem partes corporis, ad naturæ neceſſitatem datæ, adſpectum eſſent deformem habituræ ac turpem, eas contexit atque abdidit. Hanc naturæ tam diligentem fabricam imitata eſt hominum

rò in Factis in c. 39. *In omni autem actione ſuſcipiendâ* &c.

(b) *idque poſitum eſt*] Maturantius putat vocem *id* ad motum & ſtatum Corporis referri debere. Rectiùs verò Ambroſius putat eam vocem reſpicere *decorum:* cùm dicat in i. 19. de Offic. (edit. Pariſ. 1614.) *Unde Tullius etiam ordinem putat in illo decoro ſervari oportere; poſitum dicit in formoſitate, ordine, ornatu ad actionem apto.*

(c) *difficilibus ad eloquendum*] Ita MSi Pal. pr. Græv. pr. & edit. Mog. & Rom. pr. niſi quod poſt *eloquendum* habeant *rebus*; quæ vox ex præcedentibus hîc temere repetita ab exſcriptoribus fuiſſe videtur. Victorius & omnes ferè MSi habent *difficilius*, minùs rectè opinor. Senſum loci ſatis attigiſſe videtur Ambroſius in his verbis i. 19. de Offic. *quæ difficilè ait* (Tullius) *loquendo explicari poſſe, & ideo ſatis eſſe intelligi.* Ut hîc Noſter dicit *difficilibus ad eloquendum*, ita dicit in Oratore c. 55. *eſt ad inveniendum difficilior in oratione numerus, quàm in verſibus.*

(d) *formam noſtram reliquamque figuram*] Maturantius per *formam* intelligit formam oris, oculorum, narium, & aurium; ut *forma* idem ferè ſignificet, ac facies: Et ita videtur ſignificare in ſeq. cap. *Formæ dignitas coloris bonitate tuenda eſt.*

hominum verecundia: quæ enim natura occultavit, eadem omnes, qui ſana mente ſunt, removent ab oculis, ipſique neceſſitati, dant operam, ut quàm occultiſſimè pareant: quarumque partium corporis uſus ſunt neceſſarii, eas, neque partes, neque earum uſus ſuis nominibus appellant: quodque facere turpe non eſt, modò occultè; id dicere obſcœnum eſt; itaque nec aperta actio rerum illarum petulantiâ vacat, [e] nec orationis obſcœnitas. Nec verò audiendi ſunt Cynici, aut ſi qui fuerunt Stoici pæne Cynici, qui reprehendunt & irrident, quòd ea, quæ re turpia non ſint, [f] verbis flagitioſa ducamus; illa autem, quæ turpia ſint, nominibus appellemus ſuis: Latrocinari, fraudare, adulterare, re turpe eſt; ſed dicitur non obſcœnè: liberis dare operam, re honeſtum eſt, nomine obſcœnum: pluraque in eam ſententiam ab eiſdem contra verecundiam diſputantur.

(e) *nec orationis obſcœnitas*] Si ſuppleamus verba, *vacat petulantiâ*, non opus erit, ut contra auctoritatem omnium MSorum cum Grutero aliiſque Editoribus recentioribus legamus, *nec oratio obſcœnitate*.

(f) *verbis flagitioſa*] Vulgò legitur, *nominibus & verbis flagitioſa*: ſed priores voces omittit Victorius, quinque MSi Oxon. Mill. Cant. quatuor Regii, & duo Mead. Videntur huc adductæ fuiſſe ex ſequentibus, *nominibus appellemus ſuis*: Certè huic loco non ſunt neceſſariæ cùm idem ſignificent *nomina* & *verba*, & cùm alibi Noſter ſimplici ſolùm voce uti ſoleat: ut (ad mentem Stoicorum) dicit in Ep. ad fam. ix. 22. *ſi quod ſit in obſcœnitate flagitium, id aut in* re *eſt, aut in* verbo. Ib. *ſi quod* verbo *ſignificatur, id turpe non eſt, verbum quod ſignificat, turpe eſſe non poteſt*, & ſic in Tuſc. Diſp. ii. 11. *quaſi de* verbo, *non de* re *laboretur*.

diſputantur. Nos autem naturam ſequamur, (g) & ab omni, quod abhorret ab oculorum auriumque approbatione, fugiamus: ſtatus, inceſſus, ſeſſio, accubitio, vultus, oculi, manuum motus teneant illud decorum. Quibus in rebus duo maximè ſunt fugienda; ne quid effeminatum aut molle, & ne quid durum aut ruſticum ſit. Nec verò hiſtrionibus oratoribuſque concedendum eſt, ut iis hæc apta ſint, nobis diſſoluta. Scænicorum quidem mos tantam habet vetere diſciplina verecundiam, ut in ſcænam ſine ſubligaculo prodeat nemo: verentur enim, ne, ſi quo caſu evenerit, ut corporis partes quædam aperiantur, adſpiciantur non decorè. Noſtro quidem more cum parentibus puberes filii, cum ſoceris generi non lavantur. Retinenda eſt igitur hujus generis verecundia, præſertim natura ipſa magiſtra & duce,

XXXVI. Cùm autem pulchritudinis duo genera ſint, quorum in altero venuſtas ſit, in altero dignitas; venuſtatem muliebrem ducere debemus, dignitatem virilem. Ergo & à forma removeatur omnis viro non dignus ornatus; & huic ſimile vitium in geſtu motuque

(g) *& ab omni quod abhorret ab oculorum —— approbatione, fugiamus*] Ita Victorius, & MSi duo Mead. quatuor Regii, Mill. omnes Oxonienſes, omneſque ferè Editiones ante Grævianam. *Grævius* verò ex uno ſuo MSo edidit *&* omne *quod—fugiamus*. At Latinitas veteris lectionis in dubium vocari non debuit: ita enim Cicero locutus eſt in Ep. ad Fam. xvi. 12. *Præſertim cùm à ſuis conditionibus ipſe* fugerit. Et in iii. 13. de Nat. Deor. *Omne animal appetit quædam, &* fugit à *quibuſdam*.

tuque caveatur: nam & palæſtrici motus ſæpe ſunt odioſiores, & [h] hiſtrionum nonnulli geſtus ineptiis non vacant: & in utroque genere, quæ ſunt recta & ſimplicia, laudantur. Formæ autem dignitas coloris bonitate tuenda eſt; color exercitationibus corporis. Adhibenda eſt præterea munditia, non odioſa neque exquiſita nimis; tantùm quæ fugiat agreſtem & inhumanam negligentiam. Eadem ratio eſt habenda veſtitûs; in quo, ſicut in pleriſque rebus, mediocritas optima eſt. Cavendum eſt autem ne aut tarditatibus utamur in greſſu mollioribus, ut [i] pomparum ferculis ſimiles eſſe videamur,

(h) *hiſtrionum nonnulli geſtus ineptiis non vacant*] Hæc eſt lectio Victorii, Editionis Mog. MSorum Groning. duorum Mead. quatuor Regiorum, itemque Mill. Cant. quinque Oxonienſium, & aliorum quampluriмorum: magiſque mihi ſe commendat, quàm illa quæ Grutero arriſit: Hic ex duobus ſolùm MSis in textum induxit ſequentia, *hiſtrionum geſtus nonnulli* inepti *non vacant* offenſione. Quid enim? Num accuratè ſatis dicitur nonnullos geſtus ineptos vacare offenſione, cùm neceſſe ſit, ut omnes ejuſmodi geſtus habeant aliquid offenſionis? Gruterus quidem aſſerit multa inepta vacare offenſione. Fortaſſe non diſſentiremus, ſi apud nos conſtaret, quid vellet vox *offenſio*. "*At planè hìc aliquid* "*requiritur* (inquit Gruterus) "*quod accederet ad laſciviam* "*& obſcænitatem:*" Mihi quidem hoc minimè videtur: nihil enim Ciceronem aliud video hìc velle, quàm ut in Hiſtrionum geſtibus omnis non viro dignus geſtus removeatur.

(i) *pomparum ferculis*] Fercula erant inſtrumenta lignea, quibus ſigna ante triumphantem vehi per pompam ſolebant, ut ait Aſconius in Or. Ver. 3. Tardiſſimè autem (ait Grævius) ea pompæ tam triumphalis quàm Circenſis fercula circumferebantur. Hinc Suetonius de Veſpaſiano in ejus vitâ c. 17. *triumphi die defatigatus tarditate & tædio pompæ.*

videamur, aut in feſtinationibus ſuſcipiamus nimias celeritates: quæ cùm fiunt, (a) anhelitus moventur, vultus mutantur, ora torquentur; ex quibus magna ſignificatio fit, non addeſſe conſtantiam. Sed multo etiam magis elaborandum eſt, ne animi motus à natura recedant; quod aſſequemur, ſi cavebimus, ne in perturbationes atque exanimationes incidamus, & ſi attentos animos ad decoris conſervationem tenebimus. Motus autem animorum duplices ſunt, alteri cogitationis, alteri appetitus; cogitatio in vero exquirendo maximè verſatur; appetitus impellit ad agendum: curandum eſt igitur, ut cogitatione ad res quàm optimas utamur; appetitum rationi obedientem præbeamus.

XXXVII. (b) Et quoniam magna vis orationis eſt, eaque duplex; altera contentionis, altera ſermonis;

(a) *anhelitus* moventur] Ita omnes (quos vidi) MSi, omneſque edit. ante Grævium: Ille ex duobus MSis edidit *movetur*; quia (inquit) ſolent uti hoc numero Veteres, & *anhelitum ducere* legas ſemper, non, *anhelitus ducere*. Eſto: at, cùm hæc Cicero dicit non de uno ſolo homine, ſed de pluribus, rectè (opinor) *anhelitus* dicitur in numero plurali; ut intelligatur, unicuique ſuus anhelitus. Sic proximè poſt legimus, *vultus mutantur*; ſcimus ſuum eſſe & unicum ſingulis *vultum*: at cùm plures homines ſignificantur, rectè dicitur, *vultus mutantur* in numero plurali: Adde, quòd vox *anhelitus* pluraliter uſurpata non ignota eſt Ciceroni: ſic enim in i. 50. de divin. *Credo etiam* anhelitus *quoſdam fuiſſe terrarum, quibus inflatæ mentes oracula funderent.* Ib. ii. 13. *Placuit Stoicis eos* anhelitus *terræ, qui frigidi ſunt, cùm fluere cœperint, ventos eſſe.*

(b) *Et quoniam magna vis orationis eſt*] Cicero hìc acturus eſt de decoro *in dictis*, quæ erant ſecundum genus, in quo illud cerni dixerat. Vide init. cap. 35.

monis; contentio diſceptationibus tribuatur judiciorum, concionum, ſenatus; ſermo in circulis, diſputationibus, congreſſionibus familiarum verſetur: ſequatur etiam convivia. Contentionis præcepta rhetorum ſunt; nulla ſermonis, quamquam [c] haud ſcio an poſſint hæc quoque eſſe: [d] ſed diſcentium ſtudiis inveniuntur magiſtri; huic autem qui ſtudeant, ſunt nulli: rhetorum turbâ referta omnia; quamquam, quæ verborum ſententiarumque præcepta ſunt, eadem ad ſermonem pertinebunt. Sed, cùm orationis indicem vocem habeamus, in voce autem duo ſequamur, ut clara ſit, ut ſuavis; utrumque omnino à natura petendum eſt; verùm alterum exercitatio augebit, alterum imitatio preſſè loquentium & leniter. [e] Nihil fuit in Catulis, ut eos exquiſito judicio putares

(c) *haud ſcio an poſſint* &c.] Vox *an* hîc idem valet ac *annon*: vide quæ dixi ad verba *an imitari agros fertiles*, &c. in i. 15.

(d) *ſed diſcentium ſtudiis* &c.] Senſus eſt; In quamcunque rem homines ſtudia ſua conferunt, ut eam diſcant, inveniuntur magiſtri, qui de ea re præcepta daturi ſint; in hunc autem (i. e. in ſermonem) qui ſtudia ſua conferunt, nulli ſunt; nulli igitur magiſtri, qui ſermonis præcepta dent, inveniendi ſunt.

(e) *Nihil fuit in Catulis, ut eos*, &c.] Vulgò *nihil aliud fuit*: ſed iſta vox *aliud* abeſt ab omnibus MSis meis, à ſex Oxon. cum aliis MSis: abeſt etiam ab edit. Langii: & Lambinus cenſuit, ſi vox *aliud* retineatur, legendum eſſe *nihil aliud fuit in Catulis*, cur *eos*, &c. Quòd ſi deleamus cum ſupradictis MSis vocem *aliud*, bene ſe habet *ut*; nam *nihil fuit ut* idem valet quod *non fuit ut*. Senſus eſt; Nulla fuit cauſſa, ut putares Catulos *uti exquiſito judicio literarum*: Erant quidem literati, ſed & alii tum temporis erant æquè lirerati: Hi verò Catuli, ideo putabantur (quamvis ob

putares uti literarum; quamquam erant literati, [f] ſed & alii. Hi autem optimè uti lingua Latina putabantur: ſonus erat dulcis; literæ neque expreſſæ neque oppreſſæ, [g] ne aut obſcurum eſſet aut putidum; ſine contentione vox, nec languens nec canora. Uberior oratio L. Craſſi, nec minus faceta: ſed bene loquendi de Catulis opinio non minor. Sale verò & facetiis Cæſar, Catuli patris frater, vicit omnes; [h] ut in ipſo illo forenſi genere dicendi contentiones aliorum ſermone vinceret. In omnibus igitur his

ob nullam ſatis bonam cauſſam putarentur) *optimè uti linguâ Latinâ*, i. e. maximè fuiſſe literatos, quòd *ſonus illis* loquentibus erat *dulcis*. *Catulus* (inquit Cicero in Bruto c. 74.) *erat ille quidem minimè indoctus*, —— *ſed tamen ſuavitas vocis & lenis appellatio literarum bene loquendi famam confecerat*. In utroque loco de ſolo illo Literaturæ ſive Doctrinæ genere videtur dixiſſe, quod ad uſum & proprietatem linguæ Latinæ reſpexit. Ut hoc verò meliùs intelligi poſſit, videamus etiam quæ Idem dixit in iii. 11. de Orat. *Noſtri minùs ſtudent literis, quàm Latini: tamen ex iſtis, quos nôſtis, urbanis, in quibus minimum eſt literarum, nemo eſt quin literatiſſimum togatorum omnium, Valerium Soranum, lenitate vocis atque ipſo oris preſſu & ſono facilè vincat.*

(f) *ſed & alii*] Fortè cum uno, quem vidi, MSo legendum eſt *ſed ut alii*; i. e. non aliis fuerunt magis literati. Catulus (ut ait Noſter citatus in præcedente Nota) fuit *minime indoctus*.

(g) *ne aut obſcurum eſſet*] Rectiùs fortaſſe legas, *ne aut obſcurum* quid *eſſet*. Aliter nihil erit, quocum concordet vox *obſcurum* neutrius generis. *Obſcurum* eſt, ſi literæ ſint *oppreſſæ*; ſive non clarè ſatis pronuntiatæ: putidum, ſi contra ſint *expreſſæ* nimis. *Nolo exprimi* (dicit Cicero in iii. 11. de Orat.) *literas putidiùs*; *nolo obſcurari negligentiùs*. Putidè igitur loquitur, qui affectatè: Metaphora ducta eſt ab iis rebus, quæ malè olent.

(h) *ut in ipſo illo* &c.] Senſus eſt; ita ut vinceret oratione ſua, quæ ſermoni erat propior, orationes aliorum, quæ contentiones vocis haberent.

his elaborandum eſt, ſi in omni re quid deceat exquirimus. Sit igitur hic ſermo, in quo Socratici maximè excellunt, lenis miniméque pertinax; inſit in eo lepos, nec verò, tamquam in poſſeſſionem ſuam venerit, [i] excludat alios; ſed cum reliquis in rebus, tum in ſermone communi, viciſſitudinem non iniquam putet: ac videat in primis, quibus de rebus loquatur; ſi ſeriis, ſeveritatem adhibeat; ſi jocoſis, leporem. In primiſque provideat, ne ſermo vitium aliquod indicet ineſſe in moribus; quod maximè tum ſolet evenire, cùm ſtudioſè de abſentibus detrahendi cauſſâ, aut per ridiculum, aut ſeverè, maledicè, contumelioſéque dicitur. Habentur autem plerumque ſermones aut de domeſticis negotiis, aut de republica, aut de artium ſtudiis atque doctrina: Danda igitur opera eſt, ut, etiam ſi aberrare ad alia cœperit, ad hæc revocetur oratio; ſed, [a] utcumque aderunt: neque enim [b] omnes iiſdem rebus, [c] nec omni

(i) *excludat alios*] Cauſus nominativus videtur eſſe, non *ſermo*, ſed homo ſive is qui loquitur. Vide Notam ad cap. 4.

(a) *utcumque aderunt*] Ita, deletâ voce *res*, omnes MSi, & mei & Oxonienſes, cum aliis: ex priore ſententiâ ſupplenda eſt vox *hæc*. Senſus eſt; Curandum eſt ut in hæc potiùs incidere, quàm ſermonem de his inſtituere videamur.

(b) *omnes iiſdem rebus*] Vulgò, *omnes iiſdèm rebus:* ſed ſequor MSos ſeptem Manutianos & Mead. ſec. itemque Victorium, Fabritium & Lambinum. Ratio ejus in promtu eſt. Vox *de* videtur nata ex finali ſyllabâ vocis præcedentis *iiſdem*.

(c) *nec omni tempore ſimiliter*

omni tempore ſimiliter delectamur. Animadvertendum eſt etiam, quatenus ſermo delectationem habeat; &, ut incipiendi ratio fuerit, ita ſit deſinendi modus.

XXXVIII. [d] Sed, quomodo in omni vita rectiſſimè præcipitur, ut perturbationes fugiamus, id eſt, motus animi nimios, rationi non obtemperantes; ſic ejuſmodi motibus ſermo debet vacare, ne aut ira exiſtat, aut cupiditas aliqua, aut pigritia, aut ignavia, aut tale aliquid appareat. Maximéque curandum eſt, ut eos, quibuſcum ſermonem conferemus, & vereri & diligere videamur. Objurgationes etiam nonnumquam incidunt neceſſariæ, in quibus utendum eſt fortaſſe & vocis contentione majore, & verborum gravitate acriore. Id agendum etiam eſt, ut ne ea facere videamur irati; ſed, ut ad urendum & ſecandum, ſic ad hoc genus caſtigandi raro [e] invitique veniamus: nec umquam

liter delectamur.] MSi Mead. ſec. Lameth. Cant. & duo Regii omittunt conjunctionem *nec* ante *ſimiliter*, quæ in vulgatis edit. ineſt. Legendum igitur cenſeo *nec omni tempore ſimiliter delectamur*: i. e. res, quæ nos delectant, non ſemper nos æquè delectant. Non abſimile eſt illud Ciceronis in I. 17. de leg. *Quæ aliis ſic, aliis ſecus, nec iiſdem ſemper uno modo videntur.*

(d) *ſed quomodo —— ſic*] Raro poſt *quomodo* additur *ſic*, ut hîc in ſequentibus: ſed eandem locutionem habemus in Tuſc. Diſp. v. 7. *quomodo hoc ſit conſequens illi, ſic illud huic.*

(e) *invitique veniamus*] Vulgò, *veniemus*: Sed ſequor lectionem Lambini & MSi Laud. quæ enim præcepta hîc dantur, magis eleganter modo Subjunctivo vel Imperativo, quàm futuro tempore Indicativi ſolent ſignificari. Adde, quòd, cùm præceſſiſſent *ut ne ea facere videamur irati,*

quam niſi neceſſariò, ſi nulla reperietur alia medicina. Sed tamen ira procul abſit, cum quâ nihil rectè fieri, nihil conſideratè poteſt. [f] Magnam autem partem clementi caſtigatione licet uti, gravitate tamen adjuncta, ut & ſeveritas adhibeatur, & contumelia repellatur. Atque etiam illud ipſum, quod acerbitatis habet objurgatio, ſignificandum eſt, ipſius cauſſâ, qui objurgetur, ſuſceptum eſſe. Rectum eſt autem etiam in illis contentionibus, quæ cum inimiciſſimis fiunt, etiam ſi nobis indigna audiamus, tamen gravitatem retinere, iracundiam pellere: quæ enim cum aliqua perturbatione fiunt, ea nec conſtanter fieri poſſunt, nec iis, qui adſunt, probari. Deforme etiam eſt de ſe ipſo prædicare, falſa præſertim, & cum irriſione audientium imitari militem glorioſum.

Et, quoniam omnia perſequimur (voluXXXIX. mus quidem certè), dicendum eſt etiam, qualem hominis honorati & principis domum placeat eſſe; cujus finis eſt uſus, ad quem accom-

ti, ſed, &c. neceſſe videtur legere (conjunctione *ut* ſubintellectâ) *veniamus.*

(f) *Magnam autem partem*] Omnes ferè MSi habent *magna autem parte*, ubi (ut ait Grævius) Ellipſis eſt particulæ *ex*, quam alibi addit Tullius. Sed non placet, cùm nullis exemplis probetur hanc Ellipſin Ciceroni fuiſſe uſitatam. Langius maluit *magnam partem*, quod & Lambinus recepit: hos ſequendos eſſe arbitror: quia facilè MSi hîc errare poſſent, lineolis, quæ ſupra caput literarum *a* & *e* poſitæ literam *m* indicarent, omiſſis negligentiâ exſcriptorum. Vide notam meam ad i. 7.

accommodanda eſt [g] ædificandi deſcriptio; & tamen [h] adhibenda commoditatis dignitatiſque diligentia. Cn. Octavio, qui primus ex illa familia conſul factus eſt, honori fuiſſe accepimus, quòd præclaram ædificaſſet [i] in Palatio, & plenam dignitatis domum; quæ cùm vulgò viſeretur, ſuffragata domino, novo homini, ad conſulatum putabatur. [a] Hanc Scaurus demolitus, acceſſionem adjunxit ædibus: itaque ille in ſuam domum conſulatum primus attulit; hic ſummi & clariſſimi viri filius, in domum multiplicatam, non repulſam ſolùm retulit, [b] ſed ignominiam etiam & calamitatem. Ornanda eſt

(g) *ædificandi deſcriptio*] i. e. ratio & forma ædificandi, ſive ordo & diſpoſitio partium in ædibus conſtruendis. Simile eſt illud Ciceronis in Seneƈt. c. 17. de arboribus conſitis, *atqui ego omnia iſta ſum dimenſus; mei ſunt ordines, mea* deſcriptio.

(h) *adhibenda commoditatis* &c.] Senſus eſt; curandum eſt, ut ea non ſolùm ſit commoda, ſed ut habeat etiam dignitatem. Videtur Cicero ſcripſiſſe *adhibenda commoditati dignitatis diligentia.*

(i) *in Palatio*] i. e. in monte Palatio: nam, ut dicit Varro in iv. de Ling. Lat. *quartæ regionis Palatium:* Et Suetonius in Octavio c. 72. *habitavit primùm juxta Romanum forum ——— poſteà in Palatio. Grævius.* Noſter dicit in ii. 11. de Leg. *Ara vetus ſtat in Palatio, Febris.*

(a) *Hanc Scaurus demolitus, acceſſionem* &c.] Senſus eſt, Scaurus ædes ſuas majores effecit, demoliendo ædes Octavii. MSus Groning. aliique habent *acceſſionem porticum adjunxit.* Ideo (inquit Eraſmus) Cicero mox dicit domum ejus fuiſſe *multiplicatam*, quia aucta fuit: nam quod proximarum ædium ſolum fuit, ædibus adjunxit Scaurus.

(b) *ſed* ignominiam *etiam & calamitatem*] Ita Victorius, Lambinus, MSus Mill. & tres Oxonienſes, cùm in aliis extet vel *&* vel *etiam* ſolùm: Sed, cùm ſpecies quædam calamitatis ſignificari debuerit, fortaſſe ſcripſit Cicero, *ſed* ignominiæ *etiam calamitatem.* Sic

eſt enim dignitas domo, non ex domo tota quærenda: nec domo dominus, ſed domino domus honeſtanda eſt. Et, ut in cæteris habenda ratio [c] non ſui ſolùm, ſed etiam aliorum; ſic in domo clari hominis, in quam & hoſpites multi recipiendi ſunt, & admittenda hominum [d] cujuſquemodi multitudo, adhibenda eſt cura laxitatis: [e] aliter ampla domus dedecori domino ſæpe fit, ſi eſt in ea ſolitudo; & maximè ſi aliquando, alio[1] domino, ſolita eſt frequentari: odioſum eſt enim cùm à prætereuntibus dicitur;

O domus ántiqua, heu quàm diſpari dominare domino!

quod

Sic in Orat. pro Plancio c. 5. occurrit, *calàmitas judicii:* Et in Orat. contra Verr. iii. c. 97. *quid enim eſſe poteſt in* calamitate *reſidui, quod non ad miſeros aratores, iſto Prætore, per ſummam injuriam* ignominiamque *pervenerit?*

(c) *non ſui ſolùm*] MSi omnes habent *ſua*; ſed ſequendam eſſe cenſeo conjecturam Eraſmi, quæ & ab aliis editoribus recepta eſt.

(d) *cujuſquemodi*] i. e. cujuſcunque generis: & ſic Cicero vocem hanc alibi uſurpat: in Orat. pro Flacco c. 40. *cùm tabulæ illæ ipſæ, cujuſquemodi ſunt, proferuntur,* ii. 3. de Fin. *Quum enim fertur quaſi torrens oratio, quamvis multa cujuſquemodi rapiat,* &c. MSi fere (pauculis exceptis, inter quos Mead. ſec.) habent *cujuſque generis*, ſed vox *generis* gloſſam ſapit: &, ut hîc nihil illis credamus, facit Nonius, qui bis (notante Fabritio) ſc. in v. *laxitas* & *laxum*, hunc locum ſic citavit *cujuſquemodi*.

(e) *aliter ampla domus dedecori domino ſæpe fit*] *Aliter* dixit Cicero pro *alioqui*. Senſus eſt; ſi in amplâ domo non *ſunt hoſpites multi recipiendi, & admittenda hominum cujuſquemodi multitudo*, illa ampla domus domino eam incolenti ſæpe eſt dedecori. Hæc videtur vis eſſe vocis *aliter*, quæ non ad verba proximè præcedentia reſpicit, ſed ad ea quæ modo citavi: Niſi fortè putandum eſt, quædam verba excidiſſe inter *laxitatis* & *aliter*.

quod quidem his temporibus [f] in multis licet dicere. Cavendum autem eſt, præſertim ſi ipſe ædifices, ne extra modum ſumtu & magnificentia prodeas: quo in genere multum mali etiam in exemplo eſt: ſtudioſè enim plerique, præſertim in hanc partem, facta principum imitantur: ut, L. Luculli ſummi viri virtutem quis? at quàm multi villarum magnificentiam imitati ſunt? quarum quidem certè eſt adhibendus modus, ad mediocritatemque revocandus: eademque mediocritas ad omnem uſum cultumque vitæ transferenda eſt. Sed hæc hactenus.

In omni autem actione ſuſcipiendâ tria ſunt tenenda: primum, ut appetitus rationi pareat, quo nihil eſt ad officia conſervanda accommodatius: deinde, ut animadvertatur quanta illa res ſit, quam efficere velimus; ut neve major, neve minor cura & opera ſuſcipiatur, quàm cauſſa poſtulet: tertium eſt, ut caveamus, ut ea, quæ pertinent ad liberalem ſpeciem & dignitatem, [g] moderanda ſint;

modus

(f) *in multis licet dicere*] i. e. de multis hominibus: Sic in ii. 61. de Orat *quod idem in bono ſervo dici ſolet.* Vide Notam meam ad cap. 9.

(g) *moderanda ſint*] Vulgò *moderata ſint:* & hanc lectionem Græviuſ primus in textum importavit, ſecutus unum & alterum MSum. Sed omnes MSi mei, omnes fere Oxonienſes, cum aliis MSis & Victorii editione habent *moderanda*; cui non eſt ut litem intendamus. Nec aliter Lactantius, ille Ciceroniani ſtili imitator, in vi. 15. Div. Juſt. *Eò igitur imprudentes revolvuntur —— ut vitia, quoniam tolli non poſſunt,* moderanda *ſint.*

modus autem eſt optimus decus ipſum tenere, de quo ante diximus, nec progredi longius. Horum tamen trium præſtantiſſimum eſt, appetitum obtemperare rationi.

Deinceps de ordine rerum, & de opportunitate temporum dicendum eſt. Hac autem ſcientia continetur ea, quam Græci εὐταξίαν nominant; non hæc, [h] quam interpretamur modeſtiam; quo in verbo modus ineſt: ſed illa eſt εὐταξία, in qua intelligitur ordinis conſervatio. Itaque (ut eandem nos modeſtiam appellemus) ſic definitur à Stoicis, ut modeſtia ſit ſcientia earum rerum, quæ agentur aut dicentur, loco ſuo collocandarum. Ita videtur eadem vis ordinis & collocationis fore: nam & ordinem ſic definiunt, compoſitionem rerum aptis & accommodatis locis; locum autem actionis, opportunitatem temporis eſſe dicunt; tempus autem actionis opportunum Græcè εὐκαιρία, Latinè appellatur occaſio: ſic fit, ut modeſtia hæc (quam ita interpretamur, ut dixi) ſcientia ſit opportunitatis idoneorum ad agendum temporum. Sed poteſt eadem eſſe pru- XL.

(h) *quam interpretamur modeſtiam*] Id genus ἐὐταξίας, quod idem eſt ac μετριότης, à Cicerone ſolitum eſt Latinè reddi *modeſtia,* ut τὸ μέτρον ſive modus in eo ineſſe appareat. Sed, cùm alia eſſet ſpecies ἐὐταξίας, in quâ intelligebatur *ordinis conſervatio* (de quâ hìc dicturus eſt); &, cùm aliud Latinum nomen ipſi non occurreret, appellabat etiam hanc ſpeciem *modeſtiam:* dicit igitur paulo infra, *ut eandem nos* modeſtiam *appellemus.* i. e. ſi nobis liceat eam quoque rem hoc nomine ſignare.

prudentiæ definitio, de qua principio diximus: hoc autem loco de moderatione & temperantia, & earum ſimilibus virtutibus quærimus. Itaque, quæ erant prudentiæ propria, ſuo loco dicta ſunt: [i] quæ autem harum virtutum, de quibus jamdiu loquimur, quæ pertinent ad verecundiam & ad eorum approbationem quibuſcum vivimus, nunc dicenda ſunt.

Talis eſt igitur ordo actionum adhibendus, ut, quemadmodum in oratione conſtanti, ſic in vita omnia ſint apta inter ſe & convenientia. Turpe eſt enim valdeque vitioſum, in re ſevera [a] convivio dignum, aut delicatum aliquem inferre ſermonem. Bene Pericles, cùm haberet collegam in prætura Sophoclem poetam, hique de communi officio conveniſſent, & caſu formoſus puer præteriret, dixiſſetque Sophocles, *O puerum*

(i) *quæ autem harum virtutum*, &c.] Sententia ita verbis ſupplenda eſt; *quæ autem* ſunt propria *harum virtutum*, *de quibus jamdiu loquimur*, *quæ* virtutes *pertinent ad verecundiam* —— *nunc dicenda ſunt*. Non opus eſt igitur, ut cum Victorio deleamus vocem *quæ* ante *pertinent*.

(a) convivio dignum, *aut delicatum aliquem inferre ſermonem*.] Ita Victorius & edit. Mog. & Rom. pr. itemque MSS. Mead. duo, Cant. Mill. Regii duo (duo alteri *convivio digna*) & omnes Oxon. aliique, exceptis Pal. pr. & uno Grævii; qui duo poſtremi habent *convivii dicta*, quod in textum intulit Grævius. At iſtâ mutatione non opus fuit, cùm voces *convivio dignum* idem valeant quod *ſolo convivio dignum*, ſeu potiùs digniorem convivio, quàm ullâ aliâ hominum congreſſione. Simile eſt quod Cicero dicit de Orat. ii. 62. *obſcænitas, non ſolum non foro digna, ſed vix convivio liberorum.*

O [illegible]m pulchrum, Pericle! [b] *At enim* [c] *prætorem, Sophocle, decet non ſolùm manus, ſed etiam oculos abſtinentes habere.* [d] Atqui hoc idem Sophocles ſi in athletarum probatione dixiſſet, juſta reprehenſione caruiſſet: Tanta vis eſt & loci & temporis, ut, ſi quis, cùm cauſſam ſit acturus, in itinere aut in ambulatione ſecum ipſe meditetur, aut ſi quid aliud attentiùs cogitet, non reprehendatur: at hoc idem ſi in convivio faciat, inhumanus videatur [e] inſcitia temporis. Sed ea, quæ multùm ab humanitate diſcrepant, ut ſi quis in foro cantet, aut ſi qua eſt alia magna perverſitas, facilè apparent, nec magnopere admonitionem & præcepta deſiderant: quæ autem parva videntur eſſe delicta, neque à multis intelligi poſſunt, ab iis eſt diligentiùs declinandum. Ut in fidibus aut tibiis, quamvis paullum diſcrepent, tamen id à ſciente animadverti ſolet: ſic videndum eſt in vita, ne fortè quid diſcrepet; vel multo etiam magis, quo major & melior actionum, quàm ſonorum concentus eſt.

Itaque,

(b) *At enim*] Multi MSi habent *Ait enim*, quæ lectio poſt ſe poſcit comma.

(c) *prætorem* &c.] Val. Maximus iv. 3. hoc Periclis dictum ſic memorat, *prætori non ſolùm manus à pecuniæ lucro, ſed etiam oculos à libidinoſo aſpectu continentes eſſe debere.*

(d) Atqui *hoc idem Sophocles*] Vulgò, *Atque:* ſed lectionem Victorii ſequor huic loco accommodatiorem, ubi exceptio quædam hoc voce inducitur, non ejuſdem argumenti continuatio.

(e) *inſcitia temporis*] Ita omnes fere MSi quos ſequendos eſſe cenſeo. Vide Notam meam ad c. 34. Victorius, Langius, aliique ediderunt *inſcientiâ*, cui nihil eſt quod objici poſſit, niſi MSorum auctoritas.

XLI. Itaque, ut in fidibus muſicorum aures vel minima ſentiunt, ſic nos, [f] ſi acres ac diligentes eſſe volumus animadverſores vitiorum, magna ſæpe intelligemus ex parvis. Ex oculorum obtutu, ex ſuperciliorum aut remiſſione aut contractione, ex mœſtitia, ex hilaritate, ex riſu, ex locutione, ex reticentia, ex contentione vocis, ex ſubmiſſione, ex cæteris ſimilibus facilè judicabimus, quid eorum aptè fiat, quid ab officio naturaque diſcrepet. Quo in genere non eſt incommodum, quale quodque eorum ſit, ex aliis judicare; [g] ut, ſi quid deceat in illis, vitemus & ipſi: fit enim, neſcio quomodo, ut magis in aliis cernamus, quàm in nobiſmet ipſis, ſi quid delinquitur. Itaque facillimè

(f) *ſi acres ac diligentes eſſe volumus* animadverſores *vitiorum*] Vulgò, *animadverſoreſque*; ſed, cùm rariſſimè copulari ſoleant ſubſtantiva & adjectiva, ſequor potiùs lectionem MSorum duorum Mead. Regii quarti, Cant. quinque Oxon. & aliorum nonnullorum, quæ conjungit *animadverſores* cum adjectivis *acres* & *diligentes*; nec aliter ediderunt Langius & Fabritius. Similiter dicit Cicero in c. 31. *acremque ſe & bonorum & vitiorum judicem præbeat.*

(g) *ut, ſi quid dedeceat* in illis, *vitemus & ipſi*] Sic ſe habent quatuor MSi Oxon. Reg. tertius, & à correctoris manu quartus, cum aliis quibuſdam: à quâ lectione non multùm recedunt cæteri MSi Oxon. MSi Reg. pr. Mead. duo, Mill. Cant. Lameth. editioneſque Vict. & Mog. in quibus legitur *dedeceat* in illos, non ſervatâ (ut arbritor) Latinè loquendi ratione. Gruterus edidit *dedeceat* in aliis; Grævius verò *dedeceat* alios; uterque parum rectè; quia, cùm præceſſerat *ex aliis* in ſuperiore ſententiâ, potiùs nomen relativum *illis*, quàm *aliis* hìc uſurpandum fuit. Notetur verò *decere* & *dedecere in* aliquâ re aut perſonâ benè Latinè dici, ut in iii. 55. de Orat. *quid maximè deceat in oratione, videamus.*

cillimè corriguntur in diſcendo, quorum vitia imitantur, emendandi cauſſâ, magiſtri. [h] Nec verò alienum eſt, [i] ad ea eligenda, quæ dubitationem afferunt, adhibere doctos homines, vel etiam uſu peritos, &, quid his de quoque officii genere placeat, exquirere, [a] (major enim pars eò fere deferri ſolet, quò à natura ipſa deducitur): in quibus videndum, non modò quid quiſque loquatur, ſed etiam quid quiſque ſentiat, [b] atque etiam qua de cauſſa ſentiat: ut enim pictores, & ii qui ſigna fabricantur, & verò etiam poetæ ſuum quiſque opus à vulgo conſiderari vult; ut, ſi quid reprehenſum ſit à pluribus, id corrigatur; hique & ſecum, & cum aliis, quid in eo peccatum ſit exquirunt; ſic aliorum judicio per multa nobis

(h) *Nec verò alienum eſt*] Ante hæc verba hiatum interveniſſe puto, cùm hæc præcedentibus minimè connexa eſſe videantur.

(i) *ad ea eligenda, quæ* &c.] i. e. ad faciendum delectum in quoque genere officiorum, ubi dubium eſt, quænam in nobis deceant & dedeceant.

(a) *major enim pars* &c.] Senſus eſt; major pars philoſophorum (nempe omnes, exceptis Epicureis, Cynicis &c.) ſolet naturam in præceptis de Officiis tradendis ſequi.

(b) *atque etiam qua de cauſſa ſentiat*] Hodie vulgò legimus, *atque etiam qua de cauſſa* quid quiſque *ſentiat*. Sed iſtud *quid* abeſt ab omnibus codicibus antiquis, tam ſcriptis, quam impreſſis, ſi excipias excerpta Pithœi; unde eam vocem Grævius primus in textum recepit. Editiones Victorii & Mog. itemque MSus Mead. per. treſque Regii habent *quiſque*: ſed ſequendos puto MSos Cant. & Æn. qui utramque vocem rectè (opinor) omittunt: ex præcedentibus voces *quid quiſque* facilè petendæ ſunt, & accuratiùs, iis omiſſis quàm expreſſis, ſe habet ſententia.

bis & facienda & non facienda, & mutanda & corrigenda ſunt. Quæ verò more aguntur inſtitutiſque civilibus, de iis nihil eſt præcipiendum; illa enim ipſa præcepta ſunt: nec quemquam hoc errore duci oportet, [c] ut, ſi quid Socrates aut Ariſtippus contra morem conſuetudinemque civilem fecerint locutive ſint, idem ſibi arbitretur licere: magnis illi, & divinis bonis hanc licentiam aſſequebantur. Cynicorum verò ratio tota eſt ejicienda: eſt enim inimica verecundiæ, ſine qua nihil rectum eſſe poteſt, nihil honeſtum. Eos autem, quorum vita perſpecta in rebus honeſtis atque magnis eſt, bene de republica ſentientes, ac bene meritos aut merentes, [d] ſicut aliquo honore aut imperio affectos, obſervare & colere

(c) *ut, ſi quid Socrates* aut *Ariſtippus —— fecerint locutive ſint*] Cùm verba *fecerint* & *locuti ſint* pluralis ſint numeri, legendum eſſe arbitror, Latinæ linguæ ratione poſtulante, *ut ſi quid Socrates* & *Ariſtippus*, &c. Particula *aut* eſt (fateor) conjunctio, licet conjunctio disjungens. At inde non ſequitur, eam habere vim copulæ *&*, & poſſe ita conjungere duos caſus nominativos, ut verbum, quocum concordant, fit numeri pluralis. Nuſquam (ſi benè memini) Cicero ad hunc modum locutus eſt, Certè aliter in ſequentibus locis, quibus plura addi poſſunt: In c. 28. *Si Æacus aut Minos* diceret: Et in Tuſc. Diſp v. 9. *Sed ſi Socrates aut Antiſthenes* diceret: Et ibid. *præclarè ſi Ariſto Chius, aut ſi Zeno Stoicus* diceret.

(d) *ſicut aliquo bonore aut imperio affectos*] Senſus eſt; Ii, qui privati benè de Republicâ merentur, eodem modo honorandi & colendi ſunt, quo ii qui honoribus magiſtratûs & imperiis funguntur, *Nec vero* (ait Noſter de Leg. iii. 2.) *ſolùm, ut obtemperent obediantque magiſtratibus, ſed etiam ut eos colant diligantque, præſcribimus*, Vox *ſicut*, quamvis

le[illegible] debemus; tribuere etiam multum ſenectuti; cedere iis, qui magiſtratum habebunt; habere delectum civis & peregrini; in ipſoque peregrino, privatimne an publicè venerit: ad ſummam (ne agam de ſingulis) communem totius generis hominum conciliationem & conſociationem colere, tueri, ſervare debemus.

Jam de artificiis & quæſtibus, qui libera- XLII.
les habendi, qui ſordidi ſint, hæc fere accepimus. Primùm improbantur ii quæſtus, qui in odia hominum incurrunt; ut [e] portitorum, [f] ut fœneratorum. Illiberales autem & ſordidi quæſtus mercenariorum omnium, quorum operæ, non quorum artes emuntur: eſt enim in illis ipſa merces [g] auctoramentum ſervitutis. Sordidi etiam putandi,

quamvis à pluribus MSis abſit, extat tamen in MSó Pal. pr. in Græv. pr. & in Nonio ad vocem *obſervare*.

(e) *portitorum*] Portitores erant ii, qui colligebant ipſis à Publicanis locatum id vectigal, quod ſingulis rebus, quæcumque in portum venirent, imponeretur; quodque *portorium* vocaretur. Aliquando etiam iidem illud conducebant: Unde Noſter in 1. de Invent. dicit, *ſi Rhodiis turpe non eſt portorium locare, ne Hermacreonti quidem turpe eſt conducere*.

(f) *ut fœneratorum*] i. e. ii quæſtus fœneratorum, qui in odia hominum incurrunt, & ab illis malè audiunt: non enim hoc dictum videtur de omnibus fœneratoribus. Graviter errat (inquit Grævius) qui *fœnus* per ſe notare putant illicitum quæſtum pecuniæ. Fœnerator fuit Atticus, Cato, Cicero, omneſque Romani, qui pecunioſi erant, id eſt, pecuniam ſuam ſub uſuris aliis elocabant.

(g) *auctoramentum ſervitutis*] Dempſterus in paralip. ad Roſini Antiq. v. 24. dicit eos, qui ſe arenæ locabant, ſeu pecuniâ acceptâ ſeipſos velut diſtrahi patiebantur, *auctoratos* fuiſſe dictos, & pretium

putandi, qui mercantur à mercatoribus, quod ſtatim vendant: nihil enim proficiunt, niſi admodum mentiantur; nec verò quidquam eſt turpius [h] vanitate. Opificeſque omnes in ſordida arte verſantur: nec enim quidquam ingenuum poteſt habere officina. Minimèque artes hæ probandæ, quæ miniſtræ ſunt voluptatum; *cetarii, lanii, coqui, fartores, piſcatores*, ut ait Terentius: adde huc, ſi placet, unguentarios, ſaltatores, [i] totumque ludum talarium. Quibus autem artibus aut prudentia major ineſt, aut non mediocris utilitas quæritur, ut medicina, ut architectura, ut doctrina rerum honeſtarum, hæ ſunt iis, quorum ordini conveniunt, honeſtæ. Mercatura autem, ſi tenuis eſt, ſordida

tium *auctoramentum:* Unde Sueton. in Tiberio c. 7. *rudiariis quoque quibuſdam revocatis, auctoramento centenûm millium.* Et Vell. Paterculus in ii. 28. *in eâ jugulati civis Romani publicè conſtitueretur auctoramentum.* Dicitur *auctoramentum ſervitutis*, quia ipſi ſibi *auctores* ejus fuerint.

(h) *vanitate*] i. e. mendacio ſive falſiloquio. Sic in Virg. Æn. ii. 80.

——nec ſi miſerum fortuna Sinonem
Finxit, vanum *etiam mendacemque improba finget.*

Sic etiam Cicero in iii. 14. *quid de iis exiſtimandum, qui orationis* vanitatem *adhibuerunt:* Et in Tuſc. diſp. iii. 1. *ita variis imbuimur erroribus, ut* vanitati *veritas cedat.* Quibus addi poteſt Terentianum illud in Eunuch. i. 2. 24. *Sin falſum, aut* vanum, *aut fictum eſt* &c.

(i) *totumque ludum talarium*] Talis & teſſeris oblectamenti cauſſâ ludere, non erat infame apud Romanos: Hinc in Senect. c. 16. dicit Cato major, *ſenibus ex luſionibus multis* talos *relinquunt & teſſeras; id ipſum tamen ut lubebit, quoniam ſine his beata eſſe ſenectus poteſt.* Hîc verò Cicero per *ludum talarium* eos videtur ſolos notare, qui quæſtûs gratia ludum, ut Juvenes ibi ſe talis oblectarent, aperiebant.

dida putanda eſt: ſin magna & copioſa, multa undique apportans, multiſque ſine vanitate impertiens, non eſt admodum vituperanda: atque etiam, ſi, ſatiata quæſtu, vel contenta potiùs, ut ſæpe ex alto in portum, ſic ex ipſo portu ſe in agros poſſeſſioneſque contulerit, videtur jure optimo poſſe laudari. Omnium autem rerum, ex quibus aliquid acquiritur, nihil eſt agricultura melius, nihil uberius, nihil dulcius, [a] nihil homine libero dignius: de qua quoniam in Catone majore ſatis multa diximus, illinc aſſumes quæ ad hunc locum pertinebunt.

Sed ab iis partibus, quæ ſunt honeſtatis, quemadmodum officia ducerentur, ſatis expoſitum videtur. [b] Eorum autem ipſorum, quæ XLIII.

(a) *nihil homine libero dignius*] Hæc eſt lectio MSorum Gron. Lameth. Mill. Cant. Mead. ſec. trium Reg. & ſex Oxonienſium: Itemque edit. Mog. & Rom. pr. Vict. Manutii, &c. A quâ lectione vix recedit MSus Mead. pr. cùm vocem *hibil* aute *libero* punctis ſubnotatis ejiciat. Vulgò legitur, *nihil homine*, nihil *libero dignius;* quod mihi quidem vix à Ciceronis manu profectum eſſe videtur: quicquid enim eſt *homine* dignum, etiam *libero* dignum eſt. Fateor id, quod indignum eſt *homine*, poſſe dici multo magis indignum *libero* eſſe: ſic enim inſurgit ſententia. Contrà verò, ſi quis dicat (ut hìc Noſter) aliquid eſſe dignum *homine*, ſatis videtur dixiſſe, id etiam *libero* dignum eſſe, cùm humani generis idea tam liberorum quàm ſervorum conditionem amplectatur.

(b) *Eorum autem ipſorum*] De Honeſto Cicero in hoc libro dicere inſtituerat; ſed (ut ait in c. 3.) *dupliciter*. Primo loco quæſierat, Honeſtumne factu, an turpe, eſſet id, quod in deliberationem caderet: & hanc de Honeſto abſolutè poſito quæſtionem uſque ad hoc caput agitârat. Secundo igitur loco hìc agit de comparatione eorum, quæ Honeſta ſunt; ſc. de duobus honeſtis utrum eſſet honeſtius.

quæ honeſta ſunt, poteſt incidere ſæpe contentio & comparatio; de duobus honeſtis utrum honeſtius; qui locus à Panætio eſt prætermiſſus. Nam, cùm omnis honeſtas manet à partibus quatuor, quarum una ſit cognitionis, altera communitatis, tertia magnanimitatis, quarta moderationis; hæ in deligendo officio ſæpe inter ſe comparentur, neceſſe eſt. [c] Placet igitur aptiora eſſe naturæ ea officia, quæ ex communitate, quàm ea, quæ ex cognitione ducantur: idque hoc argumento confirmari poteſt; quòd, ſi contigerit ea vita ſapienti, ut, omnium rerum affluentibus copiis, quamvis omnia, quæ cognitione digna ſint, ſummo otio ſecum ipſe conſideret & contempletur; tamen, ſi ſolitudo tanta ſit, ut hominem videre non poſſit, excedat è vita. Princepſque omnium virtutum illa ſapientia, quam σοφίαν Græci vocant, (prudentiam enim, quam Græci φρόνησιν, aliam quandam intelligimus, quæ eſt rerum expetendarum fugiendarumque ſcientia): illa autem ſapientia, quam *principem* dixi, rerum eſt divinarum atque humanarum ſcientia: in qua continetur deorum & hominum communitas & ſocietas inter ipſos: ea ſi maxima eſt, (ut eſt certè) neceſſe eſt, quod à communitate ducatur officium, id eſſe maximum: etenim cognitio con-

(c) *Placet igitur*] i. e. hæc eſt mea opinio, ſive hoc mihi verum videtur. Vide Notam ad c. 7.

contemplatioque naturæ manca quodam modo atque inchoata ſit, ſi nulla actio rerum conſequatur: ea autem actio in hominum commodis tuendis maximè cernitur: pertinet igitur ad ſocietatem generis humani: ergo hæc cognitioni anteponenda eſt. Atque id optimus quiſque re ipſa oſtendit, & judicat: quis eſt enim [d] tam cupidus in perſpicienda cognoſcendaque rerum natura, ut, ſi ei tractanti contemplantique res cognitione digniſſimas [e] ſubitò ſit allatum periculum diſcrimenque patriæ, cui ſubvenire opitularique poſſit, non illa omnia relinquat atque abjiciat, etiam ſi dinumerare ſe ſtellas, aut metiri mundi magnitudinem poſſe arbitretur? atque hoc idem in parentis, [f] in amici re aut periculo fecerit. Quibus rebus

(d) *tam cupidus in perſpicienda* &c.] Non eſt uſitatum Ciceroni dicere, *cupidus in re aliquâ*. Sequemurne igitur Lambinum legentem, *tam cupidus perſpiciendæ cognoſcendæque rerum naturæ?* Mihi quidem nihil videtur mutandum eſſe, cùm vox *cognitionis*, quæ paulo ante præceſſerit, hîc ſubintelligi non incommodè poſſit: quaſi Cicero ſic pleniore orationis ambitu dixiſſet, *quis eſt enim tam cupidus* cognitionis, quæ *in perſpciendâ cognoſcendâque rerum naturâ* verſatur, &c?

(e) *ſubitò ſit* allatum *periculum diſcrimenque patriæ*] Vulgò, *oblatum:* ſed ſequendus eſt Victorius, cui edenti *allatum* favent editiones Mog. & Rom. pr. itemque fere omnes MSi. Vox *allatum* contractiùs dicitur pro *nuntio allatum*. Sic in Ep. ad Att. v. 2. *nondum ſatis huc erat* allatum, *quomodo Cæſar ferret de auctoritate perſcriptâ*. Et ib. ix. 1. *mirabar nihil* allatum *eſſe, ne rumoris quidem.* Vide etiam Noſtrum in Brut. cap. 1. & in Or. Philip. xiv. 1.

(f) *in amici* re aut *periculo fecerit*] Mihi vix videtur, Ciceronem voluiſſe hoc faciendum eſſe *in* omni *re amici*; cùm anteà ſolum docuiſſet id faciendum

bus intelligitur, ſtudiis officiiſque ſcientiæ præponenda eſſe officia juſtitiæ, [g] quæ pertinent ad hominum utilitatem, quæ nihil homini eſſe debet [h] antiquius.

XLIV. Atque illi, quorum ſtudia vitaque omnis in rerum cognitione verſata eſt, tamen ab augendis hominum utilitatibus & commodis non receſſerunt: nam & erudiverunt multos, quo meliores cives, utilioreſque rebus ſuis publicis eſſent; ut Thebanum Epaminondam Lyſis Pythagoreus, Syracuſium Dionem Plato, multique multos: noſque ipſi, quidquid ad rempublicam attulimus (ſi modò aliquid attulimus), à doctoribus atque doctrina inſtructi ad eam & ornati acceſſimus.

faciendum eſſe in periculo & diſcrimine patriæ. In MSo Mead. ſec. deeſt *in* ante vocem *amici:* unde arbitror Ciceronem ſcripſiſſe, *atque hoc idem in parentis*, amicive *periculo fecerit:* videtur vox *aut* è gloſſa nata fuiſſe, ubi poſita fuerat, ut ſenſum encliticæ particulæ *ve* oſtenderet: Niſi malit Lector interrogativè hæc fuiſſe ſic ſcripta, *atque hoc idem in parentis* amicive *periculo* haud *fecerit?* ſed in hujuſmodi rebus nolo me pertinacem videri.

(g) *quæ pertinent ad hominum* utilitatem] Ita Victorius, edit. Mog. & Rom. pr. ita etiam MSi Regii quatuor, Mead. duo, Cant. Mill. & omnes Oxon. cum aliis quamplurimis. Grævius tamen ex ſuo MSo & Palat. primo edidit *ad hominum* caritatem. Malè, ut arbitror; neque enim *caritas hominum* ſed *utilitas* finis eſt, ad quem reſpicere debet Juſtitia. Noſter igitur in cap. proximè ſequente dicit, *ab augendis hominum* utilitatibus *& commodis non receſſerunt.* Et, *doctrinæ ſtudiis & ſapientiæ dediti ad* hominum utilitatem *ſuam prudentiam —— potiſſimùm conferunt.* Item in hujus libri c. 7. *in hoc naturam debemus ducem ſequi, & communes* utilitates *in medium afferre commutatione officiorum.*

(h) *antiquis*] Prius, vel potiore ſtudio colendum: ſic in Amicit. c. 8. antiquior, *& pulchrior, & magis à naturâ ipſâ profecta alia cauſſa.*

mus. Neque ſolùm vivi atque præſentes ſtudioſos diſcendi erudiunt atque docent; ſed hoc idem etiam poſt mortem monumentis literarum aſſequuntur: nec enim locus ullus prætermiſſus eſt ab iis, qui ad leges, qui ad mores, qui ad diſciplinam reipublicæ pertineret: ut otium ſuum ad noſtrum negotium contuliſſe videantur. Ita illi ipſi, doctrinæ ſtudiis & ſapientiæ dediti, ad hominum utilitatem ſuam prudentiam intelligentiamque potiſſimùm conferunt. Ob eamque etiam cauſſam eloqui copioſè, modò prudenter, melius eſt, quàm vel acutiſſimè ſine eloquentia cogitare; quòd cogitatio in ſe ipſa vertitur; eloquentia complectitur eos, quibuſcum communitate juncti ſumus. Atque, ut apum examina non fingendorum favorum cauſſa congregantur; ſed, cùm congregabilia natura ſint, fingunt favos: ſic homines, ac multo etiam magis, natura congregati, adhibent agendi cogitandique ſollertiam. Itaque, niſi ea virtus, quæ conſtat ex hominibus tuendis, id eſt, ex ſocietate generis humani, [i] attingat cognitionem rerum, ſolivaga cognitio & jejuna videatur. ⌊[a] Itemque magnitudo animi, remota com-

(i) *attingat cognitionem rerum*] i. e. niſi cognitio rerum habeat ſibi conjunctam Juſtitiam.

(a) *Itemque magnitudo animi —— immanitas*] Hæc verba ideo uncis incluſi, quia videntur hìc non ſuum proprium locum habere. Nam quæ ſequuntur, *Ita fit, ut vincat cognitionis ſtudium conſociatio hominum atque communitas*, ſunt proculdubio Conſequentia, non proximè præcedentium verborum.

[illegible] humana, [illegible] Ita [illegible] conſociati [illegible] Nec [illegible] pro- [illegible] natura [illegible] efficere [illegible] cum ho- [illegible] quid [illegible] Non eſt [illegible] Ergo [illegible] & [illegible]

[illegible] eſt, cum hæc [illegible] eſt apta [illegible]

[illegible] & [illegible] eſt (quod [illegible] 45.) comparatio [illegible] quæ ad [illegible] iis, quæ [illegible] continentur, credibile [illegible] Ciceronem antea quiddam [illegible] de *magnitudine animi,* [illegible] honeſtatis parte, eam- [illegible] cum *communitate* com- paraſſe.

t etiam moderationi modeſtiæque ſemper ᴐteponenda. Non placet: ſunt enim [b] quæ- ᴉm partim ita fœda, partim ita flagitioſa, t ea ne conſervandæ quidem patriæ cauſſa piens facturus ſit: ea Poſidonius collegit ᴉrmulta; ſed ita tetra quædam, ita obſcœ- ᴉ, ut dictu quoque videantur turpia. Hæc itur non ſuſcipiet reipublicæ cauſſa: ne reſ- ıblica quidem pro ſe ſuſcipi volet. Sed ɔc commodiùs ſe res habet, quòd non ɔteſt accidere tempus, ut interſit reipu- ıcæ quidquam illorum facere ſapientem. uare hoc quidem effectum ſit, in officiis ligendis id genus officiorum excellere, quod teneatur hominum ſocietate: etenim cognitionem

(b) *quædam* partim *ita fæ-* ı] Vocem *partim*, quam ·angius primus è textu eje- t, & eum ſecuti recentiores ditores, ſuo loco reſtitui. ám habent omnes MSi, quos idit Fabritius, tredecim Ma- ıutiani, omnes Oxonienſes, Mead. ſec. & tres Regii: & nihi quidem videtur tum ſen- ſui, tum Latinitati neceſſaria. In ii. 17. de Leg. (quem lo- cum citat Langius, quo oſten- dat non neceſſe eſſe, ut vox *partim* repetatur) cùm dixerit icero, *partim ex illis diſtra- ac diſſipati jacent*, addidit, *vero ex iis*, &c. quod idem c *partim verò ex iis*. in Or. Cottæ apud ı, cùm eodem citante *uorum alia tolerari*, *partim repuli*, &c. vox *alia* idem valet ac *partim*. At huic nihil in hoc loco, quem expendimus, ſimile eſt: vox *quædam* iſti uſui non inſervit; quippe quæ generalis eſt vox, duaſque in ſe ſpecies conti- net, res *fœdas* & res *flagitio- ſas*. Omnino igitur, ut ſua voci *quædam* vis reddatur, le- gendum eſt, *ſunt enim quæ- dam* partim *ita fæda*, &c.

(c) *quòd* teneatur *hominum ſocietate*] Societas hominum tenetur officiis, non officia ho- minum ſocietate: hoc quid velit, non intelligo: quocir- ca cenſeo Ciceronem potiùs ſcripſiſſe *quod* tueatur *hominum ſocietatem*, i. e. quod eam fir- met & ſtabiliat. Sic in fine præcedentis cap. dicitur, *ad ſocietatem*

communitate conjunctioneque humana, barbaritas ſit quædam & immanitas.] Ita fit, ut vincat cognitionis ſtudium conſociatio hominum atque communitas. Nec verum eſt, quod dicitur à quibuſdam, propter neceſſitatem vitæ, quòd ea, quæ natura deſideraret, conſequi ſine allis atque efficere non poſſemus, idcirco initam eſſe cum hominibus communitatem & ſocietatem: quòd ſi omnia nobis, quæ ad victum cultumque pertinent, quaſi virgula divina, ut aiunt, ſuppeditarentur, tum optimo quiſque ingenio, negotiis omnibus omiſſis, totum ſe in cognitione & ſcientia collocaret. Non eſt ita: nam & ſolitudinem fugeret, & ſocium ſtudii quæreret; tum docere, tum diſcere vellet, tum audire, tum dicere. Ergo omne officium, quod ad conjunctionem hominum & ad ſocietatem tuendam valet, anteponendum eſt illi officio, quod cognitione & ſcientia continetur.

XLV. Illud forſitan quærendum ſit, num hæc communitas, quæ maximè eſt apta naturæ, ſit

borum (ut in Vulgatis libris exhibentur,) ſed iſtorum, *niſi ea virtus, quæ conſtat ex hominibus tuendis, id eſt, ex ſocietate generis humani, attingat cognitionem rerum, ſolivaga cognitio & jejuna videatur.* Videntur ea verba potiùs ad finem hujus capitis transferenda eſſe. Nam finitia eſt ibi demum comparatio eorum officiorum, quæ manant ex *cognitione & communitate*; & cùm propoſita eſt (quod fit in initio capitis 45.) comparatio eorum, quæ ad *communitatem* ſpectant cum iis, quæ *moderatione* continentur, credibile eſt Ciceronem antea quiddam dixiſſe de *magnitudine animi*, tertiâ honeſtatis parte, eamque cum *communitate* comparâſſe.

ſit etiam moderationi modeſtiæque ſemper anteponenda. Non placet: ſunt enim [b] quædam partim ita fœda, partim ita flagitioſa, ut ea ne conſervandæ quidem patriæ cauſſâ ſapiens facturus ſit: ea Poſidonius collegit permulta; ſed ita tetra quædam, ita obſcœna, ut dictu quoque videantur turpia. Hæc igitur non ſuſcipiet reipublicæ cauſſâ: ne reſpublica quidem pro ſe ſuſcipi volet. Sed hoc commodiùs ſe res habet, quòd non poteſt accidere tempus, ut interſit reipublicæ quidquam illorum facere ſapientem. Quare hoc quidem effectum ſit, in officiis deligendis id genus officiorum excellere, [c] quod teneatur hominum ſocietate: etenim cognitionem

(b) *quædam* partim *ita fœda*] Vocem *partim*, quam Langius primus è textu ejecit, & eum ſecuti recentiores editores, ſuo loco reſtitui. Eam habent omnes MSi, quos vidit Fabritius, tredecim Manutiani, omnes Oxonienſes, Mead. ſec. & tres Regii: & mihi quidem videtur tum ſenſui, tum Latinitati neceſſaria. In ii. 17. de Leg. (quem locum citat Langius, quo oſtendat non neceſſe eſſe, ut vox *partim* repetatur) cùm dixerit Cicero, *partim ex illis diſtracti ac diſſipati jacent*, addidit, *qui vero ex iis*, &c. quod idem valet ac *partim verò ex iis*. Sic etiam in Or. Cottæ apud Salluſtium, cùm eodem citante dicitur, *quorum alia tolerari, partim repuli*, &c. vox *alia* idem valet ac *partim*. At huic nihil in hoc loco, quem expendimus, ſimile eſt: vox *quædam* iſti uſui non inſervit; quippe quæ generalis eſt vox, duaſque in ſe ſpecies continet, res *fœdas* & res *flagitioſas*. Omnino igitur, ut ſua voci *quædam* vis reddatur, legendum eſt, *ſunt enim quædam* partim *ita fœda*, &c.

(c) *quòd* teneatur *hominum ſocietate*] Societas hominum tenetur officiis, non officia hominum ſocietate: hoc quid velit, non intelligo: quocirca cenſeo Ciceronem potiùs ſcripſiſſe *quod* tueatur *hominum ſocietatem*, i. e. quod eam firmet & ſtabiliat. Sic in fine præcedentis cap. dicitur, *ad*

K *ſocietatem*

cognitionem prudentiamque ſequitur conſiderata actio; ita fit, ut agere conſideratè pluris ſit, quàm cogitare prudenter. Atque hæc quidem hactenus: patefactus eſt enim locus ipſe, ut non ſit difficile in exquirendo officio, quod cuique ſit præponendum, videre. In ipſa autem communitate ſunt gradus officiorum, ex quibus, quid cuique præſtet, intelligi poſſit: ut prima diis immortalibus, ſecunda patriæ, tertia parentibus, deinceps [d] gradatim reliqua reliquis debeantur. Quibus ex rebus breviter diſputatis intelligi poteſt, non ſolùm id homines ſolere dubitare, honeſtumne an turpe ſit; ſed etiam, duobus propoſitis honeſtis, utrum honeſtius. Hic locus à Panætio eſt, ut ſupra dixi, prætermiſſus. Sed jam ad reliqua pergamus.

ſocietatem tuendam *valet*; & alibi. Sæpius *teneri* pro *tueri*, *teneatur* pro *tueatur* &c. in MSis ponuntur, errore librariorum: qui, ſi hic idem fecerint, omiſſâ lineolâ ſupra caput *e* pro *m* poſitâ, mutârunt *ſocietatem* in *ſocietate*.

(d) *gradatim* reliqua *reliquis debeantur*] Hæc eſt lectio edit. Mogunt. pr. Bened. Brugnoli, Lambini & nonnullarum aliarum veterum. Vulgò deeſt *reliqua*: ſed eam vocem habent MSi Mead. ſec. Groning. Mill. Bod. & Mag. Et omnino neceſſaria ſententiæ videtur; niſi putemus adverbium *gradatim* eam vim habere, ut locum caſûs nominativi pluralis ſuppleat, quod Ciceronianum eſſe vix auſim contendere. Iſta *reliqua* ſunt ea, quæ quartum, quintum, &c. locum occupant.

M. TUL-

M. TULLII CICERONIS

DE

OFFICIIS

AD

MARCUM FILIUM

LIBER SECUNDUS.

[a] QUEMADMODUM officia ducerentur ab honeſtate, Marce fili, atque ab omni genere virtutis, ſatis explicatum arbitror libro ſuperiore. Sequitur, ut hæc officiorum genera perſequar, quæ pertinent ad vitæ cultum, & ad earum rerum, quibus utuntur homines, [b] facultates, ad opes, ad copias: [c] in quo tum quæri dixi, quid I.

(a) *Quemadmodum*] Pro *quo pacto:* ſecus poſitum eſt quàm cùm dicimus, *quemadmodum dives eſt, ita potens. Eraſmus.* Vox ea in hoc ſenſu ſæpius à Cicerone uſurpatur: tum verò poſt ſe habere ſolet verbum modi ſubjunctivi: ut in i. 28. *quemadmodum nos adversùs homines geramus:* ii. 13. *quemadmodum vivat, inquiritur:* & alibi.

(b) *facultates*] Ita MSi Cant. & Mead. ſec. quo modo Noſter loqui ſolet: ut in i. 3. *ad* facultates *rerum atque copias, ad opes, ad potentiam.* Et in ii. 3. *duæ ad commoda vitæ, copias, opes,* facultates. Vulgò *facultatem.*

(c) *in quo tum quæri dixi*] Cave ne referas iſtud *quo* ad librum primum: potiùs per voces *in quo* intelligas *in quo negotio*, ſcilicet, *in perſequendis iis generibus officiorum, quæ pertinent ad vitæ cultum*, &c. De his dixerat in primi libri cap. 3, quæri ſolere, quid utile, quid inutile eſſet, & (duobus propoſitis utilibus) utrùm eorum eſſet utilius.

quid utile, quid inutile; tum ex utilibus quid utilius, [d] aut quid maximè utile: de quibus dicere aggrediar, ſi pauca priùs de inſtituto ac de judicio meo dixero. Quamquam enim libri noſtri complures non modò ad legendi, ſed etiam ad ſcribendi ſtudium excitaverunt; tamen interdum vereor, ne quibuſdam bonis viris philoſophiæ nomen ſit inviſum, mirenturque in ea tantum me operæ & temporis ponere. Ego autem, quamdiu reſpublica per eos gerebatur, quibus ſe ipſa commiſerat, omnes meas curas cogitationeſque in eam conferebam: cùm autem dominatu unius omnia tenerentur, neque eſſet uſquam conſilio aut auctoritati locus, ſocios denique tuendæ reipublicæ ſummos viros amiſiſſem; nec me angoribus dedidi, (quibus eſſem confectus, niſi iis reſtitiſſem), nec rurſum indignis homine docto voluptatibus. Atque utinam reſpublica ſtetiſſet quo cœperat ſtatu, nec in homines non tam commutandarum, quàm evertendarum rerum cupidos incidiſſet: primùm enim, ut ſtante republica facere

(d) *aut quid maximè utile*] Satis is videtur expreſſiſſe *quid maximè utile*, qui antea dixerat *ex utilibus quid utilius*: Video tamen Ciceronem in Partit. Orat. c. 19. ſimili modo, quo hîc, locutum eſſe, *Non ſimpliciter* (inquit) *ſolum quæritur, quid honeſtum ſit, quid utile, quid æquum, ſed etiam ex comparatione quid honeſtius, quid utilius, quid æquius; atque etiam quid honeſtiſſimum, quid utiliſſimum, quid æquiſſimum: cujus generis illa ſunt, quæ præſtantiſſima ſit dignitas vitæ.* In hoc ſecundo libro de Utili & Inutili fuſiùs Noſter acturus eſt: quà parte finitâ, breviùs in cap. 25. de comparatione Utilium dicturus eſt, ut pateat ex duobus propoſitis utilibus, utrum ſit utilius.

facere ſolebamus, in agendo plus, quàm in ſcribendo, operæ poneremus; deinde ipſis ſcriptis non ea, quæ nunc, ſed actiones noſtras mandaremus, ut ſæpe fecimus. Cùm autem reſpublica (in qua omnis mea cura, cogitatio, opera poni ſolebat) nulla eſſet omnino, [e] illæ ſcilicet literæ conticuerunt forenſes & ſenatoriæ: nihil autem agere cùm animus non poſſet, in his ſtudiis ab initio verſatus ætatis, exiſtimavi [f] honeſtiſſimè moleſtias poſſe deponi, ſi me ad philoſophiam retuliſſem: cui cùm [g] multum adoleſcens, diſcendi cauſſa,

(e) *illæ ſcilicet literæ conticuerunt*] Opinor verba *ſcilicet literæ* non eſſe Ciceronis, ſed gloſſatoris: vox *illæ* (iis deletis) poſſet ad *actiones* referri, de quibus paulo ante dictum eſt, & quæ appellari poſſent *forenſes & ſenatoriæ*; quia *agere* eſt oratoris tam in ſenatu quàm in foro. Hoc qui non animadvertit, videtur addidiſſe explicandi gratiâ, *ſcilicet literæ*.

(f) *honeſtiſſimè moleſtias poſſe deponi*] Si vox *moleſtias* retineatur, intelligas licet eos *angores*, quos paſſus eſt Cicero, quamvis illis non eſſet (ut paulo antè dixit) *confectus*. Sed cùm hæc vox non invenitur in tribus MSis Regiis, quinque Oxon. ſeptem Manutianis, aliiſque multis libris ſcriptis & impreſſis, delenda eſſe mihi, ut olim Langio & Grutero, videtur. J. Fr. Gronov. conjecit legendum eſſe *in his ſtudiis ab initio verſatus ætatis*, eas *exiſtimavi honeſtiſſimè poſſe deponi* &c. *eas* ſcilicet literas forenſes & ſenatorias. Si quid verò mutandum eſt (& mihi quidem locus videtur corruptus eſſe) legerem potiùs *exiſtimavi honeſtiſſimè* ea *poſſe deponi*, i. e. ea *ſtudia*, in quibus Cicero ab adoleſcentia verſatus fuerit. Non videtur ſcripſiſſe *moleſtias*, cùm hæ *deponendæ* ſint quovis *honeſto* modo, etſi non *honeſtiſſimo*. Philoſophia eſt etiam id, quod maximè efficit, ut homines *moleſtias* deponant: ſi igitur Noſter ſcripſiſſet *moleſtias*, dixiſſet, opinor, *exiſtimavi* (non *honeſtiſſimè*, ſed) *facillimè moleſtias poſſe deponi* &c.

(g) *multùm adoleſcens*, &c.] Hoc loco *multùm* referendum eſt ad genitivum *temporis*, interjectis in medio dictionibus nonnullis. *Eraſmus*.

ſa, temporis tribuiſſem, poſtea quàm honoribus inſervire cœpi, meque totum reipublicæ tradidi, tantum erat philoſophiæ loci, (h) quantum ſuperfuerat amicorum & reipublicæ temporibus: id autem omne conſumebatur in legendo; ſcribendi otium non erat.

II. Maximis igitur in malis hoc tamen boni aſſecuti videmur, ut ea literis mandaremus, quæ nec ſatis erant nota noſtris, & erant cognitione digniſſima. Quid eſt enim, per deos! optabilius ſapientia? quid præſtan-

(h) *quantum ſuperfuerat amicorum & reipublicæ temporibus*] MSi fere omnes habent *temporis*; Pal. pr. & unus Grævii habent *tempori*: multique docti ediderunt *temporibus*, quod omnino Ciceronianum Grævio rectè videtur. Per *tempora* intellige eas res, quæ unicuique accidunt; vel (ut Grævii verbis utar) ſæpius Cicero his notat ſtatum, conditionem, fortunam, ſive hominum ſive reipublicæ: Hujus ſignificationis varia adducit exempla: ut in Orat. pro lege Manil. c. i. *omne meum tempus* amicorum temporibus *tranſmittendum putavi*. In Orat. pro Cœlio c. 6. *ſervire* temporibus *omnium* ſuorum *pecuniâ, gratiâ*, &c. Quibus addi poteſt id, quod dicitur hîc in iii. 24. *niſi forte eam pecuniam in reipublicæ magnum aliquod* tempus *contulerit*: & in c. 25. *multa, quæ honeſta naturâ eſſe videntur*, temporibus *fiunt non honeſta*. Vide etiam Notas meas ad i. c. 9. & c. 10. At hæc lectio *temporibus* Grutero olim diſplicuit; & Oliveto video eam non placuiſſe, cujus judicio in hujuſmodi rebus multum tribuendum eſſe cenſeo. Hic enim lectionem *temporis* defendit: vult ordinem verborum hunc eſſe, *quantum temporis amicorum & reipublicæ* (mihi) *ſuperfuerat*: ſenſumque eorum ita explicat; "Cùm reddideram amicis & "reipublicæ partes temporis, "quas illis ego debebam, ſi "quid ſuperfuerat, tum phi-"loſophiam ſic, quaſi in lo-"cum vacuum neque occupa-"tum, admittebam." Nempe per *tempus* intelligit id, quod vox hæc propriè & uſitatiſſimè ſignificat: At hoc *tempus*, ſi *amicorum & reipublicæ* erat, non video qui potuit *ſupereſſe*: Id, quod poſt confecta reipublicæ & amicorum negotia ſuper-

ſtantius? quid homini melius? quid homine dignius? Hanc igitur qui expetunt, philoſophi nominantur; nec quidquam aliud eſt philoſophia, ſi interpretari velis, quàm ſtudium ſapientiæ. Sapientia autem eſt (ut à veteribus philoſophis definitum eſt) rerum divinarum & humanarum, cauſſarumque, quibus hæ res continentur, ſcientia: cujus ſtudium qui vituperat, haud ſanè intelligo quidnam ſit, quod laudandum putet. Nam ſive oblectatio quæritur animi requieſque curarum; quæ conferri cum eorum ſtudiis poteſt, qui ſemper aliquid anquirunt, quod ſpectet & valeat ad bene beatéque vivendum? [i] Sive ratio conſtantiæ virtutiſque ducitur; aut hæc ars eſt, aut nulla omnino per quam eas aſſequamur: Nullam dicere maximarum rerum artem eſſe, cùm minimarum ſine arte nulla ſit, hominum

ſuperfuerat, fuit tempus ipſius Ciceronis, jure (ſi ipſi placeret) ad Philoſophiam conferendum. Non igitur cenſeo vocem *temporis* hîc cum vocibus *amicorum & reipublicæ* conjungendam eſſe: ſiquis enim eas conjungat, inveniet dativum cauſum deeſſe poſt *ſuperfuerat*: ſin eas disjungat, manca erit ſententia, & neceſſe erit ut verba *amicorum & reipublicæ* à verbo *negotiis*, vel ſimili quodam, in textum adducendo regantur. His rationibus motus edidi *temporibus*; ut ſit ſenſus; Tantum temporis (nam ſpatium temporis hîc *locus* ſignificat) Philoſophiæ impendi, quantum remanſit mihi poſt collata officia, quæ à me amicis & reipublicæ deberentur.

(i) *Sive ratio conſtantiæ virtutiſque ducitur*] MSus Mill. & editiones Mogunt. & Brugnoli 1514. & Rom. 1469. habent *quæritur*: ſed alia illa vox in cæteris MSis & in impreſſis fere omnibus libris extat: Extat etiam in

minum eſt parum conſideratè loquentium, atque in maximis rebus errantium; ſi autem eſt aliqua diſciplina virtutis, ubi ea quæretur, cùm ab hoc diſcendi genere diſceſſeris? Sed hæc, cùm ad philoſophiam cohortamur, accuratiùs diſputari ſolent; quod [a] alio quodam libro fecimus. Hoc autem tempore tantùm nobis declarandum fuit, cur, orbati reipublicæ muneribus, ad hoc nos ſtudium potiſſimùm contuliſſemus.

Occurritur autem nobis, & quidem à doctis & eruditis quærentibus, ſatiſne conſtanter facere videamur, qui, [b] cùm percipi nihil poſſe dicamus, tamen & aliis de rebus diſſerere ſoleamus, & hoc ipſo tempore præcepta officii perſequamur. Quibus

Lact. D. Inſt. iii. 13. ubi multam hujus capitis partem ad verbum citat. *Ducere rationem* rei alicujus, idem eſt, quod ejus rationem habere. Et ſanè (inquit Camerarius) *rationem ducere* vel ſui vel alterius, itemque rerum ſuarum alienarumve, Ciceronianum eſſe conſtat. In Orat. pro Quint. c. 16. dicitur *officii & exiſtimationis rationem ducere*. Hæc ille: & veritatem Ciceroniani dicendi generis ſenſiſſe videtur. Confer etiam Orat. Verr. i. 48. *Conſtantia & Virtus* hîc eodem modo copulantur, idemque ſignificant, quod in iii. 2. dicitur, *conſtanter honeſtéque vivendi præcepta*: neque enim ſatis eſt ex Philoſophia ducere virtutem; conſtantia etiam in virtute colendâ inde ducenda eſt; ut nobiſmet ipſi in nulla vitæ parte diſſimiles eſſe reperiamur.

(a) *alio quodam libro*] ſc. libro, cui nomen *Hortenſius* fuit. *Cohortati ſumus* (inquit in ii. 1. de Divin.) *ut maximè potuimus, ad philoſophiæ ſtudium eo libro, qui eſt inſcriptus Hortenſius*. Vide etiam i. 1. de Fin.

(b) *cùm percipi nihil poſſe dicamus*] Editio Mogunt. & MSus Mead. pr. à correctoris manu habet *præcipi*. Malè: *nihil* enim *percipi poſſe*, idem ſignificat (cùm ab Academico dicitur, qualis fuerit Cicero)

bus vellem ſatis cognita eſſet noſtra ſententia; non enim ſumus ii, quorm vagetur animus errore, nec habeat unquam quid ſequatur: quæ enim eſſet iſta mens, vel quæ vita potius, non modò diſputandi, ſed etiam vivendi ratione ſublata? Nos autem, ut cæteri alia certa, alia incerta eſſe dicunt; ſic ab his diſſentientes [c] alia probabilia, contrà alia eſſe dicimus. Quid eſt igitur, [d] quod me impediat, ea, quæ mihi probabilia videantur, ſequi; quæ contrà, improbare; atque affirmandi arrogantiam vitantem, fugere temeritatem, quæ à ſapientia diſſidet plurimùm? Contra autem omnia diſputatur à noſtris, quôd hoc ipſum pro-

Cicero) quod nihil poſſe pro vero & certo affirmari. Audi ipſum in v. 26. de Fin. *Nihil eſt aliud, quamobrem nihil percipi mihi poſſe videatur, niſi quòd percipiendi vis ita definitur à Stoicis, ut negent quicquam poſſe percipi, niſi tale verum, quale falſum eſſe non poteſt.* Vide plura de hâc re in i. 5. de Nat. D. & in i. 8. Tuſc. Diſp. & in Acad, i, 12. & iv. 20.

(c) *alia probabilia, contrà alia eſſe dicimus*] Vulgò, *contrà alia non probabilia eſſe* dicimus. At vel vox *contrà*, vel voces *non probabilia* ſunt ejiciendæ: Parum refert, utram viam inſiſtat Lector. Has autem poſtremas ego ideo ejeci, voce *contrà* ſervatâ, quia abſunt ab edit. Mogunt. à MSis Mead. duobus, Regiis quatuor, tribus Oxon. Cant. Lameth. & Palat. ſec. Eaſque olim pro gloſſemate eſſe putabat Langius, & Fabritius, & Lambinus. Simile dicendi genus occurrit in ſequentibus, *quæ mihi probabilia videantur, ſequi; quæ contrà, improbare.* Et in Acad. ſeç. 32. *ut aliæ probabiles videantur, aliæ contrà.*

(d) *quod me impediat*, &c.) Novè dixit Cicero, *impediat me ſequi:* Mollius & tritius eſt, *impediat quo minus ſequar. Eraſmus.* Eodem tamen modo locutus eſt in i. 35. de Orat. *Me enim impedit pudor ab homine omnium graviſſimo hæc, quæ iſti forſitan puerorum elementa videantur, exquirere.*

probabile elucere non poſſet, niſi ex utraque parte cauſſarum eſſet facta contentio. Sed hæc explanata ſunt in Academicis noſtris ſatis, ut arbitror, diligenter. Tibi autem, mi Cicero, quamquam in antiquiſſima nobiliſſimaque philoſophia, Cratippo auctore, verſaris, [e] iis ſimillimo, qui iſta præclara pepererunt; tamen hæc noſtra, finitima veſtris, ignota eſſe nolui. Sed jam ad inſtituta pergamus.

III. Quinque igitur rationibus propoſitis officii perſequendi, quarum duæ ad decus honeſtatemque pertinent; duæ ad commoda vitæ, copias, opes, facultates; quinta ad eligendi judicium, ſi quando ea, quæ dixi, pugnare inter ſe viderentur; honeſtatis pars confecta eſt, quam quidem tibi cupio eſſe notiſſimam. [f] Hoc autem, de quo nunc agimus, id ipſum eſt, quod utile appellatur; in quo verbo lapſa conſuetudo deflexit de via, ſenſimque eò deducta eſt, ut, honeſtatem ab utilitate ſecernens, conſtitueret honeſtum eſſe aliquid, quod utile non eſſet, & utile, quod non honeſtum; qua nulla pernicies major hominum vitæ potuit afferri. Summa quidem auctoritate philoſophi ſeverè ſanè atque honeſtè [g] hæc tria

(e) *iis ſimillimo, qui iſta &c.*] Senſus eſt; Cratippus, tuus magiſter, ſimillimus eſt Socrati, Platoni, Ariſtoteli aliiſque, qui principes in Philoſophiâ habentur.

(f) *Hoc autem, de quo nunc agimus*] Hîc Noſter de Utili agere incipit, quod eſt ſubjectum ſive materies hujuſce ſecundi libri.

(g) *hæc tria* genera *confuſa cogi-*

tria genera confuſa cogitatione diſtinguunt: quidquid enim juſtum ſit, id etiam utile eſſe cenſent: itemque quod honeſtum, idem juſtum: ex quo efficitur, ut, quidquid honeſtum ſit, idem ſit utile. Quod qui parum perſpiciunt, hi ſæpe, verſutos homines & callidos admirantes, malitiam ſapientiam judicant; quorum error eripiendus eſt, [h] opinioque omnis ad eam ſpem traducenda, ut honeſtis conſiliis juſtiſque factis, non fraude &

cogitatione diſtinguunt] Senſus eſt: Maximi philoſophi (quamquam non ſecernunt honeſtatem ab utilitate, quod vulgò fit), tamen hæc tria, *juſtum*, *honeſtum*, *utile*, quæ revera unum idemque ſignificant, mente & cogitatione diſtinguunt: ita ut, cùm ea tribus nominibus ſignent, tamen unam eandemque rem eſſe cenſeant. Similiter Cicero locutus eſt in i. 27. *totum illud* (decorum) *eſt cum virtute confuſum, ſed mente & cogitatione diſtinguitur.* Eſt, qui olim conjecit legendum eſſe *genera re confuſa*; ego verò *genere confuſa*: Mihi enim vix videtur Ciceronem voluiſſe juſtum, honeſtum, & utile, tria *genera* vocare; ſed dicere potiùs, *hæc tria* eſſe *confuſa genere*, i. e, ejuſdem generis eſſe, ſive idem genus participare. Ut in libris de Legibus dixerat (citante eum Lactantio in Div. Inſt. v. 8.) *omnes homines inter ſe* naturâ confuſi, *pravitate diſſentiunt.* Cui adde id quod dicit Horat. Serm. ii. 4. 67.

Hoc ubi confuſum (i. e. permiſtum) *ſectis inferbuit herbis.*

(h) *opinioque omnis ad eam ſpem* &c.] MSi fere omnes habent *ſpeciem*; ſed in Lameth. & Regio ſec. ineſt *ſpem*; quam lectionem Fabritius protulit ex vet. codicibus, & ad hunc modum explicavit. Monet (inquit) Cicero, homines in eam ſententiam perducendos eſſe, ut non aliter ſperent ſe ea, quæ cupiunt, aſſecuturos, quàm ſi honeſti ac juſti ſint. Hæc ille: &, quamquam voces *ſpes* & *opinio*, ſi proprius illis detur ſenſus, multùm inter ſe differunt, Noſter tamen eas aliquando, quaſi idem ſignificantes, uſurpare videtur. Sic in iii. 8. legimus, *ex omni deliberatione celandi & occultandi ſpes opinioque removenda eſt.* In orat. pro Murena cap. 21. *populi opinionem à ſpe adipiſcendi avertunt.* In Orat. Verr. Act. ii. 51. *iſte, qui jam ſpe & opinione prædam illam devoraſſet.*

& malitia, ſe intelligant ea, quæ velint, conſequi poſſe.

Quæ ergo ad vitam hominum tuendam pertinent, partim ſunt inanima, ut aurum, argentum, ut ea quæ gignuntur è terra, ut alia ejuſdem generis: partim animalia, quæ habent ſuos impetus, & rerum appetitus. Eorum autem alia rationis expertia ſunt, alia ratione utentia: expertes rationis ſunt equi, boves, reliquæ pecudes, apes, quarum opere efficitur aliquid ad hominum uſum atque vitam; ratione autem utentium duo genera [i] ponunt, unum deorum, alterum hominum: deos placatos pietas efficiet & ſanctitas: proximè autem & ſecundùm deos, homines hominibus maximè utiles eſſe poſſunt. Earumque item rerum, quæ noceant & obſint, eadem diviſio eſt: ſed quia deos nocere non putant, [a] his exceptis, [b] homines hominibus obeſſe & prodeſſe plurimùm arbi-

(i) *ponunt*] Ita plerique MSi inter quos optimi fere quique; non, ut vulgò, *ponuntur:* ante verbum *ponunt* ſubintellige *homines*, ſive *philoſophi*; ut etiam ante verba mox ſequentia, *putant* et *arbitrantur*. Vide quæ dixi in Nota ad i. c. 7.

(a) *his exceptis*] i. e. ſi excipias Deos, quos philoſophi nocere hominibus non putant. Hoc mihi videtur eſſe Ciceronis, non affirmantis, ſed concedentis potiùs; ut argumentum ſuum, objectionibus iſtorum philoſophorum non impeditum, melius procedat. Dixerat enim antea, *placatos deos efficiet pietas & ſanctitas:* hoc verò qui dicit, ſatis innuit eoſdem Deos punire ſolere impios & profanos. Vide quæ ad hanc rem dicturus ſum in Nota ad iii. 29.

(b) *homines hominibus obeſſe & prodeſſe plurimùm* &c.] Ita edit. Mogunt. & Rom. cum MSis Mill. Mead. ſec. & duobus MSis Oxon. Vulgò deſunt voces *et prodeſſe*, quas hìc deeſſe non debere appa-

arbitrantur: ea enim ipſa, quæ inanima diximus, pleraque ſunt hominum operis effecta, quæ nec haberemus, niſi manus & ars acceſſiſſent; nec his ſine hominum adminiſtratione uteremur: neque enim valetudinis curatio, neque navigatio, neque agricultura, neque frugum fructuumque reliquorum perceptio & conſervatio ſine hominum operâ ulla eſſe potuiſſet. Jam verò & earum rerum, quibus abundaremus, exportatio, & earum, quibus egeremus, invectio, certè nulla eſſet, niſi his muneribus homines fungerentur. Eademque ratione nec lapides è terra exciderentur ad uſum noſtrum neceſſarii, nec ferrum, æs, aurum, argentum effoderetur penitus abditum ſine hominum labore & manu.

Tecta verò, quibus & frigorum vis pelleretur, & calorum moleſtiæ ſedarentur, unde aut initio generi humano dari potuiſſent, aut poſtea [c] ſubveniri, ſi aut vi tempeſtatis, aut terræ motu, aut vetuſtate cecidiſſent, niſi communis vita ab hominibus harum rerum, auxilia petere didiciſſet? [d] Adde ductus IV.

apparet ex ſequentibus uſque ad medium ferè cap. 5. ubi etiam Noſter dicit, *cùm igitur hic locus nihil habeat dubitationis, quin homines plurimùm hominibus & proſint & obſint.* Adde quòd, his deletis, in iis quæ ſequuntur, nulla vis videtur eſſe conjunctionis *enim.*

(c) *ſubveniri*] i. e. reſarciri vel refici: Habemus paulo infra, *Quid enim ægris ſubveniret?*

(d) *Adde ductus aquarum*] Conjecturam Gulielmii *at deductus aquarum* in textum Grævius recepit, duorum fide (ut ait) MSorum. At Victorii lectionem *Adde ductus aquarum*

ductus aquarum, derivationes fluminum, agrorum irrigationes, moles oppoſitæ fluctibus, portus manu factos; quæ unde ſine hominum opera habere poſſemus? Ex quibus multiſque aliis perſpicuum eſt, qui fructus, quæque utilitates ex rebus iis, quæ ſunt inanimæ, percipiantur, eas nos nullo modo ſine hominum manu atque opera capere potuiſſe. Qui denique ex beſtiis fructus, aut quæ commoditas niſi homines adjuvarent, percipi poſſet? nam & qui (e) principes inveniendi fuerunt, quem ex quaque belua uſum habere poſſemus, homines certè fuerunt: nec hoc tempore ſine hominum opera aut paſcere eas, aut domare, aut tueri, aut tempeſtivos fructus ex iis capere, poſſemus: ab eiſdemque & eæ, quæ nocent, interficiuntur; & quæ uſui poſſunt eſſe, capiuntur. Quid enumerem artium multitudinem, ſine quibus vita omnino nulla eſſe potuiſſet? (f) quid enim ægris ſubveniret? quæ eſſet oblectatio valentium,

aquarum confirmant MSi omnes fere mei & Oxonienſes cum plurimis aliis. Sic etiam legitur in edit. Mogunt. & Rom. Nec aliter Noſter in c. 17. *illæ impenſæ majores, muri, navalia, portus,* aquarum ductus, *omniaque quæ ad uſum reipublicæ pertinent,* &c. Ipſo Grævio fatente, vox *deductus* in Lexicis Lat. non occurrit: Quam vocem ſi legamus, cùm nihil de illis deductibus, molibus, portubuſve hìc prædicetur, accuſativus erit caſus ſine verbo, à quo pendere poſſit.

(e) *principes invenienda fuerunt*] *Principes* dixit primos: ſed novè addidit gerundium *inveniendi*, ſentiens primos inventores. *Eraſmus.*

(f) *quid enim ægris ſubveniret?*] Vulgò, *quis: ſed* edit.

lentium, qui victus aut cultus,[f] niſi tam multæ nobis artes[g] miniſtrarent? quibus rebus exculta hominum vita tantum diſtat à victu & cultu beſtiarum. Urbes verò ſine hominum cœtu non potuiſſent nec ædificari, nec frequentari:[h] ex quo leges moreſque conſtituti, tum juris æqua deſcriptio, certaque vivendi diſciplina; quas res & manſuetudo animorum conſecuta & verecundia eſt; effectumque, ut eſſet vita munitior; atque ut dando & accipiendo, mutandiſque facultatibus & commodis, nulla re egeremus.

Longiores hoc loco ſumus, quàm neceſſe eſt. Quis eſt enim, cui non perſpicua ſint illa, quæ pluribus verbis à Panætio commemorantur; neminem, neque ducem belli, nec principem domi, magnas res & ſalutares[i] ſine hominum ſtudiis gerere potuiſſe? Commemoratur ab eo Themiſtocles, Pericles, Cyrus, Ageſilaus, Alexander, quos negat ſine adjumentis hominum tantas res efficere potuiſſe: utitur in re non dubia teſtibus V.

edit. Mogunt. & Rom. cum MSis Mill. Cant. Lameth. tribus Regiis & pleriſque MSis Oxon. habent *quid:* quod eo magis ſe mihi commendat, quia non in ſequente ſententiâ dicitur *oblectator*, ſed *oblectatio:* Nempe de re, non de perſonâ ſermo eſt.

(g) *miniſtrarent*] i. e. miniſtrarent nobis id, quod ægris ſubveniret, & quod oblectationi eſſet valentibus. Non opus eſt igitur, ut legamus cum quibuſdam *miniſtrarentur*.

(h) *ex quo*] i. e. ex quo cœtu, vel (ſi malis) ex eo quòd urbes ædificantur & frequentantur.

(i) *ſine hominum ſtudiis*] i. e. voluntatibus ad eum adjuvandum propenſis.

teſtibus non neceſſariis. Atque ut magnas utilitates adipiſcimur conſpiratione hominum atque conſenſu; ſic nulla tam deteſtabilis peſtis eſt, quæ non homini ab homine naſcatur. Eſt Dicæarchi liber de interitu hominum, Peripatetici magni & copioſi: qui, [a] collectis cæteris cauſſis, eluvionis, peſtilentiæ, vaſtitatis, beluarum etiam repentinæ multitudinis, quarum impetu docet [b] quædam hominum genera eſſe conſumta; deinde comparat, quanto plures deleti ſint homines hominum impetu, id eſt, bellis aut ſeditionibus, quàm omni reliqua calamitate.

Cùm igitur hic locus nil habeat dubitationis, quin homines plurimùm hominibus & proſint & obſint; [c] primum hoc ſtatuo eſſe virtutis, conciliare animos hominum, & ad uſus ſuos adjungere. Itaque, quæ in rebus inanimis,

(a) *collectis cæteris cauſſis, eluvionis,* &c.] Non collegit cauſſas eluvionis &c. ſed eluviones, peſtilentias, vaſtitates, beluarum repentinas multitudines memoravit, eaſque omnes cum hominum impetu comparavit. Si qui igitur faverent MSi, libenter legerem *eluvionibus, peſtilentiis, vaſtitatibus, beluarum repentinis multitudinibus:* poſt verba *cæteris cauſſis* ſubintelligendum eſt *interitûs hominum*; quod, cùm ignorarent Librarii, videntur ſequentia immutâſſe.

(b) *quædam hominum genera*] i. e. quaſdam gentes. Sic in iii. 4. occurrit *cum omni hominum genere.* Et ſic locutus eſt Noſter in Ep. ad Q. Fratrem i. 1. *Conſtat ea provincia ex eo genere ſociorum, quod eſt ex hominum omni genere humaniſſimum.* Sic in Plaut. Amphit. populus Thebanus dicitur *genus Thebanum:* & in Virg. Æn. i. 543. *Quod genus hoc hominum?* i. e. quæ natio? Quinct. etiam de Inſt. Orat. p. 557. 6. Amyclas in Latio à Serpentibus deletas fuiſſe dicit Plin. in Nat. Hiſt. iii. 5.

(c) *primum hoc ſtatuo* &c.] i. e. primum eſſe munus, ſive officium virtutis: multa ſunt ejus propria, hoc verò primum officium.

inanimis [d] quæque in tractatione beluarum fiunt utiliter ad hominum vitam, artibus ea tribuuntur operoſis: hominum autem ſtudia, ad amplificationem noſtrarum rerum promta ac parata, virorum præſtantium ſapientia & virtute excitantur. [e] Etenim virtus omnis tribus in rebus fere vertitur: quarum una eſt in perſpiciendo, quid in quaque re verum

(d) *quæque in tractatione beluarum*] Grævius edidit *in uſu & tractatione*, auctoritate MSi. Pal. pr. & alterius ſui; quibus aſſentitur MSus Mill. At cùm, voces *uſu & abſint* ab Edit. Mogunt. Victor. & Langii, & à MSis ſex meis, totidem Oxon. & innumeris ferè aliis, eas ejiciendas eſſe judicavi; præſertim cùm ſenſui his ejectis, non ſolùm ſatis ſit, ſed inconcinnè etiam conjungi videantur *uſu* & *utiliter*.

(e) *Etenim virtus omnis tribus in rebus* &c.] Hæc & quæ ſequuntur uſque ad *humanitaſque patitur*, ni obſtarent MSi codices, libenter à Cicerone abjudicarem, tamquam ipſi ab otioſo aliquo Scholiaſte adſuta. Quid enim? Primò, importunè, ubi minimè opus fuit, divagatur in *virtutis* explicatione, cùm de eâ re Noſter in ſuperioribus abunde ſatis egerat; deinde ipſi Ciceroni adverſatur in virtutum *diviſione*, cùm eas *intra trium rerum* ſpatia concludat, *quas* Cicero accuratiùs in *quatuor* ſedes diſcreverat. Ita in i, 5. *Omne quod honeſtum, id quatuor partium oritur ex aliquâ; aut enim in perſpicientiâ veri* &c. *Quæ quatuor quamquam inter ſe colligata atque implicata ſunt, tamen ex ſingulis certa officiorum genera naſcuntur: velut ex ea parte, quæ prima deſcripta eſt, ineſt indagatio atque inventio veri; ejuſque* virtutis *hoc munus eſt proprium: —— Reliquis autem* tribus virtutibus *neceſſitate*, &c. Idem iterum c. 43. *Cùm omnis honeſtas manet à partibus* quatuor, *quarum una ſit cognitionis, altera*, &c. Conferantur etiam cap. 27 & 29. Ex quibus ſanè liqueat aut Ciceronem à ſeipſo in his verbis diffidere plurimum, aut alium neſcio quem in hoc loco laciniam ex ingenio ſuo attexuiſſe. Quid quòd ita turbatè atque exiliter virtutes ibi ſummæ, quæ dicuntur *communitatis*, exprimantur, ut ſcioli potiùs gloſſam ſapiant, qum vim Tullianam. *Chapman.*

L

verum ſincerumque ſit, quid conſentaneum cuique, quid conſequens, ex quo [f] quæque gignantur, quæ cujuſque rei cauſſa ſit: alterum cohibere motus animi turbatos, quos Græci πάθη nominant: appetitioneſque, quas illi ὁρμὰς, obedientes efficere rationi: tertium, iis, quibuſcum congregamur, uti moderate & ſcienter, quorum ſtudiis ea, quæ natura deſiderat, expleta cumulataque habeamus; [g] per eoſdemque, ſi quid importetur nobis incommodi propulſemus: [h] ulciſcamurque eos, qui nocere nobis conati ſunt, tantaque pœna afficiamus, quantam æquitas humanitaſque patitur.

VI. Quibus autem rationibus [i] hanc facultatem aſſequi poſſimus, ut hominum ſtudia complectamur, eaque teneamus, dicemus, neque

(f) *quæque gignantur*] Ita omnes fere MSi: vulgò, *quidque gignatur*. Vide Notam meam ad ii. 9. de Orat.

(g) *per eoſdemque*] Vulgò, *per eos denique:* Sed ſequor lectionem Victorii & MSorum ſeptem meorum, quinque Oxonienſium, itemque aliorum. De copula *que* poſt ſecundam vocem poſita, vide notam meam ad i. 1. de Orat. cui addere poterit Lector i. 44. *ob eamque etiam cauſſam*, & multa alia, quæ occurrunt, exempla.

(h) *ulciſcamurque*] Vox *ulciſci* hîc idem valet ac punire ſive pœnâ afficere. Aliquando tamen is dicitur *ulciſci aliquem*, qui pœnas injuriarum acceptarum, illius nomine, ab hoſtibus exigit. Sic in Virg. Æn. vii. 841.

Ultus *avos Trojæ, templa & temerata Minervæ.*

ib. ii. 575.

——————— *ſubit ira cadentem*

Ulciſci *patriam*. ——

Sed de hoc ſatis; ne videar (ut cum ipſo Cicerone loquar) *in re non dubiâ uti teſtibus non neceſſariis.*

(i) *hanc facultatem aſſequi*] i. e. hanc tertiam rem, in quâ virtus vertitur: de quâ in extremâ præcedentis capitis

neque ita multo poſt: ſed pauca antè dicenda ſunt.

Magnam vim eſſe in fortuna in utramque partem, vel ſecundas ad res vel adverſas, quis ignorat? nam &, cùm proſpero flatu ejus utimur, ad exitus pervehimur optatos: &, cùm reflavit, affligimur. Hæc igitur ipſa fortuna cæteros caſus rariores habet: primùm ab inanimis procellas, tempeſtates, naufragia, ruinas, incendia; deinde à beſtiis ictus, morſus, impetus: hæc ergo, ut dixi, rariora. At verò interitus exercituum, ut proximè trium, ſæpe multorùm: clades imperatorum, ut nuper [a] ſummi ac ſingularis viri; invidiæ præterea multitudinis, atque, ob eas, bene meritorum ſæpe civium expulſiones, calamitates, fugæ: rurſuſque ſecundæ res, honores, imperia, victoriæ, quamquam fortuita ſunt, tamen ſine hominum [b] opibus & ſtudiis neutram in partem effici poſſunt. Hoc igitur cognito, dicendum eſt, quonam modo hominum ſtudia ad utilitates noſtras allicere atque excitare poſſimus: quæ ſi longior fuerit oratio, cum magnitudine utilitatis comparetur; ita fortaſſis etiam brevior videbitur.

Quæ-

tis parte Cicero locutus eſt, *tertium, iis, quibuſcum congregamur uti moderatè*, &c.

(a) *ſummi* &c.] Nempe, Pompeii Magni.

(b) *opibus*] i. e. potentiâ: ut in cap. ſequ. *ſed etiam ad opes & potentiam valet plurimùm.* In iii. 8. legimus, *hinc opum nimiarum potentiæ non ferendæ.*

Quæcumque igitur homines homini tribuunt ad eum augendum atque honeſtandum; [c] aut benevolentiæ gratia faciunt, cùm aliqua de cauſſa quempiam diligunt; aut honoris, ſi cujus virtutem ſuſpiciunt, [d] quemque dignum fortuna quàm ampliſſima putant: aut cui fidem habent, & bene rebus ſuis conſulere arbitrantur: aut cujus opes metuunt; aut contra à quibus aliquid exſpectant, ut cùm reges popularesve homines largitiones aliquas proponunt; aut poſtremò pretio ac mercede ducuntur; [e] quæ ſordidiſſima eſt illa quidem ratio & inquinatiſſima, & iis, qui ea tenentur, & illis, qui ad eam confugere conantur: malè enim ſe res habet, cùm, quod virtute effici debet, id tentatur pecunia. Sed, quoniam nonnumquam hoc ſubſidium neceſſarium eſt, quemadmodum ſit utendum eo dicemus, ſi priùs iis de rebus, quæ virtuti propiores ſunt, dixerimus. Atque etiam ſubjiciunt

(c) *aut benevolentiæ gratiâ faciunt*] Sex Noſter enumerat rationes, cur homines homini ſe utiles præbent. De primâ & quartâ, quæ Benevolentiam & Metum habent, dicturus eſt initio c. 7. uſque ad finem c. 8. De ſecundâ & tertiâ, in quâ continentur Honos & Fides, agit in c. 9. ferè ad finem c. 14. De quintâ & ſextâ in quibus Liberalitas & Corruptela inſunt, à cap. 15. ferè ad finem cap. 24.

(d) *quemque dignum*] *Quemque* idem valet ac *& ſi quem*: conjunctionem *ſi* à præcedentibus mutuari poſſumus.

(e) *quæ ſordidiſſima eſt illa quidem ratio*] Edit. Mogunt. & Rom. delent vocem *illa*, quæ commodè abeſſe potuit. Sed ad hunc modum alibi Cicero locutus eſt, ut in iii. 17. *eaque malitia, quæ vult illa quidem videri ſe eſſe prudentiam.*

jiciunt ſe homines imperio alterius & poteſtati, pluribus de cauſſis: ducuntur enim [f] aut benevolentia, aut beneficiorum magnitudine, aut dignitatis præſtantia, [g] aut ſpe ſibi id utile futurum, aut metu ne vi parere cogantur, aut ſpe largitionis promiſſionibuſque capti, aut poſtremò (ut ſæpe in noſtra republica videmus) mercede conducti.

Omnium autem rerum nec aptius eſt VII. quidquam ad opes tuendas ac tenendas, quàm diligi, nec alienius, quàm timeri. Præclarè enim Ennius: *Quem metuunt, oderunt; quem quiſque odit, periiſſe expetit.* Multorum autem odiis nullas opes poſſe obſiſtere, ſi antea fuit ignotum, nuper eſt cognitum. Nec verò hujus tyranni ſolùm ([h] quem armis oppreſſa pertulit civitas paretque

(f) *aut benevolentia,* aut *beneficiorum magnitudine*] Opinor Ciceronem ſcripſiſſe *aut benevolentiâ & beneficiorum magnitudine:* Ex verbis enim ante occurrentibus patet eum ſex ſolùm cauſſas memorâſſe: at ſi *benevolentia* à *magnitudine beneficiorum* diſtinguenda ſit, ſeptem hic cauſſæ proferuntur. Adde, quod antea dixerat, *aut benevolentiæ gratiâ faciunt, cùm aliquâ de cauſſâ quempiam diligunt:* ut vero homo diligatur, tam *magnitudo beneficiorum* quàm *benevolentia* in cauſſa eſt. Noſtram etiam conjecturam videntur ea firmare, quæ infra in c. 9. dicuntur; *benevolentiæ precepta videamus; quæ quidem beneficiis capitur maximè.*

(g) *ſpe ſibi id utile futurum*] Novè nomini addidit verbum: quis enim auſit ita loqui, *venio huc ſpe te mecum iturum ad cænam?* Mollius tamen eſt, cùm additur *ducitur ſpe, ductus ſpe:* Nam ſpes eſt pro *ſpero* ſatis uſitatum, *Eraſmus.*

(h) *quem armis oppreſſa pertulit civitas, paretque cùm maximè mortuo*] Secutus ſum Verburgii editionem, cùm exhibuerim *paretque,* non, quod à Grævio eſt, *paret quæ.* At hæ voces, *quem armis oppreſſa* —— *cùm maximè mortuo,* abſunt à Victorii editione & MSis pleriſque: omnino tamen

retque cùm maximè mortuo) interitus declarat, quantum odium hominum [i] valeat ad peſtem: ſed reliquorum ſimiles exitus tyrannorum; quorum haud fere quiſquam talem interitum effugit: malus enim eſt cuſtos diuturnitatis metus; contraque benevolentia fidelis vel ad perpetuitatem. Sed iis, qui vi oppreſſos imperio coercent, ſit ſane adhibenda ſævitia: ut heris in famulos, ſi aliter teneri non poſſunt: qui verò in libera civitate ita ſe inſtruunt, ut metuantur, his nihil eſſe poteſt dementius: quamvis enim demerſæ ſint leges alicujus opibus, quamvis timefacta libertas; emergunt tamen hæc aliquando aut judiciis tacitis, aut occultis de honore ſuffragiis: acriores autum morſus ſunt intermiſſæ libertatis, quàm retentæ. Quod igitur latiſſimè patet,

men retinendas eſſe cenſeo, cùm & veſtigia quædam earum in nonnullis optimæ famæ MSſis reperiantur. Grævio locum hunc à pluribus mendis purgatum debemus. Eodem modo civitas hic dicitur *pertuliſſe* Cæſarem, quo dicitur *pertuliſſe* ejus regnum. in Or. Philip. i. 2. ubi dicit, *Lux quædam videbatur oblata, non modo regno, quod* pertuleramus, *ſed etiam regni timore ſublato.* Et in Ep. ad Fam. xii. i. *cujus æra refigere debebamus, ejus etiam chirographa defendimus?* quibus verbis patet Ciceronem, cum diceret civitatem Cæſarem *mortuo paruiſſe,* hoc voluiſſe, civitatem acta Cæſaris, quæ in commentariolis & chirographis & libellis ab Antonio poſt ejus mortem prolatis continerentur, firma habuiſſe & ſervanda cenſuiſſe. De eodem Brutus in Epiſt. ad Ciceronem 15. ita dicit, *cujus* (i. e. Cæſaris) *interitu quid gaviſi ſumus, ſi mortuo, ne minus ſervituri eramus, nulla cura adhibeatur?*

(i) *valeat ad peſtem*] i. e. perniciem: ut in i. 1. de Orat. *qui per nos à communi* peſte *depulſi* &c. Vide meam Notam ad loc. Vide etiam c. 14.

patet, neque ad incolumitatem ſolùm, ſed etiam ad opes & potentiam valet plurimùm, id amplectamur, ut metus abſit, caritas retineatur; ita facillimè, quæ volemus, & privatis in rebus & in republica conſequemur. Etenim, qui ſe metui volent, à quibus metuentur, eoſdem metuant ipſi neceſſe eſt. Quid enim cenſemus ſuperiorem illum [a] Dionyſium? quo cruciatu timoris angi ſolitum? qui, cultros metuens tonſorios, candente carbone ſibi adurebat capillum: quid [b] Alexandrum Pheræum?

(a) *Dionyſium?*] Subintellige, ſenſiſſe, ſive paſſum fuiſſe.

(b) *Alexandrum Pheræum*] Exemplum male ſanæ tyrannidis ad Romanos luculentiſſimum. *Pheras* quippe, urbem Theſſalicam haud magni nominis, Jaſon quidam ex civium numero prudentiâ & fortitudine nobilitavit circa Ol. 102. 2. Collapſis nimirum Athenienſium & Lacedæmoniorum rebus, auctor illè Theſſalis ſuis fuit, ut Græcorum ſibi imperium vindicarent; quibus iſti emoti conſiliis Jaſonem rerum ſuarum ſummæ præficiunt, atque eo duce, finitimorum plurimis in ſocietatem armorum pertractis, ingenti citò gloriâ atque auctoritate inclaruerunt. Unde Jaſon, maxima apud ſuos gratia flores, imperatoriam ſibi Pheris dignitatem comparavit, eamque æquitate & ſapientia ſua ſalutarem admodum popularibus atque amabilem reddiderat. Annis autem vix duobus elapſis, interempto à ſicariis quibuſdam Jaſone, Pheræorum duces conſtituti ſunt ejus fratres Polydorus & Polyphron, circ. Ol. cii. 4. quorum altero ex inſidiis itidem extincto, Polyphron, inquit Xenophon, κατεσκευάσατο τὴν ταγείαν τυραννίδι ὁμοίαν: deinde anno imperii ſecundo ab Alexandro ipſe noſtro, Polydori filio, occiditur. Quo facto Alexander Pheræis imperavit, vir fortis quidem & callidiſſimus; verùm tanta immanitate in ſuos deſæviens, ut tandem poſt annos undecim circ. Ol. cv. 4. inviſus omnibus, ſive ab ipſâ uxore, Jaſonis filia, ut refert Cicero, ſive ab ejus fratribus, hortante illa, ut Xenophon, dominatu ſimul & vitâ exueretur. Nec diu

um! quo animo vixiſſe arbitramur? qui (ut ſcriptum legimus), cùm uxorem Theben admodum diligeret, tamen ad eam ex epulis in cubiculum veniens, barbarum, & eum quidem (ut ſcriptum eſt) compunctum notis Threiciis, diſtricto gladio jubebat anteire: præmittebatque de ſtipatoribus ſuis, qui ſcrutarentur arculas muliebres, &, ne quod in veſtimentis occultaretur telum, exquirerent. O miſerum, qui fideliorem & barbarum & ſtigmatiam putaret, quàm conjugem! * nec eum fefellit; ab ea enim eſt ipſe propter pellicatus ſuſpicionem interfectus. Nec verò ulla vis imperii tanta eſt, quæ premente metu poſſit eſſe diuturna. Teſtis eſt Phalaris, cujus eſt præter cæteros nobilitata crudelitas; qui non ex inſidiis interiit, ut is, quem modò dixi, Alexander;

diu poſteà, cùm eandem ejus percuſſores tyrannidem affectarent, Pheræi, adjuvante Philippo Macedonum rege, jugum omne Regulorum, potentiæ quamvis Patriæ diſpendio, excuſſerunt. Vide Xenophon. Hellenic. l. vi, p. 400—408. Ed. Oxon. Diod. Sic. l. xv. p. 487, &c. l. xvi. p. 517—529. Ed. Steph. Val. Maxim. ix. 14. Plutarch. in Pelopid. p. m. 531, &c. 8vo. *Chapman.*

(c) *nec eum fefellit*] ſc. conjux ejus: i. e. ille invenit ſuſpicionem, quam de ea habuerit, non vanam fuiſſe: ſimiliter Cicero (notante Fabritio) dicit in Ep. ad Fam. iv. 2, *quantum nos fefellerit* (Cæſar) *& quem in locum res deducta ſit, vides.* Sic & Tacitus (notante Langio) de Chariclе medico dicit vi. 50. *per ſpeciem officii manum* (Tiberii) *complexus pulſum venarum attigit: nec fefellit*, i. e. nec fefellit Chariclem ille pulſus venarum attactus; ex quo *firmavit Macroni Tiberium non ultra biduum duraturum.* Vulgò, *fefellit opinio*; ſed hæc poſtrema vox abeſt ab omnibus antiquæ ſcriptionis codicibus.

xander; non à paucis, ut hic Noſter; ſed in quem univerſa Agrigentinorum multitudo impetum fecit. Quid? Macedones nonne Demetrium reliquerunt, univerſique ſe ad Pyrrhum contulerunt? Quid? Lacedæmonios injuſtè imperantes nonne repente omnes fere ſocii deſeruerunt, ſpectatoreſque ſe otioſos præbuerunt Leuctricæ calamitatis?

VIII. Externa libentiùs in tali re, quàm domeſtica recordor. Verumtamen, quamdiu imperium populi Romani beneficiis tenebatur, non injuriis, bella aut pro ſociis, aut de imperio gerebantur; exitus erant bellorum aut mites, aut neceſſarii; regum, populorum, nationum portus erat & refugium ſenatus; noſtri autem magiſtratus imperatoreſque ex hac una re maximam laudem capere ſtudebant, ſi provincias, ſi ſocios æquitate & fide defendiſſent. Itaque illud, patrocinium orbis terræ veriùs quàm imperium, poterat nominari. Senſim hanc conſuetudinem & diſciplinam jam antea minuebamus, poſt verò Syllæ victoriam penitus amiſimus; deſitum eſt enim videri quidquam in ſocos iniquum, cùm extitiſſet in cives tanta crudelitas. Ergo in illo ſecuta eſt honeſtam cauſſam non honeſta victoria: eſt enim auſus dicere, haſta poſita, cùm bona in foro venderet & bonorum virorum, & locupletium, & certè civium,

prædam

prædam ſuam ſe vendere. Secutus eſt, [d] qui in cauſſa impia, victoria etiam fœdiore, non ſingulorum civium bona publicaret, ſed univerſas provincias regioneſque uno [e] calamitatis jure comprehenderet. Itaque, vexatis & perditis exteris nationibus, ad exemplum amiſſi imperii portari in triumpho Maſſiliam vidimus; & ex ea urbe triumphari, ſine qua numquam noſtri imperatores ex Tranſalpinis bellis [f] triumphârunt. Multa præterea commemorarem nefaria in ſocios, ſi hoc uno ſol quidquam vidiſſet indignius. Jure igitur plectimur: niſi enim multorum impunita ſcelera tuliſſemus, numquam ad unum tanta perveniſſet licentia; à quo quidem rei familiaris ad paucos, cupiditatum ad multos improbos venit hereditas. Nec verò umquam bellorum civilium ſemen & cauſſa deerit, dum homines perditi haſtam illam cruentam & meminerint & ſperabunt, quam P. Sylla cùm vibrâſſet, dictatore propinquo ſuo, idem ſexto & triceſimo anno poſt à ſceleratiore haſta non receſſit: [g] alter autem, qui in illa dictatura ſcriba fuerat, in hac fuit quæſtor urbanus.

(d) *qui in cauſſa* &c.] Sc. Julius Cæſar.

(e) *calamitatis jure*] Per vocem *jus* hic intelligendus eſt ſtatus, ſive conditio. *J. Fr. Gronov.* Hæc vox, non vulgata *genere*, in optimis MSis invenitur.

(f) *triumphârunt*] Ex conjecturâ J. Walkeri *triumphârant.*

(g) *alter autem, qui*] ſc. Cornelius, de quo Salluſtius in Oratione Lepidi inter fragmenta & quem *ſcribam* vocat.

banus. Ex quo debet intelligi, talibus præmiis propoſitis, numquam defutura bella civilia. Itaque parietes urbis modò ſtant & manent, iique ipſi jam extrema ſcelera metuentes: rem verò publicam penitus amiſimus: atque in has clades incidimus (redeundum eſt enim ad propoſitum) dum metui quàm cari eſſe & diligi maluimus. Quæ ſi populo Romano injuſtè imperanti accidere potuerunt, quid debent putare ſinguli? Quod cùm perſpicuum ſit, benevolentiæ vim eſſe magnam, metus, imbecillam: [h] ſequitur, ut diſſeramus, quibus rebus facillimè poſſimus eam, quam volumus, adipiſci cum honore & fide caritatem. Sed eâ non pariter omnes egemus: nam ad cujuſque vitam inſtitutam accommodandum eſt, à multiſne opus ſit, an ſatis à paucis diligi.

[i] Certum igitur hoc ſit, idque & primum & maximè neceſſarium, familiaritates habere fidas amantium nos amicorum, & noſtra mirantium: hæc enim eſt una res prorſus, [a] ut non multùm differat inter ſummos & mediocres viros; eaque utriſque eſt [b] propemodum

(h) *ſequitur, ut diſſeramus*] Hinc Cicero dicturus eſt de *Honore & Fide*, quas res antea docuerat ſecundum & tertium eſſe modum hominum nobis conciliandorum, & quas poſtea ſub gloriæ nomine tractat.

(i) *Certum*] Vide Not. ad i, 12.

(a) *ut non multum differat*] Quaſi Cicero dixiſſet *in quâ non multùm differat.*

(b) *propemodum comparanda*] Vox *propemodum* hîc idem videtur valere quod *prope ad eundem modum*: Qui privati ſunt cives, & qui in imperiis, ad eundem fere modum hanc rem debent comparare; ſcilicet, familiaritates habendo fidas

pemodum comparanda. Honore, & [illegible] ria, & benevolentia civium fortaſſe non [illegible] omnes egent; ſed tamen, ſi cui hæc [illegible] petunt, adjuvant aliquantum tum ad cæteras, tum ad amicitias comparandas.

IX. [c] Sed de amicitia alio libro dictum eſt, qui inſcribitur Lælius. Nunc dicamus de gloria; quamquam ea quoque de re duo ſunt noſtri libri: ſed attingamus, quandoquidem ea in rebus majoribus adminiſtrandis adjuvat plurimùm. Summa igitur & perfecta gloria

fidas amantium ipſos amicorum & mirantium. Non igitur cum Gronovio legendum eſt, *pari modo*, pro *propemodum*.

(c) *Sed de amicitia alio libro dictum eſt, qui inſcribitur Lælius*] Nondum verò librum eum Cicero in vulgus emiſerat, ut nec duos *de gloria* libros, quorum infra meminit. Nam in celebri proœmio ſecundi de Divinatione, quod ſcripſit circa hæc ipſa tempora poſt Cæſaris interitum, nihil innuit de illis libellis, quamvis omnes recenſere profiteatur, quos adhuc in lucem protulerat. Quin & in Epiſtolis ad Atticum, nihil uſquam de *Lælio* ſuo narrat, quantum ſciam, disertè, quamvis ibi de cæteris omnibus opuſculis, quæ per ea tempora vel procuderet vel etiam meditaretur, garrire paſſim ſoleat. Sed librorum *de gloria* plus ſemel inibi indicium eſt, nempe Ep. ad Attic. xv. 27. ubi Attico iſtiuſmodi Commentarium promittit. *Librum tibi celeriter mittam de gloriâ.* Deinde poſt menſem unum aut alterum in xvi. 2. *De gloria miſi tibi. Cuſtodies igitur, ut ſoles; quos Salvius, bonos auditores nactus, in convivio duntaxat legat. Mihi valde placent: mallem tibi.* Unde conſtat, hoc opuſculum non alii tum temporis quàm Attico tradidiſſe Noſtrum; neque alia illi lege, quàm ut traditum à populo ſecluderet. Id quod probè notandum, quia dies abhinc pauculos in Epiſtola nempe xi. abſolvi tandem libros duos *de Officiis* indicavit. *Tà περὶ τοῦ καθήκοντος, quatenus Panætius, abſolvi* (inquit) *duobus*, &c. Si qui plura de hac re velint, adeant Diſſertationem noſtram de Ætat. Ciceron. Libror. de Legibus p. 37, 40, 41. *Chapman.*

gloria [d] conſtat ex tribus his, ſi diligit multitudo, ſi fidem habet, ſi cum admiratione quadam honore dignos putat. Hæc autem, ſi eſt ſimpliciter breviterque dicendum, quibus rebus [e] pariuntur à ſingulis, eiſdem fere à multitudine. Sèd eſt alius quoque quidam aditus ad multitudinem, ut in univerſorum animos tamquam influere poſſimus. [f] Ac primum de illis tribus, quæ antè dixi, benevolentiæ præcepta videamus: quæ quidem beneficiis capitur maximè: ſecundo autem loco benefica voluntate benevolentia movetur, etiam ſi res fortè non ſuppetit: vehementer autem amor multitudinis commovetur ipſa fama & opinione liberalitatis, beneficentiæ, juſtitiæ, fidei, omniumque earum virtutum, quæ pertinent ad manſuetudinem morum & ad facilitatem: etinem illud ipſum, quod honeſtum decorumque dicimus, quia per ſe nobis placet, animoſque omnium natura & ſpecie ſua commovet, maniméque quaſi perlucet ex eis, quas commemoravi, virtutibus; idcirco illos, in quibus eas virtutes eſſe remur, à natura

(d) *conſtat ex tribus his*] De his tribus rebus, ex quibus Gloria conſtat, hinc dicturus eſt; de primâ proximè poſt hanc diviſionem inſtitutam.

(e) *pariuntur à ſingulis*] Senſus eſt; quibus rebus efficimus, ut ſinguli nos diligant, iiſdem etiam efficimus, ut multitudo.

(f) *Ac primum de illis*] Primum ex illis tribus fuit, ut homines nos diligant, ſive ut benevolos nobis homines efficiamus: Hujus benevolentiæ comparandæ tria dat præcepta. Fortaſſe ſcripſit Cicero *Ac primæ de illis tribus*, ſc. benevolentiæ, quam paulo ante primo loco memorârat.

natura ipſa diligere cogimur. Atque hæ quidem cauſſæ diligendi graviſſimæ: paſſunt enim præterea nonnullæ eſſe leviores. (g) Fides autem ut habeatur, duabus rebus effici poteſt: ſi exiſtimabimur adepti conjunctam cum juſtitia prudentiam: nam & iis fidem habemus, quos plus intelligere quàm nos arbitramur, quoſque & futura proſpicere credimus, & cùm res agatur, in diſcrimenque ventum ſit, expedire rem, & conſilium ex tempore capere poſſe: hanc enim utilem homines exiſtimant, veramque prudentiam: (h) juſtis autem & fidis hominibus, id eſt, bonis, ita fides habetur, ut nulla ſit in his fraudis injuriæque ſuſpicio: itaque his ſalutem noſtram, his fortunas, his liberos rectiſſimè committi arbitramur. Harum igitur duarum ad fidem faciendam juſtitia plus pollet: quippe cùm ea ſine prudentia ſatis habeat auctoritatis,

(g) *Fides autem ut habeatur*] De ſecundâ Gloriæ conſequendæ viâ nunc agit Cicero.

(h) *juſtis autem & fidis hominibus*, &c.] Cicero oſtenderat, quo modo Prudentia efficit, ut nobis Fides habeatur: Hic verò de alterâ re, Juſtitiâ, agit, quâcum Prudentia debet eſſe conjuncta. Ut ſe habet vulgata Lectio, *fides* dicitur *haberi fidis hominibus*. Hoccine à Cicerone profectum tibi videtur? mihi neutiquam. Arbitror igitur legendum eſſe cæteris verbis deletis, *juſtis autem, id eſt, bonis viris, ita fides habetur, ut* &c. Inſero vocem *viris*, ſecutus Victorium & MSos omnes meos & Oxon. Sic in c. 12. *id ſi ab uno juſto & bono viro conſequebantur, eo erant contenti.* c. 11. *juſtitia, ex quâ unâ virtute boni viri appellantur.* Et i. 7. *juſtitia, ex quâ boni viri nominantur.* Ex quibus conjicere eſt ea verba, *id eſt, bonis viris*, à Cicerone addita fuiſſe, ut explicarent vocem *juſtis*, non *fidis*.

caritatis, prudentia ſine juſtitia nihil valeat ad faciendam fidem: quo enim quis verſutior & callidior eſt, hoc inviſior & ſuſpectior, detracta opinione probitatis. Quamobrem intelligentiæ juſtitia conjuncta quantum volet habebit [i] ad faciendam fidem virium: [[a] juſtitia ſine prudentia multum poterit; ſine juſtitia nihil valebit prudentia.]

Sed ne quis ſit [b] admiratus, cur, cùm inter omnes philoſophos conſtet, à meque ipſo ſæpe diſputatum ſit, qui unam haberet, omnes habere virtutes; nunc ita ſejungam, quaſi poſſit quiſquam, qui non idem prudens ſit, juſtus eſſe: alia eſt illa, cùm veritas ipſa limatur in diſputatione ſubtilitas; alia, cùm ad opinionem communem omnis accommodatur oratio. Quamobrem ut vulgus, ita nos hoc loco loquimur, ut alios fortes, alios bonos viros, alios prudentes dicamus: popularibus enim verbis eſt agendum & uſitatis, cùm loquimur de opinione populari; idque eodem modo fecit Panætius. Sed ad propoſitum revertamur. Erat igitur ex tribus, quæ ad gloriam pertinent, hoc X.

(i) *ad faciendam fidem virium*] Conſtructio eſt *habebit quantum virium volet, ad faciendam fidem*.

(a) *juſtitia ſine prudentiâ —— valebit prudentia*] Hæc verba ideo uncis incluſi, quod mihi Ciceronis eſſe non videntur, ſed adjectitia & eadem futilia, cùm idem melius in præcedente ſententiâ dicatur, cùmque poſt concluſionem *quamobrem intelligentiæ* &c. præmiſſa (ut ita loquar) repeti non debeant.

(b) *admiratus*] Placet conjectura Fr. Sayi *admiraturus*.

[c]. hoc tertium, ut [d] cum admiratione hominum honore ab iis digni judicaremur. Admirantur igitur communiter illi quidem omnia, quæ magna & præter opinionem ſuam [e] animadverterunt: ſeparatim autem in ſingulis, ſi perſpiciunt nec opinata quædam bona. Itaque eos viros ſuſpiciunt, maximiſque efferunt laudibus, in quibus exiſtimant ſe excellentes quaſdam & ſingulares virtutes perſpicere: deſpiciunt autem eos & contemnunt, in quibus nihil virtutis, nihil animi, nihil nervorum putant. Non enim omnes eos contemnunt, de quibus malè exiſtimant: nam quos improbos, maledicos, fraudulentos putant, & ad faciendam injuriam inſtructos, eos contemnunt quidem neutiquam, ſed de his malè exiſtimant. Quamobrem (ut antè dixi) contemnuntur ii, qui nec ſibi nec alteri, ut dicitur: in quibus nullus labor, nulla induſtria, nulla cura eſt. [f] Admiratione autem

(c) *hoc tertium*] De primo & ſecundo egerat Cicero in priore capite. Hujus tertii generis tria memorantur paulo poſt præcepta.

(d) *cum admiratione hominum*] Senſus eſt; hominibus nos admirantibus: ut dicitur in c. 19. *admiratio audientium*. Alibi eædem voces poſſunt ſignificare, cùm nos admiramur homines; ut in c. 14. dicitur *admiratio dicentis*, cùm intelligimus dicentem audientibus eſſe admirationi. Hoc monitum Lectorem velim, ne ambigui ſenſûs verba illum in errorem inducant.

(e) *animadverterunt*] MSus Groning. habet *animadvertunt*, quod magis accommodatum eſt ad vocem ſequentem *perſpiciunt*.

(f) *Admiratione autem afficiuntur ii, qui* &c.] i. e. homines admirantur eos, qui &c. Vide quæ paulo ſupra annotavimus.

tem afficiuntur ii, qui anteire cæteros virtute putantur, & cum omni carere dedecore, tum verò iis vitiis, quibus alii non facilè poſſunt obſiſtere. Nam & voluptates, blandiſſimæ dominæ, [g] majores partes animi

(g) *majores partes animi* &c.] i. e. rationem (ait Maturantius), quæ animi major pars eſt: nam *animus tres partes habet (ut Platoni placuit), rationis, iræ, cupiditatis.* Luculli c. 39. *eſt animus in partes tributus duas, quarum altera rationis eſt particeps, altera expers.* Tuſc. diſp. ii. 20. Ita vox *majores* idem valebit quod *potiores.* Sed notandum eſſe videtur, MSos Regios tres & Lameth. habere, non *animi à virtute,* ſed *à virtute animi.* Hinc alii veram excogitent ſcriptionem; nam mendoſus eſt, ut opinor, locus. Fortaſſe ſcripſit Cicero *majorem partem à virtute detorquent:* ut vox *animi* videatur gloſſatoris eſſe, & voces *majorem partem* ſignificent: majorem partem hominum; nam de hominibus, non de partibus animi putes dixiſſe, cùm ſequatur paulo poſt *plerique exterrentur.* Sic *magna pars,* ſc. hominum, dicitur in Horat. Serm. I. vi. 90. & hìc *major pars* in i. 41. *Pearcius.* Quænam *animi* ſunt partes *majores?* ſi cum Platonicis aliiſque, hominum animas in tres partes tribuas, τὸ λογικὸν, τὸ ἐπιθυμητικὸν, & θυμικὸν, ex quibus poſteriora, tamquam partes majores, *detorqueri voluptatibus à virtute* intelligas, hærendum eſt in luto. Nam ſi per *majores* velis *plures* ex tribus, id, opinor, vix aures Latinæ paterentur; ſi autem velis *potentiores* aut *præſtantiores,* philoſophia Tulliana reclamet. Quòd ſi animæ τὸ λογικὸν harum cuivis adjunxeris, unde quæſo exſtiterint *tam excelſo magnoque animo* viri; qui *deſpiciunt* & dolores & voluptates, ut loquitur ipſe Cicero in ſequentibus, cùm *omnium* hominum animæ ejuſdem planè ſint generis? Fruſtra eos quæras profectò, quorum tantum (ut ait) *virtutem admireris,* ſi res ita ſe habeat, & Ciceronem ipſum laqueis difficillimis indueris. At aliud, ni fallor, Noſter voluit, nempe *maximam partem hominum* iſtiuſmodi illecebris à virtute detorqueri, uti etiam *pleroſque dicit præter modum exterreri,* cùm *dolorum admoventur faces.* Legerem itaque, *majoris partis animos;* ut *major* idem ſit Noſtro, quod Horatio Serm. II. iii. 121.

Maxima pars hominum——

Chapman.

animi à virtute detorqueut: & dolorum cùm admoventur faces, præter modum plerique exterrentur: vita, mors, divitiæ, paupertas, omnes homines vehementiſſimè permovent: quæ qui in utramque partem excelſo animo magnoque deſpiciunt, cùmque aliqua his ampla & honeſta res objecta eſt, totos ad ſe convertit & rapit; tum quis non admiretur ſplendorem pulchritudinemque virtutis?

XI. Ergo & hæc [h] animi deſpicientia admirabilitatem magnam facit; & maximè juſtitia (ex qua una virtute boni viri appellantur) mirifica quædam res multitudini videtur: nec injuria: nemo enim juſtus eſſe poteſt, qui mortem, qui dolorem, qui exſilium, qui egeſtatem timet; aut qui ea, quæ his ſunt contraria, æquitati anteponit. Maximéque admirantur eum, qui pecunia non movetur; quod in quo viro perſpectum ſit, hunc igni ſpectatum arbitrantur. Ita illa tria, quæ propoſita ſunt ad gloriam, omnia juſtitia conficit; & benevolentiam, quòd prodeſſe vult plurimis; &, ob eandem cauſſam, fidem; & admirationem, quòd eas res ſpernit & negligit, ad quas plerique inflammati aviditate rapiuntur.

Ac meâ quidem ſententiâ omnis ratio atque inſtitutio vitæ adjumenta hominum deſiderat;

(h) *animi deſpicientia*] Intellige hæc dicta eſſe de illo, qui tam excelſo animo eſt, ut deſpiciat vitam, mortem, divitias, & paupertatem: hic eſt, qui facit, ut homines ipſum multùm admirentur.

ſiderat; in primiſque, ut habeas quibuſcum poſſis familiares conferre ſermones; quod eſt difficile, niſi ſpeciem præ te boni viri feras. Ergo etiam ſolitario homini, atque in agro vitam agenti, [i] opinio juſtitiæ neceſſaria eſt; eóque etiam magis, quòd, eam ſi non habebunt, injuſti habebuntur, [a] & nullis præſidiis ſepti multis afficientur injuriis. Atque iis etiam, qui vendunt, emunt, conducunt, locant, contrahendiſque negotiis implicantur, juſtitia ad rem gerendam neceſſaria eſt: cujus tanta vis eſt, ut ne illi quidem, qui maleficio & ſcelere paſcuntur, poſſint ſine ulla particula juſtitiæ vivere: (nam, qui eorum cuipiam, qui una latrocinantur, furatur aliquid aut eripit, is ſibi ne in latrocinio quidem relinquit locum): ille autem, qui archipirata dicitur, niſi æquabiliter prædam diſpertiat, [b] aut interficiatur à ſociis, aut relinquatur. Quinetiam leges latronum eſſe dicuntur, quibus pareant, quas obſervent: itaque propter æquabilem prædæ partitionem & [c] Bardylis Illyrius latro, de

(i) *opinio juſtitiæ*] Senſus eſt; Neceſſarium eſt, ut homines opinentur illum juſtitiam habere.

(a) *& nullis præſidiis ſepti*] Vulgò abeſt *&*; ſed MSi Cant. & Reg. tert. habent & *nullis præſidiis ſepti*: Sic hæc cum priore ſententiâ benè copulabitur. *Si eam* ſolitarii homines *non habebunt, injuſti habebuntur, & nullis præſidiis ſepti*, &c.

(b) *aut interficiatur à ſociis, aut relinquatur*] Ita octo Manutii MSi, & omnes fere mei: ſed ut hæc lectio ſuum locum habeat, neceſſe eſt, ut (Parentheſi interjectâ) ante hæc verba ſubintelligantur, *cujus tanta vis eſt, ut*.

(c) *Bardylis Illyrius latro* &c.

de quo eſt apud Theopompum, magnas opes habuit; & multo majores [e] Viriatus Luſitanus, cui quidem etiam exercitus noſtri imperatoreſque ceſſerunt: [f] quem C. Lælius,

&c.] Is ab Helladio apud Photium in editis Cod. 279. Βράδυλλις dicitur his verbis, Βράδυλλις δέ τις Ἰλλυρίων ἐστρατήγησεν, ἀνθρακεὺς γεγονώς. Plutarcho autem in Pyrrho p. m. 708. 8vo. idem utique eſt Βαρδυλλίς, cujus filiam duxit Pyrrhus Epiri rex uxorem, Βιρκένναν τὴν Βαρδυλλίος τοῦ Ἰλλυριῶν (ſc. Βασίλεως), quod & verum ejus Nomen videtur, quia duplicem λ in Nominibus amabant Illyrii. Cæterùm Diodoro etiam planè Βάρδυλις ὁ τῶν Ἰλλυριῶν βασιλεὺς l. xvi. p. 511, 512. quem Philippus Alexandri M. pater ſecundo regni ſui anno circ. Ol. cv. 2. fuſum fugatumque debellavit. Conf. etiam Henr. Valeſium ad Excerpt. Hiſt. p. 121. ubi olim in hoc loco Ciceronis corruptè lectum *Bargulus* teſtatur. *Chapman.*

(e) *Viriatus Luſitanus*] Id quod refert Noſter de opibus ac potentiâ Viriati *propter æquabilem prædæ inter ſuos partitionem*, memoravit etiam *Diodorus Siculus* in Fragmentis apud Excerpt. Valeſ. p. 346. Ουιρίατθος ὁ λῄσταρχος ὁ Λυσιτανὸς καὶ δίκαιος ἦν ἐν ταῖς διανομαῖς τῶν λαφύρων, καὶ κατ' ἀξίαν τιμῶν τοὺς ἀνδραγαθήσαντας ἐξαιρέτοις δώροις· ἔτι δὲ οὐδὲν ἁπλῶς ἐκ τῶν κοινῶν νοσφιζόμενος. Διὸ καὶ συνέβαινε τοὺς Λυσιτανοὺς προθυμότατα συνκινδυνεύειν αὐτῷ, τιμῶντας οἱονεί τινα κοινὸν εὐεργέτην καὶ σωτῆρα. Conf. etiam ibid, p. 361. *Chapman.*

(f) *quem C. Lælius, is, qui* &c.] Illud contigit circ. U. C. 609. Q. Fabio Max. & L. Hoſtilio Mancino Coſſ. Quorum meminit ipſe Lælius apud Ciceron. de Amicit. c. 25. ſuæque Præturæ eo anno geſtæ. *Meminiſtis*, inquit, *Q. Maximo fratre Scipionis, & L. Mancino Conſulibus* ——— *prætore me, quinquennio antequam conſul ſum factus.* Plura de Viriato qui volet, adeat præter alios Diodor. Sic. ubi ſup. & Fragment. Lib. 32. & Appianum in Ibericis p. 487 —499, 8vo: Qui de Lælio tamen nihil tradiderunt. Cæterùm ut duo Scipiones Africani, ita etiam Lælii accuratè diſtinguendi ſunt, pater & filius, ne cum veterum ac recentiorum nonnullis graviſſimè hallucinemur. Lælius pater comes erat fidiſſimus Scipionis Africani prioris, (ejus nempe, qui Hannibalem profligavit bello Punico ſecundo), ac multa ſub eo præclarè geſſit in Hiſpaniâ atque Africâ.

Lælius

lius, is, [g] qui ſapiens uſurpatur, prætor fregit & comminuit, ferocitatemque ejus ita repreſſit, ut facile bellum reliquis traderet. Cùm igitur tanta vis juſtitiæ ſit, ut ea etiam latronum opes firmet atque augeat, quantam ejus vim inter leges & judicia & in conſtituta republica fore putamus?

XII. Mihi quidem non apud Medos ſolùm, ut ait Herodotus, ſed etiam apud majores noſtros, juſtitiæ fruendæ cauſſâ videntur olim bene morati reges conſtituti. Nam, cùm premeretur inops multitudo ab iis, qui majores opes habebant, ad unum aliquem confugiebant, virtute præſtantem, qui, cùm [h] prohiberet injuriâ tenuiores, æquitate conſtituenda ſummos cum infimis pari jure retinebat. Eademque conſtituendarum legum

Lælius autem filius ſodalis erat ejus Scipionis Africani Pauli filii, qui multis poſt annis Carthaginem delevit bello Punico tertio, floruitque circa U. C. 610. dictus etiam à literis & ſcientia *ſapiens*; idemque cum Scipione illo ſuo Terentii Comici familiaris. Vid. Ciceron. Læl. c. 24. 25. Bentl. ad Hor. Carm. iv. 8, Tanaqu. Fabr. ad Donat. vit. Terent. ſub finem. *Chapman.*

(g) *qui ſapiens uſurpatur*] i. e. cui communis vox & diuturna conſuetudo tribuit cognomen ſapientis. Sed hic vocis ſenſus rariſſimus eſt.

(h) *prohiberet injuria tenuiores*] Ita MSi Mead. ſec. & Mill. ſed Victorius edidit *injuriam tenuioris*, quod habent tres Regii codices cum aliis nonnullis: *tenuioris* verò errore videtur ibi ſcriptum fuiſſe pro *tenuioribus*: Hoc quidem Ciceronianum eſt, ut patet ex Nota mea ad i. 16. At non minùs à Cicerone agnoſcendum eſt *prohiberet injuria tenuiores*, i. e. patienda. Sic enim in Orat. pro leg. Man. c. 7. *erit humanitatis veſtræ, magnum eorum civium numerum calamitate defendere*. Et. Virg. Æn. i. 544.

——— *hoſpitio prohibemur arenæ*.

gum fuit cauſſa, quæ regum: jus enim ſemper quæſitum eſt æquabile; neque enim aliter eſſet jus: id ſi ab uno juſto & bono viro conſequebantur, eo erant contenti; cùm id minus contingeret, leges ſunt inventæ, quæ cum omnibus ſemper una atque eadem voce loquerentur. Ergo hoc quidem perſpicuum eſt, eos ad imperandum deligi ſolitos, quorum de juſtitia magna eſſet opinio multitudinis. [i] Adjuncto verò, ut iidem etiam prudentes haberentur, nihil erat, quod homines his auctoribus non poſſe conſequi ſe arbitrarentur. Omni igitur ratione colenda, & retinenda juſtitia eſt; tum ipſa propter ſeſe; nam aliter juſtitia non eſſet: tum propter amplificationem honoris & gloriæ. Sed, ut pecuniæ non quærendæ ſolùm ratio eſt, ſed etiam collocandæ, quæ perpetuos ſumptus ſuppeditet, nec ſolùm neceſſarios, ſed etiam liberales; ſic gloria & quærenda & collocanda ratione eſt. [a] Quamquam præclarè Socrates *hanc viam ad gloriam proximam & quaſi compendiariam* dicebat *eſſe, ſi quis id ageret, ut, qualis haberi vellet, talis eſſet.* Quòd ſi qui ſimulatione & inani oſtentatione, & ficto non modò ſermone, ſed etiam vultu, ſtabilem ſe gloriam

(i) *Adjuncto verò, ut iidem &c.*] Verba *ut iidem etiam prudentes haberentur*, funguntur vice Subſtantivi caſu ablativo, & ad participium *adjuncto* referenda ſunt, genere loquendi eleganti & nonnumquam alibi uſurpato.

(a) *Quamquam*] Legendum potiùs, *Quamobrem. Chapman.*

gloriam conſequi poſſe rentur, vehementer errant. Vera gloria radices agit, atque etiam propagatur: ficta omnia celeriter, tanquam floſculi, decidunt, nec ſimulatum poteſt quidquam eſſe diuturnum. Teſtes ſunt permulti in utramque partem; ſed, brevitatis cauſſa, familia contenti erimus una: Tib. enim Gracchus, P. filius, tamdiu laudabitur, dum memoria rerum Romanarum manebit: at ejus filii, nec vivi probantur bonis, & mortui [b] numerum obtinent jure cæſorum.

Qui igitur adipiſci veram gloriam volet, juſtitiæ fungatur officiis. Ea quæ eſſent, dictum eſt in libro ſuperiore. Sed, ut facillimè, quales ſimus, tales eſſe videamur, etſi in eo ipſo vis maxima eſt, ut ſimus ii, qui haberi velimus; tamen quædam præcepta danda ſunt: Nam, ſi quis ab ineunte ætate habet cauſſam celebritatis & nominis, aut à patre acceptam (quod tibi, mi Cicero, arbitror contigiſſe), aut aliquo caſu atque fortuna; in hunc oculi omnium conjiciuntur, atque in eum, quid agat, XIII.

(b) *numerum obtinent*] *Numerus* hîc eſt ſtatus & conditio hominis, ſeu potius exiſtimatio, in quâ quis habetur. Sic Cicero de Nat. Deor. iii. 29. *Ergo etiam Lucifer cæteræque errantes* (ſtellæ) numerum *Deorum* obtinebunt. De Cl. Orat. c. 47. *Cneuſque Pompeius Sexti filius aliquem* numerum obtinebat, ſc. inter Oratores. Or. Philip. ſec. c. 29. *quem locum apud ipſum Cæſarem* obtinuiſti? *quo* numero *fuiſti?* multi MSi habent *nomen*; at vox *numerum* reperitur in tribus regiis.

agat, quemadmodum vivat, [c] inquiritur; &, tamquam in clariſſima luce verſetur, ita nullum obſcurum poteſt nec dictum ejus eſſe nec factum. Quorum autem prima ætas, propter humilitatem & obſcuritatem, [d] in hominum ignoratione verſatur; hi, ſimul ac juvenes eſſe cœperunt, magna ſpectare, & ad ea rectis ſtudiis debent contendere; quod eò firmiore animo [e] facient, quia non modò non invidetur illi ætati, verùm etiam favetur. Prima igitur eſt adoleſcenti commendatio ad gloriam, ſi qua ex bellicis rebus comparari poteſt, [f] in qua multi apud majores noſtros exſtiterunt; ſemper enim fere bella gerebantur. Tua autem ætas incidit in id bellum, cujus altera pars ſceleris nimium habuit, altera felicitatis

(c) *inquiritur*] Vulgò *anquiritur:* ſed *inquiritur* eſt in edit. Victorii, in MSis Mill. Cant. Mead. ſec. tribus Regiis aliiſque codicibus. Pro hâc lectione pugnat Daviſius; "ſi benè memini (inquit), non "*in aliquid anquirere*, rectè "dixeris, ſed aliquid anqui-"rere: Nihil vero uſitatiùs "dicitur à Cicerone, quàm "*in aliquem inquirere.*" Vide ejus Notam ad i. 1. de Legibus.

(d) *in hominum ignoratione*] Caveat Lector, ne labatur hîc in ſenſu vocis *ignoratione:* de iis hoc dicitur, non qui ignorant homines; ſed qui ab hominibus ignorantur, quique minus cogniti ſunt propter generis humilitatem & obſcuritatem. Ita rurſus Cicero loquitur in iii, 17. *qui ignoratione omnium propoſitâ*, i. e. qui, propoſito, ut omnes ejus factum ignorent, &c.

(e) *facient*] J. Walkerus maluit *faciant:* & hoc probo, quia Futurum tempus aliquid certi ſtatuere videtur, quod à Ciceronis mente alienum eſt. *Faciant* dici poteſt elliptice pro *eſt ut faciant*; quod Latinis uſitatum eſt.

(f) *in qua multi* &c.] Fortaſſe poſt vocem *noſtros* vox *clari* inſerenda eſt: niſi hîc *in gloria exſtiterunt* dicitur pro clari fuerunt.

licitatis parum: quo tamen in bello, cùm te Pompeius [g] alæ alteri præfeciſſet, magnam laudem & à ſummo viro & ab exercitu conſequebare, equitando, jaculando, omni militari labore tolerando. Atquè ea quidem tua laus pariter cum republica cecidit: mihi autem hæc oratio ſuſcepta non de te eſt, ſed de genere toto: quamobrem ad ea, quæ reſtant, pergamus. Ut igitur in reliquis rebus multo majora ſunt opera animi, quàm corporis; ſic hæ res, quas perſequimur ingenio ac ratione, [h] gratiores ſunt, quàm illæ, quas viribus. Prima igitur commendatio proficiſcitur à modeſtia, tum pietate in parentes, tum in ſuos benevo-

(g) *alæ alteri*] Licet duæ (inquit Gravius) alæ legioni adjicerentur, aut plures eſſent in exercitu, & loqueretur de alis ſociorum, quis tamen intelligeret, quæ eſſet *ala altera*, ſi non legionis nomen adſcribatur? Illi igitur perſuaſum fuit expungendam eſſe vocem *alteri*, quam exiſtimavit natam fuiſſe (vitio librarii oſcitantis) ex voce *alæ* fortè bis hîc repetitâ. Ego verò potiùs puto (ſi qua menda in hoc loco inſit) vocem *alteri* ſuum ortum debuiſſe voci *altera*, quæ proximè præceſſerit, quæque in MSis nonnullis, quos vidi, ſupra caput vocis *alteri* in priore linea poſita ſit. At, ne Grævii conjecturæ totus aſſentiar, faciunt MSi, qui omnes τὸ *alteri* exhibent. Video etiam Corn. Nepotem in vita Eumenis c. 1. dixiſſe, *noviſſimo tempore præfuit etiam* alteri *equitum* alæ, *quæ hetærice appellabatur:* pro quo Idem dixit in c. 13. *in his* (annis) *uni equitum alæ præfuiſſet*. De ſenſu tamen vocis *alteri* amplius deliberandum eſſe arbitror.

(h) *gratiores*] Ita Victorius, Manutius, Lambinus, aliique veteres editores: ita etiam MSi tres Regii, Mead. ſec. & Mill. Et hoc mihi magis placet, quàm vulgata lectio *graviores*, quia hîc Cicero de iis rebus loquitur, quæ adoleſcentem commendant, gratumque faciunt.

benevolentia. [i] Facillimè autem & in optimam partem cognoſcuntur adoleſcentes, qui ſe ad claros & ſapientes viros, bene conſulentes reipublicæ, contulerunt; quibuſcum ſi frequentes ſint, opinionem afferunt populo, eorum fore ſe ſimiles, quos ſibi ipſi delegerint ad imitandum. P. Rutilii adoleſcentiam, ad opinionem & innocentiæ & juris ſcientiæ, P. Mutii commendavit domus: [a] nam L. quidem Craſſus, cùm eſſet admodum adoleſcens, non aliunde mutuatus eſt, ſed ſibi ipſe peperit maximam laudem [b] ex illâ accuſatione nobili & glorioſa: &, qua ætate qui [c] exercentur, laude affici ſolent (ut de Demoſthene accepimus); ea ætate L. Craſſus oſtendit, id ſe in foro optimè jam facere, [d] quod etiam tum poterat domi cum laude meditari.

Sed,

(i) *Facillimè autem & in optimam partem*] Editiones Lambini & Brugnoli Ven. 1514, delent copulam *&*: quæ rectiùs fortaſſe abeſſet: *facillimè* enim cognoſci, non eſt commendatio adoleſcentis, ſed *facillimè in optimam partem cognoſci*, ſive cognoſci ob id quod laudandum eſt.

(a) *nam L. quidem Craſſus*] Quaſi Cicero dixiſſet; Excipio quidem Lucium Craſſum, qui non, ut Rutilius aliique fere, aliquem ſibi ad imitandum delegerit. Hæc videtur vis eſſe conjunctionis *nam*.

(b) *ex illâ accuſatione*] ſc. C. Carbonis; quem L. Craſſus annos natus (ut refert Cicero) unum & viginti, vel (ut refert auctor dial. de cauſſis corr. Eloqu.) annos natus undeviginti accuſavit; de hâc accuſatione plura videre poterit lector in i. 10. & ii. 40. de Orat.

(c) *exercentur*] Ii intelliguntur, qui domi ſeſe declamitando exercebant, ut paratiores poſtea ad cauſſas in Foro dicendas accederent.

(d) *quod etiam tum poterat*] Valde ſuſpectum fuit iſtud *etiam* Grævio: nam *etiam* ante *tum*

Sed, cùm duplex ratio ſit orationis, quarum in altera ſermo ſit, in altera contentio; non eſt id quidem dubium, quin contentio orationis majorem vim habeat ad gloriam: ea eſt enim, quam eloquentiam dicimus: ſed tamen difficile dictu eſt, quantopere conciliet animos comitas affabilitasque ſermonis. Exſtant epiſtolæ & Philippi ad Alexandrum, & Antipatri ad Caſſandrum, & [e] Antigoni ad Philippum filium, XVI.

tum non modò non prodeſt, ſed etiam obeſt ei, quod hîc de Craſſo dicitur: neque enim alio, quàm illo adoleſcentiæ ſuæ, tempore poterat id *domi cum laude meditari*. Quocirca ſi ſcripſit Cicero *quod* etiam *tum* &c. at verba ejus hoc ordine intelligenda eſſe videntur; *quod tum poterat domi* etiam *cum laude meditari*.

(e) *Antigoni ad Philippum filium*] Illud *filium*, quamquam extat in Codicibus nonnullis, eliminandum cenſuerim, velut Noſtro ſuppoſitum. Ex omnibus enim Antigonis apud Græcos Regibus vel Ducibus, ne unus quidem erat, cujus dari ad *Philippum filium* Epiſtolas credibile ſit. Antigonus primus, Alexandri inter ſucceſſores celeberrimus, habuit quidem filium Philippum, at Demetrio Poliorçeta filio altero annis aliquot *minorem natu*, & nullius nominis, quique obiit in primâ juventute, Plutarcho teſte: Ἀντιγόνῳ δυοῖν υἱῶν — γενομένων — τὸν μὲν Φίλιππον, ὃ πολλοῖς ἔτεσι τοῦ Δημητρίου νεώτερον ὄντα, συνέβη τελευτῆσαι. In Demet. p. m. 1630. 8vo,. Unde vero abſimile fuerit, ut ad hunc, prætermiſſo Demetrio ſummæ ſpei juvene & Patri in deliciis, Antigonus præcepta ſcriberet. Antigonus autem *Gonnatas* dictus, Demetrii illius filius, quique regnum Macedoniæ obtinuit, nullum genuit filium quod ſcimus *Philippum* nomine, ſed hæredem imperii reliquit *Demetrium* puerulum (Juſtin, xxvi, 2.) cui Frater minor erat ultimus Antigonorum, *Doſon* & *Soter* nuncupatus. Hujus quidem Demetrii Filius erat *Philippus*, cui, mortuo Patre cùm infans adhuc eſſet, *tutor* datus eſt Antigonus ille *Soter*, ejuſque matre in matrimonium acceptâ fuit ipſi vitricus, & rex interea Macedonum (Polyb. l. ii. p. 183. l. iv. p. 485. Juſtin.

ſium, trium prudentiſſimorum (ſic enim accepimus), quibus præcipiunt, ut oratione benigna multitudinis animos ad benevolentiam alliciant, militeſque blando appellando ſermone deliniant. Quæ autem in multitudine cum contentione habetur oratio, ea ſæpe univerſam excitat: magna eſt enim admiratio copioſè ſapienterque dicentis; quem qui audiunt, intelligere etiam & ſapere plus quàm cæteros arbitrantur: ſi verò ineſt in oratione miſta modeſtiæ gravitas, nil admirabilius fieri poteſt; eóque magis, ſi ea ſunt in adoleſcente. Sed, cùm ſint plura cauſſarum genera, quæ eloquentiam deſiderant, multique in noſtra republica adoleſcentes, & apud judices & apud ſenatum, dicendo laudem aſſecuti ſint; maxima admiratio eſt in judiciis: quorum ratio duplex eſt: nam & ex accuſatione & defenſione conſtat; quarum etſi laudabilior eſt defenſio, tamen etiam accuſatio probata

ſtin. l. xxviii. c. 3.) Atque huic quidem Antigono Epiſtolas illas de quibus Cicero, tribuendas omnino exiſtimem, propter viri Sapientiam, Virtutem, ac Gloriam ſummam. Eum præconiis immortalibus ornavit Polybius, ſcriptor ipſe graviſſimus; quin & ea ipſa in illo prædicavit, unde natas Epiſtolas credideris. Nam Ἀντίγονος (inquit) *καλῶς μὲν ζῶν πρόεστη τῆς βασιλείας καὶ τοῦ παιδὸς αὐτοῦ· καλῶς δὲ, τὸν βίον μεταλλάττων, προενοήθη πρὸς τὸ μέλλον, περὶ πάντων τῶν πραγμάτων.* &c. p. 485. 8vo. Conf. l. v. p. 499, 500. Hinc utique is animus, eæ artes, eæ vires poſtea Philippo, ut Græciæ univerſæ terrorem incuteret, Romaniſque ipſis arma intentaret. Hinc porrò eum facili errore Antigoni *filium* Scholiaſtes aliquis appellavit, quem Cicero ipſe *privignum* potiùs dixiſſet. *Chapman.*

probata perſæpe eſt. Dixi paullo antè de Craſſo. Idem fecit adoleſcens M. Antonius. Etiam P. Sulpitii eloquentiam accuſatio illuſtravit, cùm ſeditioſum & inutilem civem, [f] C. Norbanum, in judicium vocavit. Sed hoc quidem non eſt ſæpe faciendum; nec umquam niſi aut reipublicæ cauſſa, ut ii, quos antè dixi; aut ulciſcendi, [g] ut duo Luculli; aut [h] patrocinii, ut nos pro Siculis: [i] pro Sardis Julius. In accuſando etiam Manio Aquilio L. Fufii cognita induſtria eſt. Semel

(f) *C. Norbanum*] de hac accuſatione vide ii. 47. &c. de Orat.

(g) *ut duo Luculli*] Recentiores fere ediderunt *Lucilli*: ſed (ut ait Fabritius) duo *Luculli*, Lucius & Marcus, admodum adoleſcentes paternas inimicitias magnâ cum gloriâ ſunt perſecuti, & patris ſui accuſatorem Servilium augurem accuſârunt. Vide Ciceronem ipſum in Orat. de provinc. conſularibus c. 9.

(h) *patrocinii*] ſc. cauſſâ. Vulgò *patrocinio*; ſed Victorium ſequor, cui Lambinus etiam aſſentitur. Intelligit Orationis illas, quas contra Verrem habuit.

(i) *pro Sardis Julius*] Cùm T. Albutius proprætor in Sardiniâ malè ſe geſſiſſet, & latronibus quibuſdam devictis quaſi triumphâſſet, triumpho ei à Senatu priùs denegato, (Or. de provinc. conſ. c. 7. & Orat. in Piſon. c. 38.) C. Julius Cæſar illum, Sardis id rogantibus, accuſavit: Orat. Divin. in Cæcil. c. 19. Delenda igitur cenſuit Lambinus verba, quæ in vulgatis libris extant, *pro M. Albutio*: neque enim *pro M. Albutio* (ſeu potiùs *pro T. Albutio*) dixit Julius, ſed contra eum. Grævius verò legendum putavit, *pro Sardis Julius*; *Mutius Albutium* ſc. accuſavit: qui & ab Apuleio in Apologiâ ſec. & à Cicerone in Bruto c. 26. dicitur Mucius Augur accuſâſſe Albutium. Sed nec ſic ſatis ſanum eſſe locum arbitror: nam, cùm Cicero anteà non nominâſſet *Verrem* à ſe pro Siculis accuſatum, non videtur hîc voluiſſe Albutium accuſatum nominare. Mihi quidem ex conjecturâ placet legere *pro Sardis* Mutius & *Julius*: uterque enim (ut dixi) Sardorum cauſſâ T. Albutium in judicium arceſſivit.

Semel igitur, aut non ſæpe certè: ſin eri cui faciendum ſit ſæpius, [a] reipublicæ tri buat hoc muneris, cujus inimicos ulciſ ſæpius, non eſt reprehendendum. Modu tamen adſit: duri enim hominis, vel po- tiùs vix hominis videtur, periculum capi- tis inferre multis. Id cùm periculoſum ipſi eſt, tum etiam ſordidum ad famam, committere ut accuſator nominere: quod contigit M. Bruto, ſummo genere nato, illius filio, qui juris civilis in primis pe- ritus fuit. Atque etiam hoc præ- ceptum officii diligenter tenendum eſt, ne quem umquam innocentem judicio ca- pitis arceſſas: id enim ſine ſcelere fieri nullo pacto poteſt: nam quid eſt tam in- humanum, quàm eloquentiam, à natura ad ſalutem hominum & ad conſervationem datam ad bonorum peſtem perniciemque convertere? Nec tamen, ut hoc fugiendum eſt, ita habendum eſt religioni, [b] nocen- tem aliquando, modò ne nefarium impi- umque, defendere: vult hoc multitudo, pa- titur conſuetudo, fert etiam humanitas. Ju- dicis

(a) *reipublicæ tribuat hoc muneris*] i. e. curet, ut hoc munus reipublicæ cauſſa vi- deatur ſuſceptum eſſe.

(b) *nocentem aliquando*] Hoc laxiùs, quàm res poſtulat, dici videtur: neque enim aut hu- manitas aut ſocietatis utilitas patitur, ut Patronus nocen- tem defendat, niſi hoc ſibi propoſito, aut ne plura crimi- na ei objiciantur quàm ad- miſerit; aut ne ea, quæ ad- miſerit, majora eſſe, quàm ve- ritas ſinat, videantur; aut de- nique ne majus ſupplicium à Judicibus inferendum poſca- tur, quàm quod legibus con- ſtitutum ſit.

dicis eſt, ſemper in cauſſis verum ſequi; patroni nonnumquam veriſimile, etiam ſi minùs ſit verum, defendere: quod ſcribere, præſertim cùm de philoſophia ſcriberem, non auderem, niſi idem placeret graviſſimo Stoicorum Panætio. Maximè autem & gloria paritur & gratia defenſionibus; eóque major, ſi quando accidit, ut ei ſubveniatur, qui potentis alicujus opibus circumveniri urgerique videatur: ut nos & ſæpe alias, & adoleſcentes contra L. Syllæ dominantis opes pro Sex. Roſcio Amerino fecimus; quæ, ut ſcis, [c] extat oratio.

XV. Sed expoſitis adoleſcentium officiis, quæ valeant ad gloriam adipiſcendam, [d] deinceps de beneficentia ac liberalitate dicendum eſt: cujus eſt ratio duplex; nam aut opera [e] benignè fit indigentibus, aut pecunia: facilior eſt hæc poſterior, locupleti præſertim; [f] ſed illa lautior ac ſplendidior, & viro forti

(c) *extat oratio*] i. e. ex ſcriniis meis exiit, & in manibus eſt hominum. Alibi id ſcriptum, quod tempus non perdidit, dicitur *extare*.

(d) *deinceps de beneficentiâ*] Hinc Noſter incipit dicere de quintâ & ſextâ ratione (quam memorârat in c. 6.) benevolentiæ hominum conciliandæ; nempe de beneficentiâ & liberalitate: quod etiam genus beneficiorum dupliciter tractat: primo hîc de iis diſputat, quæ ad ſingulos ſpectant; deinde in c. 21. de iis, quæ ad Rempublicam & univerſos pertinent.

(e) *benignè fit indigentibus*] *Bene fit*, quibus præſtatur beneficium: pro quo Cicero novè dixit *benignè* fit imperſonaliter. *Eraſmus*.

(f) *ſed illa* lautior & *ſplendidior*] Proba ſatis lectio eſt *lautior*; verum ita τῷ *ſplendidior* affinis, ut mallem *latior*, i. e. amplior, uberior: id quod ipſum probare aggreditur Cicero in ſequentibus:

Unde

forti claroque dignior: quamquam enim i
[g] utroque ineſt gratificandi liberalis volunta
tamen [h] altera ex arca, altera ex virtute de
promitur: largitioque, quæ fit ex re fami
liari, fontem ipſum benignitatis exhaurit
ita benignitate benignitas tollitur; qua qu
in plures uſus ſis, eo minùs in multos ut
poſſis. At qui [i] opera, id eſt, virtut
& induſtria, benefici & liberales erunt; primùm quo pluribus profuerint, eo plures ad benignè faciendum adjutores habebunt; deinde conſuetudine beneficentiæ paratiores erunt & tamquam exercitatiores, ad bene de multis promerendum. Præclare in epiſtola quadam Alexandrum filium Philippus accuſat quòd largitione benevolentiam Macedonum

Unde tandem infra concludit, *quamobrem non dubium eſt, quin illa benignitas, quæ conſtat ex opera & induſtria, & honeſtior ſit*, & latiùs pateat, & *poſſit prodeſſe pluribus. Chapman.*

(g) *utroque*] J. Walkero viſus eſt Cicero ſcripſiſſe *utraque*, quia ſequitur *altera ex arca* &c. Et video in MSo Reg. 4. vocem *utraque* eſſe à correctoris manu, eadem tamen (ut opinor) manu, qua totum opus deſcriptum eſt.

(h) *altera ex arca, altera ex virtute*] Non ſatis ex ratione ducta videtur hæc ſententia: pecunia enim, quâ indigentes juvantur, tam ex virtute, quàm opera, depromi poterit; modò ea inſit mens & liberalis voluntas in donante, ut hominum commodis & utilitatibus inſerviat. Quâ virtute quid honeſtiùs ab operam præbentibus effici poſſit?

(i) *opera, id eſt, virtute & induſtriâ*] Suſpecta mihi ſunt verba, *id eſt, virtute:* ſequitur enim in concluſione hujus argumentationis, *Quamobrem —— illa benignitas, quæ conſtat ex opera & induſtriâ:* nihil igitur neceſſariò hîc de *virtute* dicendum fuit. Adde, quòd, cum *induſtria* non minùs *virtus* appellari poteſt quàm *opera*, Cicero (ut opinor) potiùs dixiſſet *operâ & induſtriâ, id eſt, virtute.* Sed ex meâ ſententia delenda ſunt verba, *id eſt, virtute.*

tedonum conſectetur: *Quæ te, malum!* inquit, *ratio in iſtam ſpem induxit, ut eos tibi fideles putares fore, quos pecunia corrupiſſes? An tu id agis, ut Macedones non te regem ſuum, ſed miniſtrum & præbitorem ſperent fore?* Bene *miniſtrum & præbitorem*, quia ſordidum regi: meliùs etiam, quòd largitionem *corruptelam* eſſe dixit; fit enim deterior, qui accipit, atque ad idem ſemper exſpectandum paratior. Hoc ille filio; ſed præceptum putemus omnibus. Quamobrem id quidem non dubium eſt, quin illa benignitas, quæ conſtat ex opera & induſtria, & honeſtior ſit, & latiùs pateat, & poſſit prodeſſe pluribus: nonnunquam tamen eſt largiendum, nec hoc benignitatis genus omnino repudiandum eſt; & [a] ſæpe idoneis hominibus indigentibus de re familiari impertiendum: ſed [b] diligenter atque moderatè: multi enim patrimonia effuderunt

(a) *ſæpe idoneis hominibus* &c.] Lactantius Div. Inſt. vi. 11. in hunc locum invectus, ait, " Quid *idoneis?* " nempè iis, qui reſtituere ac " referre gratiam poſſint: " ——non *idoneis* largiendum " eſt; ſed, quantum poteſt, " *non idoneis*: id enim juſtè, " id piè, id humanè fit, quod " fine ſpe recipiendi feceris: " —— quid perſonas eligis? " quid membra inſpicis? pro " homine tibi habendus eſt, " quiſquis ideo precatur, quia " te hominem putet." Hæc ille, & plura ad hanc rem; ſed velut qui ad mentem Ciceronis parum attenderit; cùm in omni largitione delectum perſonarum ob eas cauſſas, quas memorat Cicero, habendum eſſe nec ratio vetat nec Chriſtiana religio.

(b) *diligenter atque moderate*] Alibi *diligenter* facere, eſt ſtudioſè, & quaſi cum dilectione ejus quod fit, aliquid facere: At *diligenter* hìc (quaſi *deligenter*) facit is, qui cum delectu

effuderunt inconſulte largiendo: quid a[u]tem eſt ſtultius, quàm, quod libenter [fa]cias, curare ut id diutius facere non poſſi[s]? Atque etiam ſequuntur largitionem rapin[æ]: cùm enim dando egere cœperint, alienis b[o]nis manus afferre coguntur; ita, cùm benevolentiæ comparandæ cauſſa benefici eſſe v[e]lint, non tanta ſtudia aſſequuntur eorum, quibus dederunt, quanta odia eorum, quibus ademerunt. Quamobrem nec ita claudenda eſt res familiaris, ut eam benignitas aperire non poſſit; nec ita reſeranda, ut pateat omnibus: modus adhibeatur, iſque referatur ad facultates. Omnino meminiſſe debemus id, quod à noſtris hominibus ſæpiſſime uſurpatum jam in proverbii conſuetudinem venit, *largitionem fundum non habere*: etenim quis poteſt modus eſſe, cùm & idem qui [c] conſuêrunt, & idem illud alii deſiderent?

XVI. Omnino duo ſunt genera largorum, quorum alteri prodigi, alteri liberales: Prodigi, qui epulis & [d] viſcerationibus, & gladiatoriis muneribus, ludorum venationumque apparatu, pecunias profundunt in eas res, quarum

delectu facit, qui indigentes ab indigentibus diſtinguit, videtque qui quibus anteferendi ſint in beneficiis conferendis. Utrumque ſenſum videre eſt in c. 18. *in deligendis idoneis debemus judicium & diligentiam adhibere.*

(c) *conſuêrunt*] i. e. cùm & ii, qui conſuêrunt accipere, id deſiderent.

(d) *viſcerationibus*] *Viſceratio* eſt diſtributio carnis crudæ inter Plebeios, genus largitionis apud Romanos uſitatum.

rum memoriam aut brevem aut nullam omnino ſint relicturi: liberales autem, qui ſuis facultatibus aut captos à prædonibus redimunt, aut [e] æs alienum ſuſcipiunt amicorum, aut in filiarum collocatione adjuvant, aut opitulantur in re vel quærenda vel augenda. Itaque miror, quid in mentem venerit Theophraſto, in eo libro, quem de divitiis ſcripſit; in quo multa præclarè, illud abſurdè: eſt enim multus in laudanda magnificentia & apparatione popularium munerum, taliumque ſumptuum facultatem fructum divitiarum putat: mihi autem ille fructus liberalitatis, cujus pauca exempla poſui, multo & major videtur & certior. [f] Quanto Ariſtoteles graviùs & veriùs [g] nos reprehendit, qui has pecuniarum effuſiones [h] non admiremur, quæ fiunt ad multitudinem

(e) *æs alienum* &c] i. e. qui debita amicorum diſſolvenda in ſe recipiunt, ſeu potiùs qui ea diſſolvunt, numerata pecunia; nam ſuis *facultatibus* liberales hoc facere dicantur: ergo habere eos, unde diſſolvant, putandi ſunt.

(f) *Quanto Ariſtoteles*] Hæc, quæ Noſter ex Ariſtotele citat, hodie non extant in editionibus: fortaſſe ex iis libris, quos de Republicâ ſcripſit, & quorum magnam partem tempus nobis invidit, huc adducta fuerunt.

(g) *nos reprehendit*] i. e. nos homines, maximam humani generis partem: per *nos* (ait Grævius) intelliguntur omnes ii, qui hæc vanè mirabantur; inter quos ſanè Cicero non erat.

(h) *non admiremur*] *Admirari* fere in bono ſenſu dicitur, ut cùm id, quod laudandum eſt, magni facimus: Hîc verò dicitur de eo, quod vituperandum cenſemus: Sic etiam in iii. 19. cùm dixerat Cicero de viro bono, nihil cuiquam, quod in ſe tranſferat, detrahente, addit, *Hoc qui* admiratur, *is ſe, quid ſit vir bonus, neſcire fateatur.* Vide de Fin. iv. 22. & de

dinem deliniendam? [i] At, *ii, qui ab ho[...] obſidentur, ſi emere aquæ ſextarium mi[...] [a] cogantur, hoc [b] primo incredibile no[...] videri, omneſque mirari; ſed, [c] cùm atten[...]derint, veniam neceſſitati dare: in his immanibus jacturis infinitiſque ſumtibus nihil nos magnopere mirari; cùm præſertim nec neceſſitati ſubveniatur, nec dignitas augeatur; ipſaque illa delectatio multitudinis ſit ad breve exiguumque tempus: eaque à leviſſimo quoque; in quo tamen ipſo unà cum ſatietate memoria quoque moriatur voluptatis.*

Nat. Deor. i. 3. Vide de Fin. i. 2. & iv. 22. & de Nat. Deor. i. 3. Vide item Horat. Serm. i. 4. 99.

(i) At, *ii, qui ab hoſte obſidentur*] Diu docti Interpretes queſti ſunt hunc totum locum perſonarum immutatione aliiſque obſcuritatem afferentibus laborare: Unde enim reguntur voces Infinitivi modi *videri, mirari*, &c. At fortaſſe Cicero ſcripſit: Ait, *ii, qui ab hoſte* &c. vel, Ait enim, *ii, qui ab hoſte* &c. *Ait* ſc. *Ariſtoteles*, vel (ſi Muretum audias, *Ariſto*), cujus verba Latinè reddita ea eſſe, quæ ſequuntur, nullus dubito; quia poſt dicitur, *Bene etiam colligit* &c. In MSis *at* & *ait* ſæpius confunduntur. Exemplo ſit i. 40. *O puerum pulchrum, Pericle! at enim Prætorem* &c. ubi ita multi MSi habent *ait*, ita multi *at*, ut ferè numero ſint pares. Video etiam eandem conjecturam doct. *Chapmanno* in mentem veniſſe.

(a) *cogantur*] Vulgò, *cogerentur:* ſed ſecutus ſum lectionem MSi Pal. primi, Latinæ linguæ (opinior) ratione poſtulante.

(b) *primò*] Grævius edidit *primo auditu* ex ſuo MSo: Si hæc vera eſt lectio, ſenſus eſt, cùm primum *audierint*; caveat enim Lector, ne cenſeat hoc opponi ſecundo auditui. Sed ab omnibus fere MSis *auditu* abeſt, & commodè abeſſe poteſt, cùm *primò* idem ſignificat quod *primo auditu*.

(c) *cùm attenderint*] Nulla eſt hic immutatio perſonarum, qualis iis in mentem venit, qui cenſent Ciceronem (cùm præceſſerit *nobis*) debuiſſe ſcribere *attenderimus*. Sed non opus eſt; præceſſerat enim proximè vox tertiæ perſonæ

tis. Bene etiam colligit, *hæc pueris, & mulierculis, & ſervis, & ſervorum ſimillimis liberis, eſſe grata: gravi verò homini, & ea, quæ fiunt, judicio certo ponderanti, probari poſſe nullo modo.* Quamquam intelligo, in noſtra civitate [d] inveterâſſe etiam bonis temporibus, ut ſplendor ædilitatum ab optimis viris poſtuletur: itaque & P. Craſſus, cum cognomine dives tum copiis, functus eſt ædilitio maximo munere: & paullo poſt L. Craſſus, cum omnium hominum moderatiſſimo, Q. Mutio, [e] magnificentiſſimâ ædilitate functus eſt: deinde C. Claudius, Appii filius: multi poſt, Luculli, Hortenſius, Silanus: omnes autem P. Lentulus, me conſule, vicit ſuperiores; hunc eſt Scaurus imitatus. Magnificentiſſima verò noſtri Pompeii munera ſecundo conſulatu: in quibus omnibus quid mihi placeat, vides.

XVII. Vitanda tamen eſt ſuſpicio avaritiæ. Mamerco homini ditiſſimo, prætermiſſio ædilitatis conſulatûs repulſam attulit. Quare &

ſonæ *omnes*, i. e. omnes homines; recte igitur dicitur *attenderint*.

(d) *inveterâſſe etiam bonis temporibus*] Hæc lectio eſt in Grævii opt. MSo, in Pal. primo, in Lincoln. Oxon. MSiſque Mill. & Cant. & eam ſequendam eſſe cenſeo: Abeſt etiam Præpoſitio *à* ab omnibus MSis Oxonienſibus, & ſex meis. Senſus eſt; Hic mos vetus fuit etiam antequàm tempora eſſe bona deſierunt. Vulgata lectio *inveterâſſe jam à bonis temporibus*, non uno modo mihi diſplicet.

(e) *magnificentiſſimâ* &c.] In iii. 24. de Orat. hæc ſunt hujus L. Craſſi verba, *Ego in ædilitate laboravi, quòd quotidianis & vernaculis rebus ſatisfacere me poſſe huic populo non putabam.*

& ſi [f] poſtulatur à populo, bonis viris non deſiderantibus, attamen approbantibus faciendum eſt, modò pro facultatibus; nos ipſi ut fecimus: & ſiquando aliqua res major, atque utilior, populari largitione acquiritur; [g] ut Oreſti nuper prandia in ſemitis [h] decumæ nomine magno honori fuerunt. Ne Marco quidem Seio vitio datum eſt, quòd [i] in caritate annonæ aſſe modium populo

(f) *poſtulatur à populo*] Aliud Cicero ſignificavit, cùm diceret c. 20. *atque etiam à ſe poſtulari aut expectari aliquid ſuſpicantur*, & in i. 1. de leg. *veritas à te poſtulatur*, i. e. poſtulatur, ut tu veritatem loquaris. Hîc verò non idem valet præpoſitio *à* quod in illis locis: *populus* eſt enim is qui poſtulat, non is à quo poſtulatur.

(g) *ut Oreſti nuper prandia in ſemitis decumæ nomine* &c.] Is erat, ut opinior, *Cn. Aufidius Oreſtes*, qui Conſul fuit A. U. C. 683, cum P. Lentulo Sura. Gentis quidem *Aureliæ* cognomen erat *Oreſtes*; ſed, cùm eum adoptaret Cn. Aufidius (teſte orat. pro Dom. c. 13.), ſequebatur etiam nominis alterius hereditas. Porrò, *decumæ nomine* ita ex ipſa conjectura intelligo. Cùm Oreſtes Patronus eſſet oppidi vel agri alicujus, uti mos erat apud nobiles Romanos, unde decumæ populo Romano quotannis penderentur pro inſtituto veteri in provinciis, (Vid. Verrin. teſt. paſſim) Oreſtes *decumæ ejus* nomine, ut clientes ſuos ſublevaret, prandia ipſe populo Romano in ſemitis extra Urbem præbere voluit. *Chapman.*

(h) *decumæ nomine*] Veteres Romani (inquit Manutius) ut in exoptatâ re bonum exitum conſequerentur, decumam fructuum vel prædæ alicui Deo vovebant. Huc ſpectavit Oreſtes, cùm prandia populo dedit in ſemitis, ut eum ſibi conciliaret, in petitione Magiſtratûs, decumæ nomine; quemadmodum decumas alii Diis offerebant.

(i) *in caritate annonæ*] Victorius omiſit vocem *annonæ*, quam poſtea in vulgatas editiones receptam iterum excluſit Gruterus: At hæc vox ineſt in edit. Mogunt. & Romanâ, in MSo Mill. & quatuor Oxon. quamvis in multis MSis abſit. Mihi quidem videtur τὸ *annonæ* huic loco neceſſarium eſſe, cùm non appareat quid eſſet *carum* ſi illud omittamus.

ipulo dedit: magna enim ſe & inveterata invidia, nec turpi jactura, quando erat ædilis, nec maxima liberavit. Sed honori ſummo nuper noſtro Miloni fuit, quòd gladiatoribus emtis reipublicæ cauſſa, quæ ſalute noſtra continebatur, omnes P. Clodii conatus furoreſque compreſſit. Cauſſa igitur largitionis eſt, ſi aut neceſſe eſt, aut utile: in his autem ipſis mediocritatis regula optima eſt. L. quidem Philippus Q. filius, magno vir ingenio in primiſque clarus, gloriari ſolebat, ſe ſine ullo munere adeptum eſſe omnia, quæ haberentur ampliſſima. (a) Dicebat idem C. Curio. Nobis quoque licet in hoc quodammodo gloriari: nam pro amplitudine honorum, quos cunctis ſuffragiis adepti ſumus (b) noſtro quidem anno,

tamus. Alibi Noſter ſolet plenè ſuum ſenſum exprimere, ut in iii. 12. in *Rhodiorum inopiâ & fame ſummâque* annonæ caritate. Ib. 23. *ſitne boni viri in maximâ* caritate annonæ *familiam non alere.* Cur non igitur hîc, niſi vitio Librariorum?

(a) *Dicebat idem C. Curio*] MSi fere omnes habent *Dicebat idem Cotta* (vel *Cocta*) *Curio.* At in Mead. ſec. extat *Dicebat idem* autem *Curio.* Fortaſſe Cicero ſcripſit (ſi quis eſt hîc conjecturæ locus): *Dicebat autem idem C. Curio.*

(b) *noſtro quidem anno*] Id eſt, anno legitimo, quo primùm honores petere licebat per ætatem vel ordinem, ut verè Ciceroni contigit in Quæſturâ, Ædilitate, Præturâ, Conſulatu petendo. Hinc ipſe in Or. cont. Rull. c. 2. *Si recordari volueritis* ——*de novis hominibus reperietis* eos — *qui* anno ſuo *petierint, ſine repulſâ non eſſe factos: Me eſſe unum, qui Conſulatum petierim, cùm primùm licitum ſit; Conſul factus ſim, cùm primùm petierim* —— *Eſt illud ampliſſimum, Quirites, quod hoc honore ex novis hominibus primùm me* —— *affeciſtis; quòd primâ petitione, quòd* anno meo. *Chapman.*

anno, [c] quod contigit eorum nemini, quos modò nominavi, ſane exiguus ſumptus ædilitatis fuit. Atque etiam illæ impenſæ meliores; muri, navalia, portus, aquarum ductus, omniaque quæ ad uſum *rei*publicæ pertinent: quamquam quod præſens tamquam in manum datur, jucundius eſt; tamen hæc in poſterum gratiora. Theatra, porticus, [d] nova templa, verecundiùs reprehendo propter Pompeium: ſed doctiſſimi non probant; ut & hic ipſe Panætius, quem multùm in his libris ſecutus ſum, non interpretatus; & Demetrius Phalereus, qui Periclem principem Græciæ vituperat, quòd tantam pecuniam in præclara illa [e] propylæa conjecerit. Sed de hoc genere toto in iis libris, quos de republica ſcripſi, diligenter eſt diſputatum. Tota igitur ratio talium largitionum genere vitioſa eſt, temporibus neceſſaria; & tum ipſa & ad facultates accommodanda, & mediocritate moderanda eſt.

In

(c) *quod contigit eorum nemini*] ſc. ut cùm primùm per leges liceret, honoribus, quos peterent, fruerentur.

(d) *nova templa*] Iſtud epitheton *nova* videtur tam ad *theatra* & *porticus*, quàm ad *templa* reſpicere. Vide Notam meam ad ii. 5. de Orat.

(e) *propylæa*] Arcis, quæ Cecropia dicebatur, hæc erant veſtibula, lapide albo tecta; quibus extruendis Pericles annos quinque & bis mille ac duodecim talenta impendit. Per ſolas horum veſtibulorum portas quinque patebant aditus *in* arcem. Illarum claves Archontes ſinguli ſingulis diebus tantùm, ne tyrannidem affectare umquam poſſent, aſſervabant; quóque eas die habebant, dicebantur *ἐπιστάται*. *Meurſius* in Cecrop. c. 6.

In illo autem altero genere largiendi, XVIII.
quod à liberalitate proficiſcitur, non uno modo in diſparibus cauſſis affecti eſſe debemus. Alia cauſſa eſt ejus, qui calamitate premitur; & ejus, qui res meliores quærit, nullis ſuis rebus adverſis. Propenſior benignitas eſſe debebit in calamitoſos, niſi fortè erunt digni calamitate: in iis tamen, qui ſe adjuvari volent, non ut ne affligantur, ſed ut altiorem gradum adſcendant, reſtricti omnino eſſe nullo modo debemus; ſed in deligendis idoneis judicium & diligentiam adhibere: nam præclarè Ennius;

Benefacta malè locata malefacta arbitror.

Quod autem tributum eſt bono viro & grato, [f] in eo, cum ex ipſo fructus eſt, tum etiam ex cæteris: temeritate enim remota, gratiſſima eſt liberalitas; eoque eam ſtudioſiùs plerique laudant, quòd ſummi cujuſque bonitas commune perfugium eſt omnium. Danda igitur opera eſt, ut iis beneficiis quàm plurimos afficiamus, quorum memoria liberis poſteriſque prodatur, ut iis ingratis eſſe non liceat: omnes enim [g] immemorem beneficii oderunt; eamque injuriam

(f) *in eo, cùm ex ipſo*] Senſus eſt; In eo ipſi tribuendo is, qui dat, fructum capit tum ex ipſo illo bono viro & grato, tum ex cæteris, qui eam liberalitatem ſibi commune perfugium eſſe arbitrantur.

(g) *immemorem beneficii*] Videtur hîc Cicero ad illud Terentii

tiam in deterrenda liberalitate ſibi etiam fieri; eumque, qui faciat, communem hoſtem

Terentii in Andr. I. i. 16. reſpexiſſe,

——— iſthæc commemoratio

Quaſi exprobratio eſt immemoris beneficî.

Libet verò, hâc occaſione captâ, ea apponere, quæ Cl. R. Bentleius dixit in Not. ad Andr. II, i, 20. "Veteres "in nominibus ſubſtantivis, "exeuntibus in *ius* aut *ium*, "ſemper Genitivos caſus *i* "ſimplici efferebant; nûnquam *auxilii*, *conſilii*, *imperii*, *negotii*, ſed *auxili*, "*conſili*, *imperi*, *negoti*. Ego "verò à puero diu credidi, "ut didiceram, hujuſmodi "Genitivos per contractionem fieri, & idcirco tali "apice ſignatos vidi, *imperî*, "*conſilî*. Poſtea ſuſpicio mihi incidit, rem aliter ſe habuiſſe. Diutina autem obſervatione factâ, de plano "affirmare auſim, neminem "ex veteribus duplicem *i* in "Genitivis illis uſurpaſſe: "non Virgilium, non Horatium, non priorum poetarum quemquam: ſi quid "aliter nunc feratur, mendoſum eſſe; ſicut Ennii il"lud apud Ciceronem de "Senectute, *Ecquid erit pretii*: codices quippe alii "*præmi* habent, quæ vera "lectio eſt. Primus ex poetis, qui hodie extant, Propertius bis vel ter, Ovidius "ſæpiſſime, & poſt eum alii "omnes geminum *i* uſurpant. "Sub Auguſti ſcilicet *ſeneſcentis* ætate mutatio iſta "facta eſt. Quòd ſi in poetis ubique hoc obtinuit, "quis dubitet quin idem "obtinuerit in oratione *ſoluta*? Cicero itaque ſic "ſemper locutus eſt, quod "maximè attendendum eſt "eis, qui numeros oratorios "cupiunt intelligere. Nigidius Figulus, Romanorum "à Varrone doctiſſimus, apud "Gellium xiii. 24. inquit, "*Voculatio qui poterit ſervari? ſi non ſciemus in nominibus, ut* Valeri, *interrogandi ſint, an vocandi: nam "interrogandi ſecunda ſyllaba "ſuperiore tono eſt, quàm prima; deindè noviſſima dejicitur. At in caſu vocandi ſummo tono eſt prima, deinde gradatim deſcendunt.* "Explicante ibidem Gellio, "*Voculatio* apud Nigidium "eſt, quem Accentum nos "dicimus; *caſus interrogandi*, quem nos Genitivum. "Ergo Nigidii ætate, qui "poſt Auguſtum natum vixit, "à nominibus in *ius* nulla "erat diſtinctio Vocativi, & "Genitivi, niſi ſolo Accentu. A recto *Valerius*, Vocativus *Váleri*, Genitivus "*Valéri*, pronuntiabatur. Ad "hanc faciem ubique Terentius, *gaudi*, *fili*, *viti*, "*preti* Genitivos facit."

ſtem tenuiorum putant. Atque hæc benignitas etiam reipublicæ utilis eſt, redimi è ſervitute captos, locupletari tenuiores; quod quidem vulgò ſolitum fieri ab ordine noſtro, in oratione Craſſi ſcriptum copioſè videmus. Hanc ergo conſuetudinem benignitatis largitioni munerum longè antepono: hæc eſt gravium hominum atque magnorum; illa quaſi aſſentatorum populi, multitudinis levitatem voluptate quaſi titillantium. Conveniet autem, cum in dando munificum eſſe, tum in exigendo non acerbum; in omnique re contrahenda, vendendo, emendo, conducendo, locando, vicinitatibus & confiniis, æquum & facilem; multa multis de jure ſuo cedentem; à litibus verò, quantum liceat, & neſcio an paullo plus etiam quàm liceat, abhorrentem: eſt enim non modò liberale, paullum nonnumquam de ſuo jure decedere, ſed interdum etiam fructuoſum. Habenda autem eſt ratio rei familiaris, quam quidem dilabi ſinere, flagitioſum eſt; ſed ita, ut illiberalitatis avaritiæque abſit ſuſpicio: poſſe enim liberalitate uti, non ſpoliantem ſe patrimonio, nimirum eſt pecuniæ fructus maximus. Rectè etiam à Theophraſto eſt laudata hoſpitalitas; eſt enim, ut mihi quidem videtur, valde decorum, patere domos hominum illuſtrium illuſtribus hoſpitibus: idque etiam reipublicæ eſt ornamento, homines externos hoc liberalitatis genere in

urbe

urbe noſtra non egere: eſt autem etiam vehementer utile iis, [h] qui honeſtè poſſe multùm volunt, per hoſpites apud externos populos valere opibus & gratia. Theophraſtus quidem ſcribit, [i] Cimonem Athenis etiam in ſuos curiales Laciadas hoſpitalem fuiſſe: [a] ita enim inſtituiſſe, & villicis imperaviſſe, ut omnia præberentur, quicumque Laciades in villam ſuam devertiſſet.

Quæ

(h) *qui honeſtè poſſe multùm volunt*] i. e. qui ſe potentes eſſe velint, ſed non ſine honeſtate.

(i) *Cimonem Athenis*] Cur *Athenis*, cùm id, quod Cimon fecerit, dicatur feciſſe in villa? nam ſequitur, *ita enim inſtituiſſe, & villicis imperaviſſe, ut* &c. Senſus loci hic videtur eſſe. Non ſolùm cùm ruri eſſet, Cimonis domus hoſpitibus patuit; ſed, *Athenis etiam* cum eſſet, curavit, ut Laciadæ (qui ejuſdem, cujus ipſe, curiæ erant) in villa ſua per villicos hoſpitio exciperentur. *Pearcius.*

Ariſtoteles dicit apud Plutarchum: Τῶν δημοτῶν αὐτοῦ Λακιαδῶν παρεσκευάζετο τῷ βουλομένῳ τὸ δεῖπνον —— οἴκοι καθ' ἡμέραν. In Cimon. p. m. 885. 8vo. Quibus addit Plutarchus, non modò Laciadis, verùm etiam tenuioribus quibuſcunque Athenienſium Cimonis domum ac cœnam in dies ſingulos patuiſſe. Illud porrò obiter monendum eſt, rectè ſe habere *Laciadas*, ut conſtat ex plurimis veterum teſtimoniis; ac proinde corrigi debere *Pauſaniam* in editis, ubi *Lacidæ* vocantur. Ita enim hodie i. 37. Ed. Kühn. Λακίου τέμενος ἐστιν ἥρωος, καὶ δῆμος, ὃν Λακιάδας ὀνομάζουσιν, ἀπὸ τούτου. *Chapman.*

(a) *ita enim inſtituiſſe, & villicis imperaviſſe, ut* &c.] Adnectenda ſunt præcedentibus, *ita enim inſtituiſſe*: deinde quod de *villicis* traditur, non ad cœnam Cimonis vel hoſpitium *Athenis* ſunt referenda; ſed ad rem prorſus aliam. *Villa* utique, unde *Villici* nomen, non in Urbe ſed ruri fuit, ubi Cimon (teſte Cornelio Nepote. Cim. c. 4.) *Prædia compluribus locis hortoſque habuit*; & in eis quoque tanta uſus fuit liberalitate, ut ipſis numquam *cuſtodem impoſuerit, fructus ſervandi gratiâ, nec quiſquam impediretur*,

Quæ autem operâ, non largitione beneficia dantur, hæc tum in univerſam rempublicam, tum in ſingulos cives conferuntur: [b] nam in jure cavere, conſilio juvare, atque hoc ſcientiæ genere prodeſſe quàm plurimis, vehementer & ad opes augendas pertinet & ad gratiam. Itaque cum multa præclara majorum, tum quòd optimè conſtituti juris civilis ſummo ſemper in honore fuit cognitio atque interpretatio: quam quidem, ante hanc confuſionem temporum, in poſſeſſione ſua principes retinuerunt; nunc, ut honores, ut omnes dignitatis gradus, ſic hujus ſcientiæ ſplendor deletus eſt: idque XIX.

diretur, quo minùs ejus rebus, quibus vellet, frueretur. Ita *Nepos* ſcilicet; Quin & idem Theopompus, Nepote longe antiquior, verbis tam luculentis expoſuit, ut ea haud piguerit adſcribere. Κίμων ὁ Ἀθηναῖος ἐν τοῖς ἀγροῖς καὶ τοῖς κήποις ὐδένα τῦ κάρπυ καθίςα φύλακα, ὅπως οἱ βυλόμενοι τῶν πολιτῶν εισιόντες ὀπωρίζωνται, καὶ λαμβάνωσιν εἴ τινος δέοιντο τῶν ἐν τοῖς χωρίοις· ἔπειτα τὴν οἰκίαν παρεῖχε κοινὴν ἅπασι, καὶ δεῖπνον ἀεὶ εὐτελὲς παρασκευάζσεθαι πολλοῖς ἀνθρώποις, καὶ τὺς ἀπόρυς προσιόντας τῶν Ἀθηναίων εἰσιόντας δειπνεῖν. Ap. Athen. l. 12. p. 533. Hinc lucem accipiant iſta Plutarchi, quæ tali quidem egent interprete. Τῶν ἀγρῶν τὺς φραγμὺς ἀφεῖλεν, ἵνα καὶ τοῖς ξένοις καὶ τῶν πολιτῶν τοῖς δεομένοις ἀδεῶς ὑπάρχῃ λαμβάνειν τῆς ὀπώρας. In Cimon. p. m. 885. Conf. in Pericl. p. m. 287. 8vo. *Chapman.*

(b) *nam in jure cavere*] i. e. clientibus cavere. Notiſſimum eſt propriè Juriſconſultos dici *cavere alicui*, cùm providerit conſilio ſcriptove ſolennibuſque formulis inſtruendo, nequis in contrahendo decipiatur. Hæc Grævius ad Cic. Ep. ad fam. iii. 1. ubi legitur de Valerio, *melius ei cavere volo, quàm ipſe aliis ſolet.* Et ita Ovid. de arte amandi i. 84.

Illo ſæpe loco capitur conſultus amore,
Quique aliis cavit, non cavet ipſe ſibi.

idque eo indignius, quòd eo tempore hoc contigit, [c] cùm is eſſet, qui omnes ſuperiores, quibus honore par eſſet, ſcientia facilè viciſſet. Hæc igitur opera grata multis, & ad beneficiis obſtringendos homines accommodata. Atque huic arti finitima eſt dicendi gravior facultas, & gratior, & ornatior. Quid enim eloquentia præſtabilius, [d] vel admiratione audientium, vel ſpe indigentium, vel eorum, qui defenſi ſunt, gratia? Huic quoque ergo à majoribus noſtris eſt [e] in toga dignitatis principatus datus. Diſerti igitur hominis, & [f] facilè laborantis,

(c) *cùm is eſſet*] Lambinus rectè admonet Servium Sulpicium his ſignificari, qui à Noſtro in Or. Philip. ix. fusè laudatur. *Eſſet*, i. e. viveret, exiſteret: ut in iii. 33. de Orat. *An tu exiſtimas, cùm eſſet Hippocrates ille Cous* &c. Vide Notam meam ad locum.

(d) *vel admiratione*] Vel propter admirationem eorum qui audiunt: hanc enim vim habet caſus ablativus hîc & in ſequentibus.

(e) *in togâ dignitatis principatus*] Senſus eſt; Eloquentiæ prior dignitatis locus datus eſt, quàm cæteris Artibus, quibus cives in togâ, i. e. in pace utuntur. Hoc dictum videtur, ut excludantur artes bellicæ, quæ maximo apud Romanos in honore fuerunt. Hinc Pompeium dicit Vell. Paterculus ii. 29. *fuiſſe civem in togâ modeſtiſſimum:* Vulgò legitur in *totâ dignitate:* ſed hanc, quam ſequor, lectionem invenit Langius in uno MSo, Fabritius in altero, & Lambinus in quibuſdam vet. cod. Extat etiam *toga* in MSo Mert. pr. & interpretatione ſuprà allatâ ſe ſatis tuetur. Cicero antè dixerat i. 23. *non minorem utilitatem afferunt, qui togati Reipublicæ præſunt, quàm qui bellum gerunt.* Et de Senect. c. 4. dicit Q. Maximum *non armis præſtantiorem fuiſſe quàm in togâ.*

(f) *facilè laborantis*] Φιλόπονος, laborum tolerantiſſimi: qui labores & moleſtias non reformidet, ſed otio & quieti anteponat. *Facilè* pro *libenter:* ut ad Cœlium: *Quod in maritimis facillimè ſum.* *Manutius.*

borantis, quodque in patriis eſt moribus, multorum cauſſas & non gravatè & gratuito defendentis, beneficia & patrocinia latè patent. [g] Admonebat me res, ut hòc quoque loco intermiſſionem eloquentiæ, ne dicam interitum, deplorarem, ni vererer, ne de me ipſe aliquid viderer queri. Sed tamen videmus, quibus exſtinctis oratoribus, [h] quàm in paucis ſpes, quanto in paucioribus facultas, quàm in multis ſit audacia. Cùm autem omnes non poſſunt, ne multi quidem, aut juriſperiti eſſe aut diſerti; licet tamen operâ prodeſſe multis beneficia petentem, commendantem judicibus & magiſtratibus, vigilantem pro re alterius, eos ipſos, qui [i] aut conſuluntur aut defendunt, rogantem: quod qui faciunt, plurimum gratiæ conſequuntur, latiſſiméque eorum manat induſtria. Jam illud non ſunt admonendi (eſt enim in promtu), ut animadvertant, cùm juvare alios velint, ne quos offendant: ſæpe enim aut eos lædunt, quos non debent; aut eos, quos non expedit: ſi imprudentes, negligentiæ eſt; ſi ſcientes, temeritatis. Utendum etiam eſt excuſatione adversùs eos, quos invitus offendas,

(g) *Admonebat*] Potiùs *admoneret*, ex J. Walkeri conjecturâ.

(h) *quàm in paucis ſpes*] Subintellige *ponenda* vel *collocanda eſt*: ut in i. 7. de Orat. *in quibus magnam ſpem majores natu dignitatis ſuæ collocârant*: Quam pauci (explicante Pet. Marſo) ſint, de quibus ſperare liceat, quòd futuri ſint clari oratores.

(i) *aut conſuluntur aut defendunt*] i. e. Juriſconſultos aut Oratores.

das, quacumque poſſis, quare id, quod feceris, neceſſe fuerit, nec aliter facere potueris; cæteriſque operis & officiis erit id, quod violatum eſt, compenſandum.

XX. Sed, cùm in hominibus juvandis aut mores ſpectari aut fortuna ſoleat, dictu quidem eſt proclive, itáque vulgò loquuntur, ſe in beneficiis collocandis mores hominum, non fortunam ſequi. Honeſta oratio eſt: ſed quis eſt tandem, qui inopis & optimi viri cauſſæ non anteponat, in opera danda, gratiam fortunati & potentis? à quo enim expeditior & celerior remuneratio fore videtur, in eum fere eſt voluntas noſtra propenſior. Sed animadvertendum eſt diligentius, quæ natura rerum ſit: nimirum enim inops ille, ſi bonus eſt vir, etiam ſi referre gratiam non poteſt, habere certè poteſt. [a] Commodè autem, quicumque dixit, *Pecuniam qui habeat, non reddidiſſe; qui reddiderit, non habere: gratiam autem & qui retulerit, habere; & qui habeat, retuliſſe:* At, qui ſe locupletes, honoratos, beatos putant, hi ne obligari quidem beneficio volunt: quinetiam beneficium ſe dediſſe arbitrantur, cùm ipſi quamvis magnum aliquid acceperint; atque etiam à ſe poſtulari aut expectari aliquid ſuſpicantur: [b] patrocinio

(a) *Commodè autem, quicunque dixit*] Quaſi pleniùs dixiſſet, *Commodè autem dixit is, quicunque id dixit.*

(b) *patrocinio verò ſe uſos, & clientes appellari*] Nulli MSi mei aut Oxonienſes habent *tuo* ante *ſe*, quod Grævius

trocinio verò ſe uſos, & clientes appellari, mortis inſtar putant. At verò ille tenuis, cùm, quidquid factum ſit, ſe ſpectatum, non fortunam putet; non modò illi, qui eſt meritus, ſed etiam illis, à quibus exſpectat (eget enim multis), gratum ſe videri ſtudet: neque verò verbis auget ſuum munus, ſi quo fortè fungitur, ſed etiam extenuat. Videndumque illud eſt, quòd, ſi opulentum fortunatumque defenderis; in uno illo, aut fortè in liberis ejus, manet gratia: ſin autem inopem, (c) probum tamen & modeſtum; omnes non improbi humiles, quæ magna in populo multitudo eſt,

vius in ſuam editionem intulit. Sex etiam ex meis habent *aut*, vice *&*. Utrumvis arbitror malè huic loco hærere, & Ciceronem potiùs ſcripſiſſe, *patrocinio verò ſe uſos clientes appellari*, id eſt, ſe, cùm uſi fuerint patrocinio alicujus, clientes ejus appellari.

(c) *probum tamen & modeſtum*] Alibi *probus* ſignificat eum, qui juſto eſt animo, & minimè malo; cui contrarius eſt *improbus*. Hîc verò alium & (ut opinor) maximè proprium ſenſum habet vox *probum*, & in ſequente ſententiâ *improbi*: *probus* enim eſt *modeſtus*, *improbus* contrà: hinc Salluſtius de Pompeio dicit eum fuiſſe, *oris* probi, *animi inverecundi*: Sic Horat. in Serm. I. iii. 56.

——— probus *quis*
Nobiſcum vivit? multùm
demiſſus homo ille: ———

ſc. vocatur. Sic Quinct. Inſt. Orat. i. 3. probus *ab illo ſegni & jacente multùm aberit*. Et ib. xi. 3. *perfricare faciem & quaſi* improbam *facere*. Atque etiam Cicero in i. 26. de Orat. *Erat mirificus in Craſſo pudor, qui tamen non modò non obeſſet ejus orationi, ſed etiam* probitatis *commendatione prodeſſet*. Eodem (opinor) ſenſu dicitur à Virg. Georg. i. 145.

——— *labor omnia*
vincit
Improbus, *& duris urgens*
in rebus egeſtas.

Itemque ib. in 119. *anſer* vocatur *improbus*, quia, ſæpiùs licet repulſus, ad eundem paſtum

eſt, præſidium ſibi paratum vident. Quamobrem melius apud bonos, quàm apud fortunatos, beneficium collocari puto. Danda omnino opera eſt, ut omni generi ſatisfacere poſſimus: ſed, ſi res in contentionem veniet, nimirum Themiſtocles eſt auctor adhibendus, qui cùm conſuleretur, utrùm bono viro pauperi, an minùs probato diviti filiam collocaret; *Ego verò*, inquit, *malo virum, qui pecunia egeat, quàm pecuniam, quæ viro.* Sed corrupti mores depravatique ſunt admiratione divitiarum: quarum magnitudo (d) quid ad unumquemque noſtrûm pertinet? illum fortaſſe adjuvat, qui habet: ne id quidem ſemper: ſed fac juvare; (e) potentior ſanè ſit, honeſtior verò quomodo? Quòd ſi etiam bonus erit vir, ne impediant divitiæ, quo minùs juvetur,

ſtum redit. Hæc ideò notanda eſſe putavi, quia lexicis Latinis hic vocis ſenſus ferè ignotus videtur.

(d) *quid ad unumquemque noſtrûm pertinet?*] Quid nobis ſingulis prodeſt, quòd ſunt qui divitiarum magnitudine excellunt?

(e) potentior *ſanè ſit*] Ita MSi Mill. & Mead. ſec. item edit. Mogunt. Roman. Victorii, & Manutii; & hanc lectionem ſequendam eſſe puto: Grævius in textum adduxit vocem *utentior*, in nonnullis MSis (inter quos tres Regii) inventam, eamque ſic explicat, *qui pluribus utitur ad vitam tuendam.* At Cicero dixerat anteà *divitias illum, qui habet, juvare*; hoc verò plus eſt dicere, quàm quòd inde *utentior* eſſe poſſit: Hîc omnino opus videtur verbo, quod conſequentiam divitiarum adjuvantium exprimat; id quod facit vox *potentior*: Illum, qui eas habet, divitiæ *juvant*; ſequitur igitur ut *potentior* ſit: ſin legamus *utentior*, ordo invertitur argumenti; &, quia dives *utentior* eſt, ideo ſequitur, ut divitiæ illum *juvent.*

vetur, [f] modò ne adjuvent; ſitque omne judicium, non quàm locuples, ſed qualis quiſque ſit. Extremum autem præceptum [g] in beneficiis operâque dandâ eſt; ne quid contra æquitatem contendas, [h] ne quid pro injuria: fundamentum enim perpetuæ commendationis & famæ eſt juſtitia, ſine qua nihil poteſt eſſe laudabile.

XXI. Sed quoniam de eo genere beneficiorum dictum eſt, quæ ad ſingulos ſpectant; deinceps de iis, quæ ad univerſos, quæque ad rempublicam pertinent, diſputandum eſt. Eorum autem ipſorum partim ejuſmodi ſunt, ut ad univerſos cives pertineant; [i] partim ſingulos ut attingant; quæ ſunt etiam gratiora. Danda eſt opera omnino, ſi poſſit, utriſque; [a] nec minùs, ut etiam ſingulis con-

(f) *modò ne adjuvent*] ſc. adjuvent, ut juvetur à nobis.

(g) *in beneficiis operâque dandâ eſt*] i. e. in iis beneficiis conferendis, quæ ex opera danda conſtant: nam de his ſolis, non de iis, quæ largitione dantur, hìc Cicero loquitur; ut videre eſt in initio cap. 19. Unde puto eum ſcripſiſſe *in beneficiis operâ dandâ eſt*, omiſſâ copulâ *que*.

(h) *ne quid pro injuria*] Ita MSi ſeptem Oxon. duo Regii, & Mill. ita etiam editiones Mogunt. Rom. Victorii, omneſque (opinor) ante Grævianam, in quâ legitur *per injuriam*. Sed voces *pro injuriâ* meliùs opponuntur præcedentibus *contra æquitatem:* ut dicitur in iii. 36. de Orat. pro *omnibus* & contra *omnia diſputare*. Video tandem Grævium in poſteriore editione reſtituiſſe *pro injuria*.

(i) *partim ſingulos ut attingant*] Sc. quæ, quamquam ad univerſos, non ad ſingulos, pertinent, tamen ſingulis aliquo modo proſunt, hique ex illis beneficiis quendam fructum capiunt. Hæc videtur eſſe vis vocis *attingant*.

(a) *nec minùs* &c.] Senſus eſt; non minor opera danda eſt, ut ſingulis proſis quàm ut

conſulatur : ſed ita, ut ea res aut proſit, aut certè ne obſit reipublicæ. [b] C. Gracchi frumentaria magna largitio; exhauriebat igitur ærarium; [c] modica M. Octavii, & reipublicæ tolerabilis, & plebi neceſſaria; ergo & civibus & reipublicæ ſalutaris. In primis autem videndum erit ei, qui rempublicam adminiſtrabit, ut ſuum quiſque

XXI. teneat,

ut univerſis : modò in hoc cautum ſit, ut ea res &c.

(b) *C. Gracchi frumentaria magna largitio*] Frumentariæ legis Semproniæ ſive Gracchanæ duo erant capita præcipua; quorum unum ſervavit poſteris Epitome Livii, alterum Appianus, niſi fortè, (quod ſuſpicor) referri putes unum idemque ab utroque, omiſſis tantùm hinc illinc in eadem re particulis quibuſdam. *C. Gracchus* (epitom. Liv. lx.) *Tib. frater, tribunus plebis eloquentior quàm frater, pernicioſas aliquot leges tulit; inter quas frumentariam; ut ſemiſſe & (f. aut) triente frumentum plebi daretur.* Appianus autem, ἐπεβούλευε τῇ βουλῇ, σιτηρέσιον ἔμμηνον ὁρίσας ἑκάστῳ τῶν δημοτῶν ἀπὸ τῶν κοινῶν χρημάτων, οὐ πρότερον εἰωθὸς διαδίδοσθαι. *Senatui* (Gracchus) *laqueos intendit, lege lata, ut menſtruum plebi viritim frumentum divideretur ex ærario publico, idquod antea numquam eſſet factum.* De bell. Civ. p. 617, 618. 8vo. Vol. II. Ubi, ut opinor, deſunt *ſemiſſe aut triente*, pretio leviſſimo; & in Epit. Livii *menſtruum*, quibus integram legem habemus. Alibi autem nuſquam extat apud veteres, quod ſciam, tam diſerta Legis hujus recenſio, cùm cæteri omnes eam leviter tantùm attingant. Illa ſolum adjicere libet, quæ Cicero eleganter de ipſa efferebat in Or. pro Sextio c. 48. *Frumentariam legem C. Gracchus ferebat: jucunda res plebi Romanæ; victus enim ſuppeditabatur largè ſine labore. Repugnabant boni, quòd & ab induſtria plebem ad deſidiam avocari putabant, & ærarium exhauriri videbatur.* Hæc autem contigerunt circa an. U. C. 631. Confer Vell. Paterc. ii. 6. *Chapman.*

(c) *modica M. Octavii*] Is erat, ni fallor, M. Octavius, Cn. filius, *qui tantum auctoritate dicendoque valuit, ut legem Sempronianam* (Gracchi) *frumentariam populi frequentis ſuffragiis abrogaverit.* Verba ſunt Ciceronis in Bruto c. 62. *Chapman.*

teneat, neque de bonis privatorum publicè diminutio fiat: pernicioſe enim Philippus, in tribunatu cùm legem agrariam ferret, quam tamen [d] antiquari facilè paſſus eſt, & in eo vehementer ſe moderatum præbuit; ſed, cùm in agendo multa populariter, tum illud malè, [e] *Non eſſe in civitate duo millia hominum, qui rem haberent.* [f] Capitalis oratio, & ad æquationem bonorum pertinens; qua peſte quæ poteſt eſſe major? Hanc enim ob cauſſam maximè, [g] ut ſua tenerentur,

(d) *antiquari*] Antiquatur lex, cùm a populo rejiciatur, ne feratur. *Manutius.*

(e) *Non eſſe in civitate* &c.] Fr. Sayus legendum conjecit, *non eſſe debere in civitate* &c: Mihi verò magis placet, *non eſſe in civitate duo millia hominum, qui rem* habere deberent. Utramvis viam inſiſtas, Lector, facilè hinc videbis, quomodo *oratio* iſta fuiſſe dicatur *capitalis*, & *ad æquationem bonorum pertinens*; quod in vulgata lectione non liquet.

(f) *Capitalis oratio*, &c.] De ſenſu vocis *capitalis* conſule Notam ad i. 13. Ex iis, quæ iſte L. Marcius Philippus dixerit, quomodo hoc Cicero colligit? Audi Petr. Marſum: "*Ad æquationem bonorum*, ut omnes tantum haberent in bonis: quoniam nolebat Philippus aliquem poſſe ſupra quingenta jugera poſſidere; ut ea, quæ ſupereſſent ex tanta agrorum copia, plebi dividerentur; ut tandem non eſſet fere aliquod diſcrimen inter principes & plebeios: quo nihil poteſt eſſe perniciofius; cùm non liceat unicuique, quod ſuum eſt, poſſidere, & deſides aliorum bona invadant. Quid ibi (inquit Maturantius) voluit Philippus, cùm dixit *non eſſe in civitate* &c. niſi, ut divitibus bona auferrentur, & viritim dividerentur?"

(g) *ut ſua tenerentur*] Grævius ex duobus MSis edidit *tenerent*: at hæc lectio facit, ut Cicero videatur dicere reſpublicas civitateſque ideo conſtitutas fuiſſe, ut eæ ſua tenerent. Ut igitur hoc, quod non voluit ille, eum velle non intelligatur, reſcripſi cum omnibus ante Grævium editionibus, cum quinque MSis meis aliiſque multis, *ut ſua tenerentur*, i. e. ut quæ propria cujuſque

tenerentur, reſpublicæ civitateſque conſtitutæ ſunt; nam, etſi duce natura congregabantur homines, tamen, ſpe cuſtodiæ rerum ſuarum, urbium præſidia quærebant. Danda etiam opera eſt, ne, quod apud majores noſtros ſæpe fiebat, propter ærarii tenuitatem aſſiduitatemque bellorum, tributum ſit conferendum: idque ne eveniat, multo antè erit providendum. Sin quæ neceſſitas hujus muneris alicui reipublicæ obvenerit ([h] malo enim alteri, quàm noſtræ ominari; [i] neque tantùm de noſtra, ſed de omni republica diſputo), danda erit opera, ut omnes intelligant, ſi ſalvi eſſe velint, neceſſitati eſſe parendum. Atque etiam omnes, qui rempublicam gubernabunt, conſulere debebunt, ut earum rerum

juſque eſſent, ab ipſo teneri poſſent: ſequitur enim mox, *congregabantur homines ſpe cuſtodiæ rerum ſuarum*.

(h) *malo enim* alteri *quàm noſtræ*] Vulgò, *malo enim quam noſtræ*, quam lectionem Grævius recipiendam eſſe cenſuit: nam ex præcedentibus (dixit) repetendum eſt *alicui reipublicæ*, nimirum *alii*. Hoc equidem cum injuria Ciceronianæ dictionis factum eſſe puto, Grævius etiam affirmavit ſuum MSum & Pal. pr. cum vulgatis ſtare; ſed inveni vocem *alteri* in edit. Mog. & Romanâ, & in MSis Mill. & Mead. ſec. Vox etiam aut *alteri* aut *alii* extat in novem MSis Óxon. in Cant. & Reg. tertio: Manutius item teſtatur *alteri* ineſſe in quatuor, quos excuſſit, MSis. Quòd ſi vox *alicui* in præcedentibus idem ſignificet quod *alii cui* (de quo vide Notam meam ad i. 11.) tum non neceſſe erit, ut inſeramus huic loco vocem vel *alteri* vel *alii*.

(i) *neque* tantùm *de noſtra*] Ita Victorius, & MSus Mill. cum ſex Manutii & tribus Oxon. Vulgò legimus *neque tamen de noſtra*; vox verò *tamen* ſuam & propriam vim hìc, opinor, habere non poteſt. Cl. *Chapmanno* videtur legendum eſſe *neque jam de noſtra*.

rerum copia ſit, quæ ſunt neceſſariæ; quarum qualis comparatio fieri ſoleat & debeat, non eſt neceſſe diſputare: eſt enim in promtu: tantùm locus attingendus fuit. Caput autem eſt in omni procuratione negotii & muneris publici, ut avaritiæ pellatur etiam minima ſuſpicio. *Utinam*, inquit C. [a] Pontius Samnis, *ad illa tempora me fortuna reſervaviſſet, & tum eſſem natus, ſi quando Romani dona accipere cœpiſſent! non eſſem paſſus diutiùs eos imperare.* Næ illi multa ſæcula exſpectanda fuerunt: modò enim hoc malum in hanc rempublicam invaſit: itaque facilè patior tum potiùs Pontium fuiſſe, ſiquidem in illo tantum fuit roboris. Nondum centum & decem anni ſunt, cùm [b] de pecuniis repetundis à L. Piſone lata eſt lex, nulla antea cùm fuiſſet:

(a) *Pontius*] Samnitium Imperator, qui Romanos ad furcas Caudinas ſub jugum miſit. Pronuntiavit autem hoc apophthegma, cum M. Curius ejus aurum contemſiſſet. *Eraſmus*.

(b) *de pecuniis repetundis à L. Piſone lata eſt lex*] Is fuit L. Calphurnius Piſo Frugi, celebris annalium conditor, majori tamen fide, quàm eloquentia: Idemque Conſul fuit circa an. U. C. 620. cum P. Mutio Scævola. Porrò, legis iſtius annum deſignat Noſter accuratiſſimè in Bruto c. 27. *L. Piſo, tribunus plebis, legem primus de pecuniis repetundis, Cenſorino & Manilio Conſulibus, tulit.* Cenſorinus autem & Manilius Conſules erant circa an. U. C. 605. (Vide Cenſorinum de die Nat. c. 17.) &, teſte Cicerone in Bruto c. 15, *annis* lxxxiii. (ita quidem in editis, ſed leg. lxxxvi) *ante ſe conſulem.* Quin & alibi, ne fortè hunc L. Piſonem alium utique, quàm *Frugi* putemus, quod fieri certè poſſet propter L. Piſonem Cæſonium, eorum ipſum temporum, & virum Conſularem. Noſter cognomine adjecto illum *Frugi* appellat in Orat.

 Verr.

fuiſſet: at verò poſtea tot leges, & proximæ quæque duriores; tot rei, tot damnati, tantum Italicum bellum [c] propter judiciorum metum excitatum; tanta, ſublatis legibus & judiciis, expilatio direptioque ſociorum, ut imbecillitate aliorum, non noſtra virtute valeamus.

XXII. Laudat Africanum Panætius, quòd fuerit abſtinens. Quidni laudet? ſed in illo alia majora: laus enim abſtinentiæ non hominis eſt ſolùm, ſed etiam temporum illorum. Omni Macedonum gaza, quæ fuit maxima, potitus eſt Paulus: tantum in ærarium pecuniæ invexit, ut unius imperatoris præda finem attulerit tributorum: at hic [d] nihil domum ſuam præter memoriam nominis ſempiternam detulit. Imitatus patrem Africanus, nihilo locupletior Carthagine everſa. Quid? qui ejus collega in cenſura fuit, L. Mummius, numquid copioſior, cùm copioſiſſimam urbem funditus ſuſtuliſſet? Italiam ornare, quàm domum ſuam,

Verr. iii. 84. *L. Piſo ille Frugi, qui legem de pecuniis repetundis primus tulit. Chapman.*

(c) *propter judiciorum metum*] Ex multis cauſſis unam affert, tamquam ſolam aut præcipuam Cicero. Nam in legibus Liviis fuerat, ut cauſam dicere cogerentur, qui ſuſpecti eſſent corruptelæ munerum. Cùm autem Senatus illis legibus reſiſteret, Italicum ſeu Sociale bellum motum eſt. *J. Fr. Gronovius.*

(d) *nihil domum ſuam—detulit*] Ita vetuſtiores MSi; alii verò numero plures habent *in domum ſuam intulit.* Cùm dicat Cicero *nihil domum ſuam detulit*, hoc ſignificat, ex Macedonia nihil ad domum ſuam detulit; poſita voce *domum* pro *ad domum* poſt verbum quod motum exprimit.

ſuam, maluit: quamquam, Italiâ ornatâ, domus ipſa mihi videtur ornatior. Nullum igitur vitium tetrius eſt (ut eo, unde digreſſa eſt, referat ſe oratio), quàm avaritia; præſertim in principibus rempublicam gubernantibus: habere enim quæſtui rempublicam non modò turpe eſt, ſed ſceleratum etiam & nefarium. Itaque quod Apollo Pythius oraculum edidit, *Spartam nulla re alia, niſi avaritia, eſſe perituram*, id videtur non ſolùm Lacedæmoniis, ſed & omnibus opulentis populis prædixiſſe. Nulla autem re conciliare faciliùs benevolentiam multitudinis poſſunt ii, qui reipublicæ præſunt, quàm [e] abſtinentiâ & continentiâ.

Qui verò ſe populares volunt, ob eamque cauſſam [f] aut agrariam rem tentant, ut poſſeſſores ſuis ſedibus pellantur; aut pecunias creditas debitoribus condonandas putant; ii labefactant fundamenta reipublicæ: concordiam primùm, quæ eſſe non poteſt, cùm aliis adimuntur, aliis condonantur

(e) *abſtinentiâ & continentiâ*] *Abſtinentia* eſt à rebus alienis, *continentia* à ſuis: ubi enim licet uti rebus ſuis, ſed tamen moderatè uteris, *continens* es: *abſtinens* verò, ſi non attigeris res alienas, etſi id fieri per te poſſit impune. *Maturantius.*

(f) *aut agrariam rem tentant*] Duo popularium hominum genera notat; eos, qui legem agrariam tulerunt, eoſque, qui pro tabulis novîs ſtabant, de quibus ultimis vide Notam ad finem cap. ſequentis. Legum agrariarum hoc erat propoſitum, ut agri, quos nobiles occupârant & poſſederant, iterum publici eſſent, & plebi viritim dividerentur.

nantur pecuniæ: deinde æquitatem, quæ tollitur omnis, ſi habere ſuum cuique non licet: id enim eſt proprium (ut ſupra dixi) civitatis atque urbis, ut ſit libera, & non ſollicita [g] ſuæ rei cujuſque cuſtodia. Atque in hac pernicie reipublicæ ne illam quidem conſequuntur, quam putant, gratiam: nam, cui res erepta eſt, eſt inimicus; cui data, etiam diſſimulat ſe accipere voluiſſe, & maximè [h] in iis pecuniis creditis occultat ſuum gaudium, ne videatur non fuiſſe ſolvendo. At verò ille, qui accipit injuriam, & meminit, & præ ſe fert dolorem ſuum. Nec, ſi plures ſunt ii, quibus improbè datum eſt, quàm illi, quibus injuſtè ademtum eſt, idcirco plus etiam valent: non enim numero hæc judicantur, ſed pondere. Quam autem habet æquitatem, ut agrum multis annis aut etiam ſæculis antè poſſeſſum, qui nullum habuit, habeat; qui autem habuit, amittat?

XXIII. Ac propter hoc injuriæ genus [i] Lacedæmonii Lyſandrum Ephorum expulerunt: Agin

(g) *ſuæ rei* cujuſque *cuſtodia*] Duo MSi Manutii, totidemque Oxon. habent *ſuæ rei* cuique *cuſtodia*, quam lectionem admittendam eſſe cenſuit J. Fr. Gronovius. Uſitatiùs, fateor, eſt Ciceroni dicere *cuique*: ſed ad eundem modum, quo hìc, dicit ille in iii. 12. *ut nihil ſuum cujuſque ſit*: & in i. 31. *quod eſt cujuſque ſuum maximè*.

(h) *in* iis *pecuniis creditis*] Vulgò *in pecuniis creditis*. Sed ſequor lectionem, quam (ut dicit Grævius) protulit ex antiquioribus & emendatioribus libris, *In iis pecuniis creditis*, ſc. quæ novis tabulis condonantur: de his antea Cicero dixerat, & de his ſolis verum eſt id, quod hîc dicit.

(i) *Lacedæmonii Lyſandrum Ephorum expulerunt*] Malè interpretes

Agin regem, quod numquam antea apud eos acciderat, necaverunt; ex eoque tempore tantæ diſcordiæ ſecutæ ſunt, ut & tyranni exſiſterent, & optimates exterminarentur, & præclariſſimè conſtituta reſpublica dilaberetur: nec verò ſolùm ipſa cecidit, ſed etiam reliquam Græciam evertit contagionibus malorum, quæ (a) à Lacedæmoniis profecta manarunt latiùs. Quid? noſtros Gracchos, Tib. Gracchi ſummi viri filios, Africani nepotes, nonne agrariæ contentiones perdiderunt? At verò Aratus Sicyonius jure laudatur, qui, cùm ejus civitas quin-

quaginta

terpretes ante Grævium hæc de illo Lyſandro intelligebant, qui cum Agide rege Lacedæmonio Cononem Athenienſium ducem profligavit; deinde fractis Athenienſium rebus triginta iis Tyrannos impoſuit Olym. xciii. 4. xciv. 1. Verùm rectè Grævius monuit paucis, accipienda hæc eſſe de Lyſandro altero, cujus artes & res geſtas expoſuit Plutarchus in Agide & Cleomene. Hic nempe Lyſander Ephorus centum prope annos & ſexaginta poſt ſuperioris victoriam circa Olym. cxxxiv. i. impulſu atque auſpiciis alterius itidem Agidis, regis optimi apud Laconas, neque malo id in Spartam animo aut conſilio tabulas novas ac leges agrarias ſancire voluit. Unde ortis continuò diſſidiis atque turbis graviſſimis, ea demum acciderunt, quæ hîc refert Cicero. Pauſanias autem Agidem non à ſuis, ut Noſtri aliique tradiderunt; ſed in pugna adverſus Mantinenſes, cùm dux eſſet Lacedæmoniorum, ab hoſtibus interfectum fuiſſe tradit in Arcad. c. 10. Neque id ex levi aliquo rumore vel ſubleſta Hiſtorici fide, ſed ex monumento triumphali vetuſtiſſimo apud Mantinenſes, quod ipſe perluſtraverat: ubi (inquit) prælii utrinque forma atque exitus deſcribitur, *ὁ τρόπος κὰ γέλαι τῆς μάχης* &c. *Chapman.*

(a) *à Lacedæmoniis profecta*] In Vulgatis edit. eſt *profectæ*: ſed Lambinum ſequor, qui dicit ſe inveniſſe *profecta* in duobus MSis ſuis. *Mala* (ut opinor) elegantiùs & veriùs dicuntur profecta eſſe à Lacedæmoniis & latiùs manare, quàm *contagiones*,

quinquaginta annos à tyrannis teneretur, profectus Argis Sicyonem clandeſtino introitu urbe eſt potitus: cúmque tyrannum Nicoclem improviſò oppreſſiſſet; ſexcentos exſules, qui fuerant ejus civitatis locupletiſſimi, reſtituit, remque publicam adventu ſuo liberavit. Sed cùm magnam animadverteret in bonis & poſſeſſionibus difficultatem, quòd & eos, quos ipſe reſtituerat, [b] quorum bona alii poſſederant, egere iniquiſſimum eſſe arbitrabatur; & quinquaginta annorum poſſeſſiones movere non nimis æquum putabat, propterea quòd tam longo ſpatio multa hereditatibus, multa emtionibus, multa dotibus tenebantur ſine injuria; judicavit, neque illis adimi, [c] neque his non ſatisfieri, quorum illa fuerant, oportere. Cùm igitur ſtatuiſſet, opus eſſe ad eam rem conſtituendam pecunia, Alexandriam ſe proficiſci velle dixit, remque integram ad reditum ſuum juſſit eſſe: iſque celeriter ad Ptolemæum ſuum hoſpitem venit, qui tum regnabat alter poſt Alexandriam conditam: cui cùm expoſuiſſet, [d] patriam ſe liberare velle, cauſſamque docuiſſet, à rege opulento vir ſummus

(b) *quorum bona alii poſſederant*] Rectiùs, opinor, *poſſidebant*; ut paullo infra *multa dotibus tenebantur*, & mox in hoc ipſo capite, *& eorum, qui aliena tenebant, & eorum qui ſua amiſerant.*

(c) *neque his non ſatisfieri*] ſc. iis, qui illas poſſeſſiones hereditatibus vel emtionibus vel dotibus tenebant ſine injuria.

(d) *patriam ſe liberare velle, cauſſamque docuiſſet*] *Liberare*, non à tyrannis; nam eos antea expulerat: ſed eam ita

familiaris facilè impetravit, ut grandi pecunia adjuvaretur: quam cùm Sicyonem attuliſſet, adhibuit ſibi in conſilium quindecim principes, cùm quibus cauſſas cognovit, & eorum, qui aliena tenebant, & eorum, qui ſua amiſerant: perfecitque, æſtimandis poſſeſſionibus, ᵉ ut perſuaderent aliis, ut pecuniam accipere mallent, poſſeſſionibus cederent; aliis, ut commodius putarent numerari ſibi quod tanti eſſet, quàm ſuum recuperare: ita perfectum eſt, ut omnes concordia conſtituta ſine querela diſcederent. O virum magnum, dignumque qui in noſtra republica natus eſſet! Sic par eſt agere cum civibus; non, ut bis jam vidimus, haſtam in foro ponere & bona civium

ita liberare, ut omnis diffícultas in bonis & poſſeſſionibus tolleretur, &, dum ſua à ſingulis civibus tenerentur, concordia inter eos conſtitueretur. Huic loco lucem dabunt ea, quæ Cicero dixerat in priore capite. *Qui verò ſe populares volunt, ob eamque cauſſam aut agrariam rem tentant, ut poſſeſſores ſuis ſedibus pellantur; aut pecunias creditas debitoribus condonandas putant, ii labefactant fundamenta reipublicæ: —— id enim eſt proprium civitatis atque urbis, ut ſit* libera, *& non ſollicita ſuæ rei cujuſque cuſtodia.* Item quæ Noſter dicit in Ep. ad Q. Fratrem i. *nullum æs alienum contrahi civitatibus, vetere autem magno & gravi multas abs te eſſe liberatas urbes.* Cùm dicitur Aratus *cauſſam docuiſſet* Ptolemæo, intellige, cur vellet patriam ſuam liberare: Nam (ut antea dixerat Cicero) *eos, quas ipſe reſtituerat, quorum bona alii poſſederant, egere iniquiſſimum eſſe arbitrabatur; & quinquaginta annorum poſſeſſiones movere, non nimis æquum putabat, propterea quòd* &c.

(e) *ut perſuaderent*] Ita omnes MSi mei omneſque fere alii: ſc. ut illi quindecim principes perſuaderent. Vulgò *perſuaderet.* Opinor verò Ciceronem ſcripſiſſe *perſuaderetur,* imperſonaliter, id eſt, ut perſuaſum eſſet aliis &c.

um voci ſubjicere præconis. At ille Græcus (id quod fuit ſapientis & præſtantis viri) omnibus conſulendum putavit: eaque eſt ſumma ratio & ſapientia boni civis, commoda civium non divellere, atque omnes æquitate eadem continere. [f] Habitent gratis in alieno: quid ita? ut, cùm ego emerim, ædificârim, tuear, impendam, tu, me invito, fruare meo? quid eſt aliud, aliis ſua eripere, aliis dare aliena? [g] Tabulæ verò novæ quid habent argumenti, niſi ut emas mea pecunia fundum; eum tu habeas, ego non habeam pecuniam?

XXIV. Quamobrem ne ſit æs alienum, quod reipublicæ noceat, providendum eſt (quod multis rationibus caveri poteſt): [h] non, ſi fuerit, ut locupletes ſuum perdant, debitores lucrentur alienum: nec enim ulla res vehe-

(f) *Habitent gratis in alieno*] Sic lego cum MSis Cant. Reg. quarto, Mead. duobus, tribus Oxon. & cum MSis Turnebi & Palatinis. Vulgò, *Habitant*. Ac concinniùs videtur, *Habitent*: quaſi pleniore modo ſententia ſic eſſet ſupplenda; Tu jubes, tu concedis, ſive tu æquum putas, ut *habitent gratis in alieno*. Doctus verò vir quidam mavult *hàbitas*, quia mox dicitur, *tu, me invito, fruare meo?*

(g) *Tabulæ verò novæ*] i. e, quibus propoſitum fuit pecunias creditas debitoribus condonare: Hâc enim lege latâ fieri potuit, ut qui ante legem pecuniam ad fundum aliquem emendum mutuatus eſſet, poſt legem & fundum emptum & pecuniam etiam creditam, quâ emptus eſſet, ſibi retineret; creditor verò nec fundum nec pecuniam ſuam recuperaret. *Novæ* hæ tabulæ appellantur, quia abolitis veteribus aliæ tabulæ eſſent faciendæ.

(h) *non, ſi fuerit*] i. e. Non curandum ſive permittendum eſt, *ſi fuerit* æs alienum quod reipublicæ noceat, *ut locupletes ſuum perdant*.

vehementiùs rempublicam continet quàm fides; quæ eſſe nulla poteſt, niſi erit neceſſaria ſolutio rerum creditarum. Numquam vehementiùs actum eſt, quàm me conſule, ne ſolveretur: armis & caſtris tentata res eſt [i] ab omni genere hominum & ordine; quibus ſic reſtiti, ut [a] hoc totum malum de republica tolleretur: numquam nec majus æs alienum fuit, nec meliùs nec faciliùs diſſolutum eſt; fraudandi enim ſpe ſublata ſolvendi neceſſitas conſecuta eſt. [b] At verò hic Noſter victor, tum quidem victus, quæ cogitârat, ea perfecit, cùm ejus jam nihil

(i) *ab omni* &c.] Sc. à nonnullis cujuſcunque generis & ordinis.

(a) *hoc* totum *malum*] Vulgo *tantum*: ſed potior videtur lectio *totum*, quæ eſt in MSis Mead. pr. Cant. & Reg. tertio, in quatuor Oxon. & Palat. ſecundo: Eſt etiam in Victorii editione. Quo plus in ſe continet *totum* quàm *tantum*, eò ſe mihi magis commendat.

(b) *At verò hic Noſter victor*] Multi MSi & editiones habent *At verò hic* nunc *victor*: Sed Cicero, ut opinor ſcripſit, *hic Noſter*, quo nomine Cæſarem antè deſignârat in cap. 7. Sequor igitur MSos Mead. ſec. Mill. tres Regios, editiones Mogunt. & Victorii, in quibus extat *Noſter*; quod & Lambinus teſtatur ſe in vet. cod. inveniſſe: *Noſter victor* eo ſenſu dicitur, quo in c. 7. civitas Romana dicitur Cæſari *parère cum maximè mortuo*. C. Cæſar (inquit Langius) paucos dies antè, quàm iniret ædilitatem, in ſuſpicionem venit conjurationis cum P. Syllâ, M. Craſſo, L. Autronio: *& tunc erat victus*, nempe detecta Catilinæ conjuratione aliorumque, & auctoribus partim cæſis, partim ſpe ſuâ fruſtratis. Cùm dicit Cicero, *ea perfecit cùm ejus nihil intereſſet*, reſpicit, (ſecundùm J. Fr. Gronovium) ad ea tempora, quibus Cæſar, ſpoliatâ Galliâ, ære alieno, quo laboraverat maximè, liberatus erat; quibuſque illo omnium imperium tenente, *per æſtimationem poſſeſſionum quartâ parte fere crediti* creditores fraudabantur. Vide Suetonium de vitâ Julii c. 42.

nihil intereſſet: tanta in eo peccandi libido fuit, ut hoc ipſum eum delectaret, peccare, etiam ſi cauſſa non eſſet. Ab hoc igitur genere largitionis, ut aliis detur, aliis auferatur, aberunt ii, qui rempublicam tuebuntur: in primiſque operam dabunt, ut juris & judiciorum æquitate ſuum quiſque teneat; & neque tenuiores propter humilitatem circumveniantur, neque locupletibus ad ſua vel tenenda vel recuperanda obſit invidia: præterea quibuſcumque rebus vel belli vel domi poterunt, rempublicam augeant imperio, agris, vectigalibus. Hæc magnorum hominum ſunt: hæc apud majores noſtros factitata: hæc genera officiorum qui perſequuntur, cum ſumma utilitate reipublicæ magnam ipſi adipiſcentur & gratiam & gloriam.

In his autem utilitatum præceptis Antipater Tyrius Stoicus, qui Athenis nuper eſt mortuus, duo præterita cenſet eſſe à Panætio, valetudinis curationem, & pecuniæ: quas res à ſummo philoſopho præteritas arbitror, quòd eſſent faciles; ſunt certè utiles. Sed valetudo ſuſtentatur notitiâ ſui corporis; & [c] obſervatione, quæ res aut prodeſſe ſoleant aut obeſſe; & continentiâ in victu omni atque cultu, corporis

(c) *obſervatione quæ res aut prodeſſe ſoleant*] MSi nonnulli & edit. habeant *obſervatione earum rerum, quæ* &c. Sed nihil mutandum eſt; nam (ut ait Langius) familiare eſt Ciceroni nominibus conſtructionem Verbi ſui dare. Sic ſuprà c. 6. dicitur, *ſpe ſibi id utile futurum.*

ris tuendi cauſſâ; (e) & prætermittendis voluptatibus; poſtremò arte eorum, quorum ad ſcientiam hæc pertinent. Res autem familiaris quæri debet iis rebus, à quibus abeſt turpitudo; conſervari autem diligentia & parſimonia; iiſdem etiam rebus augeri. Has res commodiſſimè Xenophon Socraticus perſecutus eſt in eo libro, qui *Oeconomicus* inſcribitur; quem nos, iſta fere ætate cùm eſſemus, qua tu es nunc, è Græco in Latinum convertimus.

(f) Sed utilitatum comparatio, quoniam hic locus erat quartus, à Panætio prætermiſſus, ſæpe eſt neceſſaria: nam & corporis commoda cum externis, & externa cum corporis, & ipſa inter ſe corporis, & externa cum externis comparari ſolent. Cum externis corporis, hoc modo comparantur: (g) valere ut malis, quàm XXV.

dives

(e) *& prætermittendis voluptatibus*] Aut hîc intelligendæ ſunt nimiæ & vitioſæ voluptates, quo in ſenſu vox ſæpius accipitur: aut (ſi de omnibus voluptatibus verba intelligas, ut videntur ſignificare), ſupplenda ſunt verba *continentiâ in* ante verba *prætermittendis voluptatibus*.

(f) *Sed utilitatum comparatio*] Tandem Cicero breviter agit de comparatione duarum aut plurium Utilitatum: in quâ quæritur, ex duobus Utilibus utrum ſit utilius; ut in fine libri primi quæſierat, duobus propoſitis Honeſtis, utrum eſſet honeſtius.

(g) *valere ut malis, quàm dives eſſe*] Attende (inquit Eraſmus) compoſitionem, *valere ut malis*, quaſi carmen ſit, non proſa oratio. Fortaſſe hic ordo verborum ſequendus eſt, *ut valere malis, quam dives eſſe*: At in MSo Mead. ſec. & in quodam vet. codice C. Stephani legitur, *valere utrum malis quàm dives eſſe*; quæ lectio ſatis ſe commendat, & cum ſequentibus bene convenit.

dives eſſe. Cum corporis externa, hoc modo: [h] dives eſſe potiùs, quàm maximis corporis viribus. Ipſa inter ſe corporis ſic: ut bona valetudo voluptati anteponatur, vires celeritati. Externorum autem; [i] ut gloria divitiis, vectigalia urbana ruſticis. Ex quo genere comparationis illud eſt Catonis ſenis; à quo cùm quæreretur, quid maximè in re familiari expediret, reſpondit, *bene paſcere*. Quid ſecundum? *ſatis bene paſcere*. [a] Quid tertium? *malè paſcere*. Quid quartum?

(h) *dives eſſe potiùs, quàm maximis* &c.] Fortaſſe legendum eſt, *dives eſſe potiùs ſit, quàm maximis* &c. vel ſic, *dives* velis *eſſe potiùs, quàm maximis* &c. Subintellige *ut* (vel *utrum*) ex præcedentibus.

(i) *ut gloria divitiis*] ſc. *anteponatur*, quo verbo ſuprà uſus eſt Cicero.

(a) *Quid tertium? male paſcere*] Omnes fere veteres codices, tam ſcripti quàm impreſſi, habent aut *bene veſtire*, aut *benè vitire*: quorum alterum Langius ſic explicat, bonas vineas habere; alterum dictum putat de omnibus fructiferis & arbuſtivis. Monet tamen Gruterus Columellam in l. 6. de re ruſticâ longè aliter locum hunc videri legiſſe: Dicit enim Columella, *De tam ſapiente viro* (Catone) *piget dicere, quòd eum quidam auctores commemorant, cuidem quærenti, quidnam tertium in agricolatione quæſtuoſum eſſet, aſſeveràſſe, ſi quis vel malè paſceret*. Teſtatur etiam Gruterus ſe inveniſſe ſcriptum in MSo Pal. primo, *Quid tertium? malè paſcere*. Hanc lectionem igitur receperunt ſequentes editores. At vix mihi perſuadere (fateor) poſſum, Catonem ſapientem, cùm ab eo quæreretur, quid eſſet, quod *in re familiari expediret*, vel (ſecundùm Columellam) quod *quæſtuoſum eſſet*, reſpondiſſe, *malè paſcere*: Hoc enim, ita non expedit, ita non quæſtui eſt, ut etiam rei familiari videatur obeſſe. Quapropter potiùs ſcripſiſſe Ciceronem cenſeo, *Quid tertium? non malè paſcere*: quam lectionem ſi ſequamur, nihil abſurdi ſapiens ille vir Cato quærenti protuliſſe videbitur. Primum eſt ſi quis *benè* paſcat; ſecundum, ſi quis *ſatis benè*; tertium verò, ſi quis *non malè*: quod poſtremum, licet minoris ſit fructûs

quartum? *arare*. Et cùm ille, qui quæſierat, dixiſſet, quid fœnerari? Tum Cato, *quid hominem*, inquit, *occidere?* Ex quo & multis aliis intelligi debet, utilitatum comparationes fieri ſolere, rectéque hoc adjunctum eſſe quartum exquirendorum officiorum genus. Sed toto hoc de genere, de quærenda, de collocanda pecunia, [b] etiam de utenda, commodiùs à quibuſdam [c] optimis viris ad medium Janum ſedentibus, quàm

fructûs quàm vel *benè*, vel *ſatis bene paſcere*, multùm tamen abeſt ab eo quod dicitur *malè paſcere*. Similiter (inverſo tamen ordine) Craſſus de ſe dicit in iii. 22. de Orat. *Si me vultis eſſe oratorem, ſi etiam ſat bonum, ſi bonum denique, non repugnabo:* ubi *oratorem* idem valere videtur quod *non malum oratorem*. Apud Noſtrum ſæpius *non mali homines* ii eſſe dicuntur, qui in una aut alterâ re non ſunt inutiles humano generi. Sic & *non ſtulti* in Oratore c. 7. *ut eâ qui utantur, non ſtulti homines haberi poſſint, etiam plerumque prudentes*. Video etiam in Plauti Moſtell. Act. III. ſc. ii. 29. eum dicere ſe *non malè valere*, qui videtur velle ſignificare ſe nec *bonâ*, nec *ſatis bonâ*, valetudine uſum fuiſſe. Adde, quòd ex Catonis libris de re Ruſt. cxxxvii. Gronovius citat hæc verba, *In loco bono parte octavâ corbi dividat, in* ſatis bono *ſeptimâ, in tertio loco ſextâ.* Ubi forte ille *tertius locus*, qui nec *bonus*, nec *ſatis bonus* erat, *non malus* à Catone credebatur; qui loco *malo* planè nullam omnino partem (ut veriſimile eſt) aſſignaturus eſſet.

(b) *etiam de utenda*] Recentiores fere editiones habent *vellem etiam de utendâ*. Sed omnes MSi Oxon. MSi Regii tres, Mead. duo, Cant. & Mill. cæterique omnes (uno Langii excepto) eam vocem *vellem* omittunt. Et hac omiſſa ſatis ſe ſenſus tuetur: hoc enim vult Cicero, Fœneratores illi commodè diſputant ſive docent, quomodo uti poſſimus noſtrâ pecuniâ, in re familiari prudenter adminiſtranda, & in iis rebus, quibus egemus ad uſum cultumque vitæ, quàm minimo precio comparandis.

(c) *optimis viris ad medium Janum ſedentibus*] Hæc Langius putat ironicè dicta eſſe

quàm ab ullis philoſophis ulla in ſchola, diſputatur. Sunt tamen ea cognoſcenda: pertinent enim ad utilitatem, de qua hoc libro diſputatum eſt. Reliqua deinceps perſequemur.

eſſe de fœneratoribus? Ego longè aliter: nam, quamvis Catonis temporibus fœneratores malè audirent, ſeu potiùs à Catone ad res ruſticas magis attento infamiâ notarentur, tamen Ciceronis temporibus, cùm divitiæ Romanorum civium increviſſent, multæque provinciæ imperio additæ eſſent, fœneratores non modò non infames, ſed neceſſarii fuerunt, ut tantis pecuniis hoc negotiationis genus ſuam utilitatem daret. Sæpe (inquit Grævius) hujuſmodi fœneratores Cicero vocat *bonos viros.* Vide quæ dixi in Notâ ad i. 42.

M. TUL-

M. TULLII CICERONIS

DE

OFFICIIS

AD

MARCUM FILIUM

LIBER TERTIUS.

PUBLIUM Scipionem, Marce fili, I.
eum, qui primus Africanus appellatus ſit, dicere ſolitum ſcripſit Cato, qui fuit fere ejus æqualis, *Numquam ſe minùs otioſum eſſe, quàm cùm otioſus; nec minùs ſolum, quàm cùm ſolus eſſet.* [a] Magnifica verò vox, & magno viro ac ſapiente digna; quæ declarat, illum & in otio de negotiis cogitare, & in ſolitudine ſecum loqui ſolitum; ut neque ceſſaret umquam, & interdum colloquio alterius non egeret. Itaque duæ res, quæ languorem afferunt cæteris, illum acuebant, otium & ſolitudo. Vellem, nobis hoc idem verè dicere liceret. Sed ſi minùs imitatione tantam ingenii præſtantiam conſequi poſſumus, voluntate

(a) *Magnifica* verò *vox*] Hîc *verò* eſt Adverbium, & ſignificat *ex vero* ſive *verè*. Rarus eſt hic uſus vocis; ſed ita Noſter in i. 24. de Leg. Verò *facis*, & *meritò*.

voluntate certè proximè accedimus: nam & à republica forenſibuſque negotiis armis impiis vique prohibiti, otium perſequimur: & ob eam cauſſam, urbe relicta, [b] rura peragrantes ſæpe ſoli ſumus. Sed nec otium hoc cum Africani otio, nec hæc ſolitudo cum illa comparanda eſt: ille enim requieſcens à reipublicæ pulcherrimis muneribus otium ſibi ſumebat aliquando, & à cœtu hominum frequentiaque interdum tamquam in portum, ſe in ſolitudinem recipiebat: noſtrum autem otium negotii inopia, non requieſcendi ſtudio, conſtitutum eſt: exſtincto enim ſenatu deletiſque judiciis, quid eſt, quod dignum nobis aut in curia aut in foro agere poſſimus? Ita, qui in maxima celebritate atque in oculis civium quondam viximus, nunc fugientes conſpectum ſceleratorum, quibus omnia redundant, abdimus nos, quantum licet, & ſæpe ſoli ſumus. Sed quia ſic ab hominibus doctis accepimus, non ſolum ex malis eligere minima oportere; ſed etiam excerpere ex his ipſis, ſi quid ineſſet boni: propterea & otio fruor, non illo quidem, quo debeat is, qui quondam peperiſſet otium civitati; nec eam ſolitudinem languere patior, quam mihi adfert neceſſitas, non voluntas.

(b) *rura peragrantes*] Vetus auctor de limitibus apud Rigaltium dicit, *rura veteres dicebant incultos agros, id eſt, ſylvas & paſcua.* Cicero vult ſe modò in una villa ſua, modò in altera ſolum fuiſſe.

voluntas. Quamquam Africanus majorem laudem [c] meo judicio aſſequebatur; nulla enim ejus ingenii monumenta mandata literis, nullum opus otii, nullum ſolitudinis munus exſtat; ex quo intelligi debet, illum mentis agitatione inveſtigationeque earum rerum, quas cogitando conſequebatur, nec otioſum nec ſolum umquam fuiſſe: nos autem, qui non tantum roboris habemus, ut cogitatione tacita à ſolitudine abſtrahamur, ad hanc ſcribendi operam omne ſtudium curamque convertimus: itaque plura brevi tempore everſa, quàm multis annis ſtante republica ſcripſimus.

Sed cùm tota philoſophia, mi Cicero, frugifera & fructuoſa, nec ulla pars ejus inculta ac deſerta ſit; tum nullus feracior in ea locus eſt nec uberior, [d] quàm de officiis, II.

(c) *meo judicio*] Si cum vulgatis legamus *vel meo judicio*, ſenſus erit; ita judico, quamvis contra me judico, cùm Africani in hâc re laudem majorem mea eſſe ſtatuo; quia ille nihil in ſolitudine ſuâ ſcripſit, ſed cogitando ſolùm mentem exercuit. Vocem tamen *vel* delevi cum Victorio multiſque MSis, inter quos ſunt quinque mei.

(d) *quàm de officiis*] Ad hunc locum ſpectans Lactantius in Div. Inſt. vi. 2. ait, "Apud Ciceronem Catulus "in *Hortenſio* philoſophiam "rebus omnibus præferens, "malle ſe dicit vel unum par- "vum de Officiis libellum, "quàm longam orationem "pro ſeditioſo homine Cor- "nelio: Quæ ſententia non "utique Catuli, qui fortaſſe "illud non dixit, ſed Cice- "ronis eſt putanda, qui ſcrip- "ſit. Credo, ut libellos, "quos de Officiis erat ſcrip- "turus, commendaret: in "quibus ipſis nihil eſſe te- "ſtatur in omni philoſophia "melius & fructuoſius, quàm "præcepta vitæ dare."

ficiis, à quibus conſtanter honeſtéque vivendi præcepta ducuntur. Quare, quamquam à [e] Cratippo noſtro, principe hujus memoriæ philoſophorum, hæc te aſſiduè audire atque accipere confido; tamen conducere arbitror, talibus [f] aures tuas vocibus undique circumſonare, nec eas, ſi fieri poſſit, quidquam aliud audire. Quod, cùm omnibus eſt faciendum, qui vitam honeſtam ingredi cogitant, tum haud ſcio an nemini potiùs, quàm tibi; ſuſtines enim non parvam exſpectationem imitandæ induſtriæ noſtræ, magnam honorum, nonnullam fortaſſe nominis. [g] Suſcepiſti onus præterea grave & Athenarum & Cratippi; [h] ad quos cùm

(e) *Cratippo noſtro*] Non dicitur *noſtro*, quaſi Cicero eſſet Peripateticus, qualis Cratippus: Sed hoc eum ſenſum habet quem pleniùs ſignificat Cicero in i. 3. de Divin. *Cratippus quoque familiaris noſter*. Eodem ſenſu dicit, *Cratippus noſter*. ib. in ii. 49. & 53.

(f) *aures tuas vocibus undique circumſonare*] *Circumſonare* eſt *undique ſonare*: abundat igitur vox *undique*. Sed magis notandum videtur uſitatiùs dici, *voces circumſonant aures tuas*, quàm (ut hìc) *tuæ aures vocibus circumſonant*. At vix aliter Livius in xxxix. 10. ubi dicitur *locus circumſonare ululatibus cantuque Symphoniæ*.

(g) *ſuſcepiſti onus*] *Onus* vocat illam exſpectationem, quam de ſe concitârat propter profectionem Athenienſem, & Magiſtrum præſtantiſſimum, cui dederat operam. *Grævius*.

(h) *ad quos cùm tamquam*] MSus Pal. pr. habet *ad quæ*; malè: nam verba *ad quos* reſpiciunt ad *Athenas* & *Cratippum*: Cratippus maſculini eſt generis; relativum igitur *quos*, quamvis tam ad Urbem quàm ad Philoſophum ſpectat, tamen ejuſdem eſt generis, utpote potioris & dignioris. Sic in cap. 1. libri pr. *propter ſummam & doctoris auctoritatem & urbis*, quorum *alter* &c. Ubi dicitur *quorum*, quamvis vox *urbis* proximè præceſſerat, quia vox *doctoris* generis eſt maſculini.

cùm tamquam ad mercaturam bonarum artium ſis profectus, inanem redire turpiſſimum eſt, dedecorantem & urbis auctoritatem & magiſtri. Quare quantum conniti animo potes, quantum labore contendere (ſi diſcendi labor eſt potiùs, quàm voluptas), tantum fac ut efficias; neve committas, ut, cùm omnia ſuppeditata ſint à nobis, tute tibi defuiſſe videare. Sed hæc hactenus; multa enim ſæpe ad te cohortandi gratia ſcripſimus: nunc ad reliquam partem propoſitæ diviſionis revertamur.

Panætius igitur, qui ſine controverſia de officiis accuratiſſimè diſputavit, quemque nos, correctione quadam adhibita, [i] potiſſimùm ſecuti ſumus, tribus generibus propoſitis, in quibus deliberare homines & conſultare de officio ſolerent; uno, cùm dubitarent, honeſtumne id eſſet, de quo ageretur, an turpe; altero, utilene eſſet, an inutile; tertio, ſi id, quod ſpeciem haberet

(i) *potiſſimùm ſecuti ſumus*] Cicero in Ep. ad Att. xvi. 11. Τὰ περὶ τȣ̃ καθήκοντ☉, *quatenus Panætius, abſolvi duobus: illius tres ſunt. Sed, cùm initio diviſiſſet ita, tria genera exquirendi officii eſſe; unum, cum deliberemus, honeſtum an turpe ſit; alterum, utile an inutile; tertium, cùm hæc inter ſe pugnare videantur, quomodo judicandum ſit: qualis cauſſa Reguli, redire, honeſtum; manere, utile. De duobus primis præclarè diſſeruit, de tertio pollicetur ſe deinceps, ſed nihil ſcripſit. Eum locum Poſidonius perſecutus.* Hæc qui cum iis, quæ hîc ſequuntur, conferunt, facilè videbunt non ſolùm quàm huic loco illuſtrando inſerviant, ſed etiam quanto contractiùs omnia apud bonos ſcriptores dicantur in epiſtolico ſcribendi genere, quàm in oratione perpetua.

ſet honeſti, pugnaret cum eo, quod utile videretur, quomodo ea diſcerni oporteret: de duobus generibus primis, tribus libris explicavit; de tertio autem genere deinceps ſe ſcripſit dicturum, nec exſolvit quod promiſerat: (quod eo magis miror, quia ſcriptum à diſcipulo ejus Poſidonio eſt, triginta [a] annis vixiſſe Panætium, poſteaquam eos libros edidiſſet): quem locum miror à Poſidonio breviter eſſe tactum in quibuſdam commentariis; præſertim cùm ſcribat, nullum eſſe locum in tota philoſophia tam neceſſarium. Minimè vero aſſentior iis, qui negant eum locum à Panætio [b] prætermiſſum, [c] ſed conſultò relictum, nec omnino ſcribendum fuiſſe; quia numquam poſſet utilitas cum honeſtate pugnare: de quo alterum poteſt habere dubitationem, adhibendumne fuerit hoc genus, quod in diviſione

(a) *annis*] Fortaſſe *annos*, quod edidere Lambinus aliique. Sic Noſter in Seneѕt. c. 7. *nemo eſt tam ſenex, qui ſe annum non putet poſſe vivere.* Et Ovid. Met. xii. 187.

———— Vixi
Annos bis centum, nunc tertia vivitur ætas.

(b) *prætermiſſum, ſed conſultò relictum*] Hinc Lexicographi colligunt id dici, *prætermitti*, quod aut ignorantiâ, aut oblivione aut negligentiâ, præteritur: *omitti* verò, quod de induſtriâ relinquitur. Vix aliter Cicero eadem voce uſus eſt in ii. 29. de Orat. *ut, ſi quid ab Antonio aut* prætermiſſum *aut relictum ſit, explices.* At *prætermittere* ſæpe idem eſt quod *omittere*; quo ſenſu in ii. 24. de Offic. dicitur *voluptates eſſe prætermittendas.*

(c) *ſed conſultò relictum*] Supple *aiunt* vel *dicunt:* nam, cùm præceſſerat *negant*, in ſequente ſententiâ, quæ opponitur, verbum affirmativæ ſignificationis ſubintelligendum eſt. Vide quæ notavi ad i. 51. de Orat.

viſione Panætii tertium eſt, an planè omittendum; alterum dubitari non poteſt, quin à Panætio ſuſceptum ſit, ſed relictum: nam qui è diviſione tripartita duas partes abſolverit, huic neceſſe eſt reſtare tertiam. Præterea in extremo libro tertio de hac parte pollicetur ſe deinceps eſſe dicturum. Accedit eodem teſtis locuples, Poſidonius, qui etiam ſcribit in quadam epiſtola, Pub. Rutilium Rufum dicere ſolere, qui Panætium audierat, *ut nemo pictor eſſet inventus, qui* [d] *Coæ Veneris eam partem, quam Apelles inchoatam reliquiſſet, abſolveret, (oris enim pulchritudo* [e] *reliqui corporis imitandi ſpem auferebat): ſic ea, quæ Panætius* [f] *prætermiſiſſet, & non perfeciſſet, propter eorum, quæ perfeciſſet, præſtantiam neminem eſſe perſecutum.*

Quamobrem de judicio Panætii dubitari non poteſt: rectène autem hanc tertiam partem ad exquirendum officium adjunxerit, an ſecus, de eo fortaſſe dubitari poteſt. III.

Nam

(d) *Coæ Veneris*] ſc. tabulæ Veneris ab Apelle pictæ in ejus templo, quod in inſulâ quadam erat maris Ægæi, cui *Coos* aut *Cos* nomen.

(e) *reliqui corporis imitandi*] Hîc *imitandi* idem valet, quod ſimiliter ſive tam pulchrè pingendi,

(f) *prætermiſiſſet, & non perfeciſſet*] Ita fere MSi: Sed, quæ dicitur *prætermiſiſſe*, ſatis dicitur *non perfeciſſe*. Aut igitur cûm uno Mureti MSo & quinque Manutii dele voces, *& non perfeciſſet*: Aut ex mea conjectura lege, *promiſiſſet, & non perfeciſſet*. In priore cap. Panætius dicitur non *exſolviſſe quod promiſerat*. Verba *promiſiſſet* & *prætermiſiſſet*, in MSis contractè ſcripta, ita ſimilia ſunt, ut facilè confundantur.

Nam ſive honeſtum ſolum bonum eſt, ut Stoicis placet: ſive quod honeſtum eſt, id ita ſummum bonum eſt, (quemadmodum [g] Peripateticis veſtris videtur), ut omnia ex altera parte collocata vix minimi momenti inſtar habeant; dubitandum non eſt, quin numquam poſſit utilitas cum honeſtate contendere. Itaque accepimus, Socratem exſecrari ſolitum eos, qui primùm hæc, natura cohærentia, opinione diſtraxiſſent. Cui quidem ita ſunt Stoici aſſenſi, ut quidquid honeſtum eſſet, id utile eſſe cenſerent; nec utile quidquam, quod non honeſtum. Quòd ſi is eſſet Panætius, qui virtutem propterea colendam diceret, [h] quòd ea efficiens utilitatis eſſet; ut ii, qui res expetendas [i] vel voluptate vel indolentia metiuntur; liceret ei dicere, utilitatem aliquando cum honeſtate pugnare: ſed cùm ſit is, qui id ſolum bonum judicet, quod honeſtum ſit; quæ autem huic repugnent ſpecie quadam utilitatis, eorum neque acceſſione meliorem vitam fieri, nec deceſſione pejorem; non videtur debuiſſe ejuſmodi deliberationem introducere, in qua, quòd utile videretur, cum

(g) *Peripateticis veſtris*] Ideo dicitur *veſtris*, quia Cicero filius diſcipulus tum fuit Cratippi Peripatetici.

(h) *quòd ea efficiens utilitatis eſſet*] *Efficiens* pro *effectrix*, vel Ellipticè pro *efficiens cauſſa*. Eodem modo *virtus* dicitur *efficiens eſſe voluptatis*. c. 33. *Cupiens voluptatum* & ſimilia (inquit Eraſmus) ſatis in uſu ſunt: hoc ut minus uſitatum annotare viſum eſt.

(i) *vel voluptate vel indolentia*] i. e. vel Epicurei, vel diſcipuli Hieronymi Rhodii.

[a] cum eo, quod honeſtum eſt, compararetur. Etenim quod ſummum bonum à Stoicis dicitur, *convenienter naturæ vivere*, id habet hanc (ut opinor) ſententiam, cum virtute congruere ſemper; cætera autem, quæ ſecundùm naturam eſſent, [b] ita legere, ſi ea virtuti non repugnarent. Quod cùm ita ſit, putant quidam hanc comparationem non rectè introductam, nec omnino de eo genere quidquam præcipiendum fuiſſe. [c] Atque illud quidem honeſtum, quod propriè veréque dicitur, id in ſapientibus eſt ſolis, neque à virtute divelli umquam poteſt: in iis autem, in quibus ſapientia perfecta non eſt, ipſum illud quidem perfectum honeſtum nullo modo; ſimilitudines honeſti eſſe poſſunt. Hæc enim omnia officia, de quibus his libris diſputamus, media Stoici appellant: ea communia ſunt & latè patent: quæ & ingenii bonitate multi aſſequuntur,

(a) *cum eo, quod honeſtum eſt, compararetur*] Cùm præceſſerit *videretur*, Cl. Chapmannus legendum eſſe cenſet, *honeſtum eſſet.* At mihi placet lectio MSi Reg. quarti, *in qua, quod utile videtur, cum eo, quod honeſtum eſt, comparatur*; vel potiùs (ut in MSis Mill. & Mead. ſec.) *compararetur.*

(b) *ita legere*] i. e. eâ conditione *legere:* Sic Noſter alibi dicit *hoc ita juſtum eſt, ſi eſt voluntarium.* Peculiarem philoſophis vim hîc habet vox *legere,* quæ ſignificat, id ſumere quod occurrit, ſine ulla eorum bonorum, quæ ſecundùm naturam ſunt, appetitione. Hoc nos docet Cicero (notante Langio) in iv. 26. de Fin. *Illa autem, morbum, egeſtatem, dolorem, non appello mala; ſed, ſi libet, rejectanea: Itaque illa non dico me expetere, ſed* legere; *nec optare, ſed ſumere: contraria autem non fugere, ſed ſecernere.*

(c) *Atque*] Rectiùs, ut puto, *Atqui.*

quuntur, & progreſſione diſcendi: Illud autem officium, quod rectum iidem appellant, perfectum atque abſolutum eſt, & (ut iidem dicunt) omnes numeros habet; nec, præter ſapientem, cadere in quemquam poteſt. Cùm autem aliquid actum eſt, in quo media officia compareant, id [d] cumulatè videtur eſſe perfectum, [e] propterea quòd vulgus quid abſit à perfecto non fere intelligit: quatenus autem intelligit, nihil putat prætermiſſum. Quod item in poematibus & in picturis uſu venit, in aliiſque compluribus, ut delectentur imperiti, laudentque ea, quæ laudanda non ſunt; ob eam, credo, cauſſam, quòd inſit in his aliquid probi, quod capiat ignaros, qui iidem, quid in unaquaque re vitii ſit, nequeant judicare: itaque, cum ſint docti à peritis, facilè deſiſtunt ſententia.

IV. Hæc igitur officia, de quibus his libris diſſerimus, quaſi ſecunda quædam honeſta eſſe dicunt, non ſapientum modò propria, ſed [f] cum omni hominum genere communia:

(d) *cumulatè*] i. e. cùm partes ejus non ſint ſingulatim examinatæ: ſi ſolùm totum ſpectes, videtur eſſe perfectum.

(e) *propterea quòd vulgus*] Hodie vulgò editur *propter-eaque*. Sed legendum eſt cum omnibus fere MSis & editionibus *propterea quòd vulgus* &c. Rationem enim Cicero reddit, cur, *cùm aliquid actum ſit, in quo* ſolùm *media officia compareant, id videatur eſſe perfectum*: Hoc fit, *propterea quòd vulgus* vix umquam intelligit quid inde abſit, faciatque ut non ſit perfectum.

(f) *cum omni hominum genere communia*] Plenius dixiſſet, *ſapientibus illis cum omni hominum genere communia.*

nia: itaque his omnes, in quibus eſt virtutis indoles, commoventur. Nec verò cùm duo Decii, aut duo Scipiones, fortes viri commemorantur; [g] aut cùm Fabricius Ariſtideſve juſtus nominatur; aut ab illis fortitudinis, aut ab his juſtitiæ, tamquam à ſapientibus, petitur exemplum: nemo enim horum ſic ſapiens eſt, ut ſapientem volumus intelligi. Nec ii, qui ſapientes habiti ſunt & nominati, M. Cato & C. Lælius, ſapientes fuerunt: ne illi quidem ſeptem; ſed ex mediorum officiorum frequentia ſimilitudinem quandam gerebant ſpeciemque ſapientum. Quocirca nec id, quod verè honeſtum eſt, fas eſt [h] cum utilitatis repugnantiâ comparari: nec id quidem, quod communiter appellamus honeſtum, quod colitur ab iis, qui bonos ſe viros haberi volunt, cum emolumentis umquam eſt comparandum: tamque id honeſtum, quod in noſtram intelligentiam

(g) *aut cùm Fabricius Ariſtideſve juſtus nominatur*] *Aut Ariſtides* eſt in edit. ante Gruterum, qui auctoritate unius MSi Pal. (cui aſſentitur Mead. ſec.) in textum inſeruit *Ariſtideſve*, quia auribus (ut ait) minùs gratum ſit *aut Ariſtides*. Grævius in ea lectione illum ſecutus, edidit etiam *juſti nominantur* pro *juſtus nominatur*. At cùm *Fabricius* & *Ariſtides* disjunctione *ve* vel *aut* ſeparentur, non rectè ſequi videntur voces pluralis numeri, *juſti nominantur*. Vide Notam meam ad i. 41. Sex MSi mei & omnes Oxonienſes habent *aut Ariſtides*, & omnes fere *juſtus nominatur*: quomodo etiam hic locus legitur in Oxon. editione Lactantii Div. Inſt. vi. 6. Fortaſſe ſcripſit Cicero, & *cùm Fabritius aut Ariſtides juſtus nominatur*.

(h) *cum utilitatis repugnantiâ comparari*] Hoc eſt, comparari cum utilitate illi honeſto repugnante.

telligentiam cadit, tuendum conſervandumque eſt nobis, quàm id, quod propriè dicitur, veréque eſt honeſtum, ſapientibus: [i] aliter enim teneri non poteſt, ſi qua ad virtutem eſt facta, progreſſio. Sed hæc quidem de iis, qui conſervatione officiorum exiſtimantur boni. Qui autem omnia metiuntur emolumentis & commodis, neque ea volunt præponderari honeſtate; hi ſolent in deliberando honeſtum cum eo, quod utile putant, comparare: boni viri non ſolent. Itaque exiſtimo Panætium, cùm dixerit homines ſolere in hac comparatione dubitare, hoc ipſum ſenſiſſe quod dixerit, *ſolere* modò, non etiam *oportere*: etenim non modò pluris putare quod utile videatur, quàm quod honeſtum; ſed etiam hæc inter ſe comparare, & in his addubitare, turpiſſimum eſt.

Quid eſt ergo, quod nonnumquam dubitationem afferre ſoleat, conſiderandumque videatur? Credo, ſi quando dubitatio accidit,

(i) *aliter enim teneri non poteſt* &c.] *Teneri non poteſt* (inquit Grævius) eſt tale loquendi genus, quale id, quod ſæpe apud Livium occurrit, *ſiſti non poteſt*, quod eſt, reſpublica ſalva eſſe non poteſt, periit, actum eſt de republicâ. Nam qui putant jungenda eſſe, *teneri progreſſio non poteſt*, falluntur: Hoc enim loquendi genus *tenere progreſſionem* non fert Lat. linguæ genius. Hæc Grævius: ſed video Pet. Marſum & Fr. Maturantium jungere verba *teneri* & *progreſſio*: & cùm apud Ciceronem occurrit non raró *tenere curſum*, & *proſequi progreſſionem*, cur non ad eundem modum potuit dicere *tenere progreſſionem*; ita ut ne fiat ad vitium regreſſio? ut hic ſenſus meliùs loco accommodaretur, poſt vocem *facta* inſerui comma, quod à vulgatis editionibus abeſt.

cidit, quale ſit id, de quo conſideretur: [a] ſæpe enim tempore fit, ut, quod plerumque turpe haberi ſoleat, inveniatur non eſſe turpe. Exempli cauſſâ ponatur aliquid, quod pateat latius: Quod poteſt majus eſſe ſcelus, quàm non modò hominem, ſed etiam familiarem hominem occidere? Num igitur ſe adſtrinxit ſcelere, ſi quis tyrannum occidit, quamvis familiarem? populo quidem Romano non videtur, qui ex omnibus præclaris factis illud pulcherrimum exiſtimat. [b] Vicit ergo utilitas honeſtatem? [c] imo verò honeſtatem utilitas ſecuta eſt.

Itaque,

(a) *ſæpe einm tempore fit*] De quæſtionibus iis, in quibus ex tempore officium exquiritur, agit Cicero uſque ad finem cap. 16.

(b) *Vcit ergo utititas honeſtatem?*] Sic edidi cum Notâ Interrogatoriâ, ſecutus MSum Mill. & ſententiam Mureti in lect. var. xv. 9. Objicientis enim hæc potiùs videntur eſſe verba, quàm Ciceronis confitentis (contrà quod in animo habuit) Utilitatem potuiſſe vincere Honeſtatem.

(c) *imò verò honeſtatem utilitas ſecuta eſt.*] Vulgò *honeſtas utilitatem ſecuta eſt*, quod contrarium Ciceronis menti prorſus videtur; qui dicit in c. 10. *Itaque utilitas valuit propter honeſtatem.* Sic etiam in c. 21. *Honeſtate dirigenda utilitas eſt*; &c. & in c. 30. *nihil, quia utile, honeſtum eſt: ſed quia honeſtum, utile.* Hanc lectionem, quam ſequor, teſtatur Muretus repertam eſſe in vetuſtioribus libris: ineſt etiam in MSo Regio quarto, & (ut opinor) in Mead. pr. à prima manu locum habuit. Senſus hujus & prioris ſententiæ hic eſt (ſecundùm J. Fr. Gronovium) Numquid igitur, cùm honeſtum eſſet non occidere Cæſarem, utile verò occidere, & tamen occiſus eſſet, utile valuit præ honeſto? Nequaquam: ſed, cùm honeſtum eſſet occidere Tyrannum, quod fecerunt; invenerunt, tamquam ultro conſequens, iſtam honeſtatem, quod utile eſſet populo Romano.

Itaque, ut ſine ullo errore dijudicare poſſimus, ſiquando cum illo, quod honeſtum intelligimus, pugnare id videbitur, quod appellamus utile, [d] formula quædam conſtituenda eſt; quam ſi ſequemur in comparatione rerum, ab officio numquam recedemus. Erit autem hæc formula Stoicorum rationi diſciplinæque maximè conſentanea; quam quidem in his libris propterea ſequimur, quod, quamquam & à veteribus Academicis & à Peripateticis veſtris, (qui quondam iidem erant, qui Academici), quæ honeſta ſunt, anteponuntur iis, quæ videntur utilia: tamen ſplendidiùs hæc ab eis diſſeruntur, quibus, quidquid honeſtum eſt, idem utile videtur, nec utile quidquam, quod non honeſtum; quàm ab eis, quibus honeſtum aliquid non utile, aut utile non honeſtum. Nobis autem noſtra Academia magnam licentiam dat, ut, quodcumque maximè probabile occurrat, id noſtro jure liceat defendere.

V. Sed redeo ad formulam. Detrahere igitur aliquid alteri, & hominem hominis incommodo ſuum augere commodum, magis eſt contra naturam, quàm mors, quàm paupertas, quàm dolor, quam cætera, quæ poſſunt aut corpori accidere, aut rebus externis. Nam principio tollit convictum

(d) *formula quædam conſtituenda eſt*] i. e. generale aliquod pronuntiatum, ex quo de ſingulis rebus judicari poſſit.

ctum humanum & ſocietatem; ſi enim ſic erimus affecti, ut propter ſuum quiſque emolumentum ſpoliet aut violet alterum, diſrumpi neceſſe eſt eam, quæ maximè eſt ſecundùm naturam, humani generis ſocietatem. Ut, ſi unumquodque membrum ſenſum hunc haberet, ut poſſe putaret ſe valere, ſi proximi membri valetudinem ad ſe traduxiſſet, debilitari & interire totum corpus (e) neceſſe eſſet; ſic, ſi unuſquiſque noſtrûm ad ſe rapiat commoda aliorum, detrahatque quod cuique poſſit emolumenti ſui gratiâ, ſocietas hominum & communitas evertatur neceſſe eſt. Nam, ſibi ut quiſque malit, quod ad uſum vitæ pertineat, quàm alteri acquirere, conceſſum eſt, non repugnante naturâ: illud natura non patitur, ut aliorum ſpoliis noſtras facultates, copias, opes augeamus. Neque verò hoc ſolùm naturâ, id eſt, jure gentium, ſed etiam legibus populorum (quibus in ſingulis civitatibus reſpublica continetur) eodem modo conſtitutum eſt, ut non liceat ſui commodi cauſſa nocere alteri: hoc enim ſpectant leges, hoc volunt, incolumem eſſe civium conjunctionem, quam qui dirimunt, eos morte, exſilio, vinculis, damno coercent.

(e) *neceſſe eſſet*] Vulgò *neceſſe eſt:* Sed ſeptem MSi mei, & vet. editiones Victorii, Manutii, Lambini, aliorumque habent *eſſet*, quæ vox huic loco neceſſaria videtur, cùm præceſſerant *haberet*, *putaret* & *traduxiſſet*.

cent. Atque hoc multo magis [f] efficit ipſa [g] naturæ ratio, quæ eſt [h] lex divina & humana; cui parere qui velit (omnes autem parebunt, qui ſecundùm naturam volent vivere), numquam committet, ut alienum appetat, & id, quod alteri detraxerit, ſibi aſſumat. Etenim multo magis eſt ſecundùm naturam excelſitas animi & magnitudo, itemque comitas, juſtitia, liberalitas, quàm voluptas, quàm vita, quàm divitiæ; quæ quidem contemnere, & pro nihilo ducere, comparantem cum utilitate communi, magni animi & excelſi eſt: detrahere autem alteri ſui commodi cauſſâ, magis eſt contra naturam, quàm mors, quàm dolor, quàm cætera generis ejuſdem. Itemque magis eſt ſecundùm naturam, pro omnibus gentibus, ſi fieri poſſit, conſervandis aut juvandis, maximos labores moleſtiaſque

(f) efficit *ipſa naturæ ratio*] Ita omnes mei & Oxon. MSi, quos ſequendos eſſe arbitror: & hæc lectio (ait Fabritius) omnium vet. librorum teſtimonio comprobatur. *Efficit* ſc. *ut non liceat ſui commodi cauſſâ nocere alteri.* In vulgatis libris eſt *exigit.*

(g) *naturæ ratio*] Id eſt, ratio, quæ à naturâ profecta eſt, Diis eam hominibus tribuentibus.

(h) *lex divina & humana*] Quo ſenſu *naturæ ratio* dicatur eſſe *lex divina* & *humana*, poſſumus colligere ex ii. 4. de leg. *Hanc video ſapientiſſimorum fuiſſe ſententiam, Legem neque hominum ingeniis excogitatam, nec ſcitum aliquod eſſe populorum: ſed æternum quiddam, quod univerſum mundum regeret imperandi prohibendique ſapientiâ. Ita principem Legem illam & ultimam, mentem eſſe dicebant omnia ratione aut cogentis aut vetantis Dei: ex qua illa Lex, quam Dii humano generi dederunt, rectè eſt laudata; eſt enim ratio menſque ſapientis ad jubendum & ad deterrendum idonea.*

que ſuſcipere (imitantem Herculem illum, quem [i] hominum fama, beneficiorum memor, in concilio cœleſtium collocavit), quàm vivere in ſolitudine, non modò ſine ullis moleſtiis, ſed etiam in maximis voluptatibus, abundantem omnibus copiis; [a] ut excellas etiam pulchritudine & viribus. Quocirca optimo quiſque & ſplendidiſſimo ingenio longè illam vitam huic anteponit: ex quo efficitur, hominem naturæ obedientem homini nocere non poſſe. Deinde, qui alterum violat, ut ipſe aliquid commodi conſequatur; aut nihil ſe exiſtimat contra naturam facere; aut magis fugiendam cenſet mortem, paupertatem, dolorem, amiſſionem etiam liberorum, propinquorum, amicorum, quàm facere cuipiam injuriam; ſi nihil exiſtimat contra naturam fieri hominibus violandis, quid cum eo diſſeras, qui omnino [b] hominem ex homine tollat? ſin [c] fugiendum id quidem cenſet, ſed & multo illa pejora, mortem, paupertatem, dolorem; errat in eo, quòd

(i) *hominum fama*] *Fama* hîc, & alibi ſæpe, eſt id quod homo aliquis fatur: Hinc illud Virg. in Æn. ii. 82. *inclyta famâ Gloria*. Communi voce homines prædicârunt Herculem eſſe Deum; eorum igitur *fama* eum in concilio cœleſtium collocavit.

(a) *ut excellas*] i. e. ita abundantem omnibus copiis, ut excellas etiam pulchritudine &c.

(b) *hominem ex homine tollat*] i. e. id exiſtimat, unde ſequitur, ut cum eo, qui homo eſt, non ut cum homine agendum ſit.

(c) *fugiendum id quidem*] Nempe, violare alium ſui commodi cauſſa.

quod ullum aut corporis aut fortunæ vitium animi vitiis gravius exiſtimat.

VI. Ergo unum debet eſſe omnibus propoſitum ut eadem ſit utilitas uniuſcujuſque & univerſorum; quam ſi ad ſe quiſque rapiat diſſolvetur omnis humana conſortio. Atque etiam ſi hoc natura præſcribit, ut homo homini, quicunque ſit, ob eam ipſam cauſſam, quòd is homo ſit, conſultum velit; neceſſe eſt ſecundùm eandem naturam, omnium utilitatem eſſe communem: quod ſi ita eſt, una continemur omnes & eadem lege naturæ: idque ipſum ſi ita eſt, certè [d] violare alterum lege naturæ prohibemur: verum autem primum; verum igitur & extremum. Nam illud quidem abſurdum eſt, quod quidam dicunt, parenti ſe aut fratri nihil detracturos, commodi ſui cauſſa; aliam rationem eſſe civium reliquorum: hi ſibi nihil juris & nullam ſocietatem, communis utilitatis cauſſâ, ſtatuunt eſſe cum civibus: quæ ſententia omnem ſocietatem diſtrahit civitatis. Qui autem civium rationem dicunt habendam, externorum negant, hi dirimunt communem humani generis ſocietatem; qua ſublata, beneficentia, liberalitas, bonitas, juſtitia funditus tollitur: quæ qui tollunt, etiam adverſus deos immortales

(d) *violare alterum*] Græcorum more uſurpavit *violandi* verbum; non pro *vim ferre*, ſed pro *injuriam facere præter jus*. Græci dicunt *ὑβρίζειν*, & *ὕβριν* non ſolùm *vim*, ſed etiam *injuriam* & *contumeliam* vocant.

mortales impii judicandi ſunt: ab iis enim conſtitutam inter homines ſocietatem evertunt; cujus ſocietatis arctiſſimum vinculum eſt, magis arbitrari eſſe contra naturam, hominem homini detrahere ſui commodi cauſſâ, quàm omnia incommoda ſubire vel externa vel corporis vel etiam ipſius animi, (e) quæ vacent juſtitiâ: hæc enim una virtus omnium eſt domina & regina virtutum.

Forſitan quiſpiam dixerit: Nonne igitur ſapiens, ſi fame ipſe conficiatur, abſtulerit cibum alteri, homini ad nullam rem utili? Minimè verò: non enim mihi eſt vita mea utilior, quàm animi talis affectio, neminem

(e) *quæ vacent juſtitiâ*] Ita omnes ferè vet. editiones & MSi quaſi uno ore. Grævius verò ex veſtigiis Pithœani codicis, & ex uno MSo Manutii legere voluit, *quæ* non *vacent juſtitiâ.* Senſus eſt (ait); Quævis incommoda potiùs ſubeunda eſſe, ſi nihil in illis ſit injuſti. Sed quid, rogo, eſt illud *injuſtum* quod poſſit ineſſe in incommodis animi? Equidem non video quo ſenſu dicantur hæc poſſe vel habere juſtitiam, vel eâ vacare. In excerptis Pithœanis legitur *quæ vacat juſtitiâ*: unde nata eſt Mihi conjectura certiſſima (ut opinor) Ciceronem ſcripſiſſe, *quia vacat* [vel *vacet*] *juſtitiâ*, ſc. *quia*, *detrahere hominem homini, ſui commodi cauſſâ, vacet juſtitiâ*; nam ad illa verba, non ad animi incommoda reſpicere hæc videntur: Ideo id *contra naturam magis eſt*, quàm omnia incommoda ſubire, quia vacat & caret juſtitiâ. Alii alio modo hunc corruptiſſimum locum emendare voluerunt. Mihi quidem præ cæteris longè placet mea conjectura: nam Noſter fere haud aliter locutus eſt in i. 19. *Ea animi elatio, quæ cernitur in periculis & laboribus, ſi* juſtitiâ vacat, *pugnatque non pro ſalute communi, ſed pro ſuis commodis, in vitio eſt*: ubi, quod *pugnat pro ſuis commodis* dicitur, ut hic, *juſtitiâ vacare*. Ex Notis, quarum Cl. Chapmannus mihi humaniter copiam fecit, patet illum eodem modo locum emendandum cenſuiſſe.

nem ut violem commodi mei gratia. Quid ſi Phalarim, crudelem tyrannum & immanem, vir bonus, ne ipſe frigore conficiatur, veſtitu ſpoliare poſſit? nonne faciat? Hæc ad judicandum ſunt facillima: nam, (f) ſi quid ab homine ad nullam partem utili tuæ utilitatis cauſſa detraxeris, inhumanè feceris, contraque naturæ legem: ſin autem is tu ſis, qui multam utilitatem reipublicæ atque hominum ſocietati, ſi in vita remaneas, afferre poſſis; ſi quid ob eam cauſſam alteri detraxeris, non ſit reprehendendum: ſin autem id non ſit ejuſmodi, ſuum cuique incommodum ferendum eſt potiùs, quàm de alterius commodis detrahendum. Non igitur magis eſt contra naturam morbus aut egeſtas, aut quid hujuſmodi, quàm detractio aut appetitio alieni; ſed communis utilitatis derelictio contra naturam eſt; eſt enim injuſta: itaque lex ipſa naturæ, quæ utilitatem hominum conſervat & continet, decernit profectò, ut ab homine inerti atque inutili, ad ſapientem, bonum fortemque virum transferantur res ad vivendum neceſſariæ; qui ſi occiderit, multum de communi utilitate detraxerit: modò hoc ita faciat, ut ne ipſe de ſe bene exiſtimans, ſeſeque diligens, hanc cauſſam habeat

(f) *ſi quid ab homine &c.* Hìc de prima quæſtione agitur, *Nonne igitur ſapiens &c.?* De eo, quod ad Phalarin attinet, paullo infra Cicero dicturus eſt.

habeat ad injuriam. Ita ſemper officio fungatur, utilitati conſulens hominum, & ei, quam ſæpe commemoro, humanæ ſocietati.

Nam quod ad Phalarim attinet, perfacile judicium eſt: nulla eſt enim nobis ſocietas cum tyrannis, ſed potiùs ſumma [g] diſtractio: neque eſt contra naturam, ſpoliare eum, ſi poſſis, quem honeſtum eſt necare: atque hoc omne genus peſtiferum atque impium ex hominum communitate exterminandum eſt. Etiam, ut membra quædam amputantur, ſi & ipſa ſanguine & tamquam ſpiritu carere cœperunt, & nocent reliquis partibus corporis; ſic iſta, in figura hominis, feritas & immanitas beluæ [h] à communi tamquam humanitate [i] corporis ſegreganda eſt. Hujus generis

(g) *diſtractio*] *Conjunctioni* opponitur hæc *diſtractio:* Senſus eſt; Neceſſe eſt, ut ab iis diſtrahamur, ut cum illis habeamus non modo nullam ſocietatem, ſed etiam maximas inimicitias. Sic Balbus in Ep. Cic. ad Att. viii. ad finem dicit, *Cæſarem & Pompeium perfidiâ hominum diſtractos fuiſſe.*

(h) *à communi tamquam humanitatè corporis*] Muretus conjecit legendum eſſe *à communi tamquam humanitatis corpore:* Et hic (opinor) bene vidit vocem *communi* cum *corpore* conjungendum fuiſſe, ut, quæ hic dicuntur, meliùs iis, quæ in ſimilitudine præceſſerant, reſponderent. At mihi videtur Cicero ſcripſiſſe, *à communis tamquam humanitate corporis:* per *commune corpus* intelligo id quod totum hominum genus complectitur; inter quod & unius cujuſque hominis corpus (de quo antè) comparatio inſtituitur. Vulgatam tamen lectionem Jac. Gronovius defendit, quem conſulat, ſi quis arbitratur eam poſſe defendi.

(i) *corporis*] Hæc vox Fr. Sayo videtur delenda eſſe, ut ex præcedentibus huc adducta: nec diſplicet conjectura.

neris ſunt quæſtiones omnes eæ, [a] in quibus ex tempore officium exquiritur.

VII. Ejuſmodi igitur credo res Panætium perſecuturum fuiſſe, niſi aliquis caſus aut occupatio conſilium ejus peremiſſet: ad quas ipſas conſultationes [b] ex ſuperioribus libris ſatis multa præcepta ſunt, quibus perſpici poſſit, quid ſit propter turpitudinem fugiendum; quid idcirco fugiendum non ſit, quia omnino turpe non eſt. Sed, quoniam operi inchoato & prope jam abſoluto tamquam faſtigium imponimus, ut geometræ ſolent non omnia docere, ſed poſtulare, ut quædam ſibi concedantur, quo faciliùs, quæ volunt, explicent; ſic ego à te poſtulo, mi Cicero, ut mihi concedas, ſi potes, Nihil, præter id quod honeſtum ſit, propter ſe eſſe expetendum: ſin hoc non licet per Cratippum, at illud cèrte dabis, Quod honeſtum ſit, id eſſe maximè propter ſe expetendum. Mihi utrumvis ſatis eſt; & cum hoc, tum illud probabilius videtur, nec præterea quidquam probabile. Ac primùm Panætius in hoc defendendus eſt, quòd non utilia cum honeſtis pugnare aliquando poſſe dixerit (neque enim ei fas erat), ſed ea, quæ *viderentur* utilia. Nihil verò utile, quod non idem honeſtum; nihil honeſtum, quod non

(a) *in quibus ex tempore* &c.] Vide medium cap. 4. ad quod hæc reſpiciunt.

(b) *ex ſuperioribus* &c.] J. Walkerus locum τȣ̃ *ex* mutandum eſſe notavit ut legamus *ſuperioribus libris ſatis multa præcepta ſunt, ex quibus perſpici poſſit* &c.

non idem utile ſit, ſæpe teſtatur: negatque ullam peſtem majorem in vitam hominum invaſiſſe, quàm eorum opinionem, qui iſta diſtraxerint. Itaque non ut aliquando anteponeremus utilia honeſtis, ſed ut ea ſine errore dijudicaremus, ſi quando incidiſſent, induxit eam, quæ *videretur* eſſe, non quæ *eſſet*, repugnantiam. Hanc igitur partem relictam explebimus, [c] nullis adminiculis, ſed (ut dicitur) [d] *Marte noſtro*: neque enim quidquam de hac parte poſt Panætium explicatum eſt, quod quidem mihi probaretur, [e] de iis, quæ in manus meas venerint.

Cùm igitur aliqua ſpecies utilitatis objecta eſt, [f] animum commoveri neceſſe eſt: ſed ſi cùm attenderis, turpitudinem videas VIII.

deas

(c) *nullis adminiculis*] Vulgò, *nullius*: ſed ſequor lectionem ſeptem meorum MSorum; & video Grævium, cùm in prima editione dediſſet *nullius*, poſtea repoſuiſſe *nullis*.

(d) *Marte noſtro*] In eo quod ſuo Marte ſe feciſſe dicit Cicero, videre eſt, qualis quantuſque ſcriptor Panætius fuerit, quem in duobus ſuperioribus libris ſecutus eſt. In hoc enim eadem nimium repetita ſunt, præceptorum utilium & ordo, & vis & copia deeſt: Vellem equidem Panætii Martem Ciceroni etiam in hoc tertio libro affuiſſe.

(e) *de iis, quæ in manus &c.*] Forte, in *iis quæ* &c. Nam *de hac parte* Cicero antea dixerat, i. e. de repugnantiâ Utilium & Honeſtorum: Nunc verò eum loqui puto de ſcriptis philoſophorum, qui hanc partem tractârant: *in iis* verò, quæ viderat, nihil explicatum invenerat quod ipſi probaretur.

(f) *animum commoveri neceſſe eſt; ſed ſi, cùm attenderis*] Legendum eſſe conjecit J. Fr. Gronovius, *commoveri neceſſe eſt animum: ſed ſi, cùm attenderis* &c. Et huic conjecturæ favet MSus Reg. quart. qui habet *animum commoveri* &c. pro quo MSus Mill. habet *nos commoveri*, quod & Manutius edidit. Vulgò nunc dierum editur, *commoveri neceſſe*

neceſſe

deas adjunctam ei rei, quæ ſpeciem utilitatis attulerit; tunc non utilitas relinquenda eſt, ſed intelligendum, ubi turpitudo ſit, ibi utilitatem eſſe non poſſe. Quòd ſi nihil eſt tam contra naturam, quàm turpitudo (recta enim & convenientia & conſtantia natura deſiderat, aſpernaturque contraria), nihilque tam ſecundùm naturam, quàm utilitas, certè in eadem re utilitas & turpitudo eſſe non poteſt. Itemque, ſi ad honeſtatem nati ſumus, eaque aut ſola expetenda eſt (ut Zenoni viſum eſt); aut certè (g) omni pondere gravior habenda, quàm reliqua omnia (quod Ariſtoteli placet), neceſſe eſt, quod honeſtum ſit, id eſſe aut ſolum aut ſummum bonum: quod autem bonum, id certè utile: ita, quidquid honeſtum, id utile. Quare error hominum non proborum, cùm aliquid, quod utile viſum eſt, arripuit, id continuò ſecernit ab honeſto. Hinc ſicæ, hinc venena, hinc falſa teſtamenta naſcuntur: hinc furta, peculatus,

ceſſe eſt: ſed ſi, cùm animum *attenderis:* ſed in hac lectione non dicitur quid ſit id quod *commoveri* neceſſe eſt: Adde quòd vox *animum* non requiritur, ut voci *attenderis* conjungatur: ut in ii. 16. *ſed, cùm* attenderint, *veniam neceſſitati dare.*

(g) *omni pondere gravior habenda, quàm* &c.] i. e. ita gravior habenda quàm reliqua omnia, ut ea omnia toto ſuo pondere prægravare credatur: nam (ut ait P. Marſus) Ariſtotelis ſententiâ omnia alia bona, corporis & fortunæ, ex altera parte collocata vix minimum momenti inſtar habebunt comparatione Virtutis. Hæc ideo notavi, ne quis exiſtimaret in hac ſententia, ubi vox *pondere* ablativi caſûs occurrat, ſupervacanea eſſe *quàm reliqua omnia;* & auctoritate MSi Mert. ſec. exterminanda.

citatur, expilationes direptioneſque ſociorum & civium: hinc [h] opum nimiarum potentiæ non ferendæ: poſtremò etiam in liberis civitatibus regnandi exſiſtunt cupiditates, quibus nihil nec tetrius, nec fœdius excogitari poteſt: emolumenta enim rerum fallacibus judiciis vident; pœnam non dico legum, quas ſæpe perrumpunt, ſed ipſius turpitudinis, quæ acerbiſſima eſt, non vident. Quamobrem hoc quidem deliberantium genus pellatur è medio (eſt enim totum ſceleratum & impium), qui deliberant, utrùm id ſequantur, quod honeſtum eſſe videant, an ſe ſcientes ſcelere contaminent: in ipſa enim dubitatione facinus ineſt, etiam ſi ad id non pervenerint. Ergo ea deliberanda omnino non ſunt, in quibus eſt turpis ipſa deliberatio.

IX. Atque etiam ex omni deliberatione celandi & occultandi ſpes opinioque removenda eſt: ſatis enim nobis (ſi modò in philoſophia aliquid profecimus) perſuaſum eſſe debet, ſi omnes deos homineſque celare poſſimus, nihil tamen avarè, nihil injuſtè, nihil libidinoſè, nihil incontinenter eſſe faciendum. Hinc ille Gyges inducitur à Platone; qui, cùm terra diſceſſiſſet magnis quibuſdam imbribus, in illum hiatum deſcendit, æneumque equum [i] (ut ferunt fabulæ) animadvertit,

(h) *opum*] Vide Notas ad i. 8. & ii. 6.

(i) *(ut ferunt fabulæ)* Plato, ἃ μυθολογοῦσι. Edit. Steph. Vol. II. p. 359.

madvertit, cujus in lateribus fores eſſent; quibus apertis, hominis mortui vidit corpus magnitudine inuſitata, annulumque aureum in digito; quem ut detraxit, ipſe induit (erat autem regius paſtor): tum in concilium paſtorum ſe recepit: ibi, cùm [a] palam ejus annuli ad palmam converterat, à nullo videbatur, ipſe autem omnia videbat: idem rurſus videbatur, [b] cùm in locum annulum inverterat. Itaque hac opportunitate annuli uſus reginæ ſtuprum intulit, eaque adjutrice regem dominum interemit, ſuſtulit quos obſtare arbitrabatur: nec in his facinoribus eum quiſquam potuit videre: ſic repente annuli beneficio rex exortus eſt Lydiæ. Hunc igitur ipſum annulum ſi habeat ſapiens, [c] nihil plus ſibi licere putet peccare, quàm ſi non haberet: honeſta enim bonis viris, non occulta quæruntur. Atqui hoc loco philoſophi quidam, minimè mali illi quidem, ſed non ſatis acuti, fictam & commentitiam fabulam dicunt prolatam à Platone: quaſi verò ille aut factum id eſſe, aut fieri potuiſſe

(a) *palam ejus annuli*] Fundam, ſive vacuum illud in annulo, quo gemma includitur; σφενδόνην. Sic etiam Plato in lib. ii. de Rep. Τὴν σφενδόνην ἔξω ϛρέψαντα.

(b) *cùm in locum*] i. e. in eum locum, quem ante habuerat annulus, quàm pala ejus ad palmam converſa eſt.

(c) *nihil plus ſibi licere putet peccare*] Omnes MSi mei habent vocem *peccare*, quam omiſit Victorius, & redundare putavit Fabritius. At ſi legamus (quod mihi quidem videtur Cicero ſcripſiſſe) *nihilo plus ſibi licere putet peccare*, tum voci *peccare* ſua erit & vis & proprietas. Hanc conjecturam jam video Lambinum ante occupâſſe.

tuiſſe, defendat. Hæc eſt vis hujus annuli, & hujus exempli: ſi nemo ſciturus, nemo ne ſuſpicaturus quidem ſit; cùm aliquid divitiarum, potentiæ, dominationis, libidinis cauſſa feceris; ſi id diis hominibuſque, futurum ſit ſemper ignotum, ſiſne facturus? Negant id fieri poſſe: [d] quamquam poteſt id quidem: ſed quæro, quod negant poſſe, id ſi poſſet, quidnam facerent? Urgent ruſticè ſanè: negant enim poſſe, & in eo perſtant. Hoc verbum quid valeat, non vident: cùm enim quærimus, ſi poſſint celare, quid facturi ſint; non quærimus, poſſintne celare; ſed tamquam tormenta quædam adhibemus, ut, ſi reſponderint ſe, impunitate propoſita, facturos quod expediat,

(d) *quamquam poteſt id quidem*] ſc. fieri, ut facinus aliquod ſit ſemper ignotum Diis & hominibus. Dubitanter (inquit Gulielmius) Cicero hîc de providentiâ & naturâ divinâ loquitur, ut Academicus. At hoc ſi dixerit, non dubitanter dixit, ſed quaſi certum quiddam & ratum affirmavit. Non igitur mihi facile perſuaſum eſt Noſtrum in hoc loco aut ita locutum eſſe, aut loqui voluiſſe. In his libris longè aliter de Diis & ſenſit & dixit: e. g. in ii. 3. *Deos placatos pietas efficiet & ſanctitas:* in iii. 6. *quæ qui tollunt, adverſus Deos immortales impii judicandi ſunt.* Ita etiam Noſter in Or. pro Deiot. c. 6. dicit, *ſi veneno* (te interemiſſet) *Jovis illius quidem hoſpitalis numen numquam celare potuiſſet &c.* Cur hæc & multa alia honorificè de Diis & eorum providentiâ dicta ſunt, ſi Cicero in hâc ſententiâ fidenter pronuntiet, peccantes poſſe celare tam Deos, quàm Homines? Multi igitur ediderunt *negant id fieri poſſe: quamquam* non *poteſt id quidem:* Sed hæc lectio ſuam vim voci *quamqnam* non tribuit. Opinor Manutii conjecturam potiùs ſequendam eſſe, *negant id fieri poſſe:* nequaquam *poteſt id quidem.* Hoc concedentis eſt, eos Philoſophos verè dicere, qui *negant id fieri poſſe.* Vide quæ dicturi ſumus infra in Notâ ad c. 29.

diat, facinoroſos ſe eſſe fateantur; ſi negen omnia turpia per ſe ipſa fugienda eſſe con cedant. Sed jam ad propoſitum reverta mur.

X. Incidunt ſæpe multæ cauſſæ, quæ con turbent animos utilitatis ſpecie; non, cùm hoc deliberetur, relinquendane ſit honeſta propter utilitatis magnitudinem (nam id qui dem improbum eſt); ſed illud, poſſitne id, quod utile videatur, fieri non turpiter. Cùm Collatino collegæ Brutus imperium abroga bat, poterat videri facere id injuſtè: fue rat enim in regibus expellendis ſocius Bru ti, conſiliorum etiam adjutor: cùm autem conſilium hoc principes cepiſſent, cognatio nem Superbi, nomenque Tarquiniorum, & memoriam regni eſſe tollendam; quod erat utile [e] patriæ conſulere, id erat ita hone ſtum, ut etiam ipſi Collatino placere de beret. Itaque utilitas valuit propter hone ſtatem, ſine qua ne utilitas quidem eſſe potuiſſet. At in eo rege, qui urbem con didit, [f] non ita: ſpecies enim utilitatis ani mum pepulit ejus; cui cùm viſum eſſet utilius ſolum, quàm cum altero, regnare, fratrem interemit. Omiſit hic & pietatem & humanitatem, ut id, quod utile videba tur neque erat, aſſequi poſſet. Et tamen muri

(e) *patriæ conſulere*] i. e. conſilium id capere quod patriæ proſit: ut in c. 24. *ſaltare eum, cùm patriæ conſulturus ſit, turpe non ſit.*

(f) *non ita*] Plenior ſic erit ſententia; non eodem modo in eo, quod fecit, utilitas valuit propter honeſtatem.

muri cauſſam oppoſuit, ſpeciem honeſtatis neque probabilem, neque ſatis idoneam: peccavit igitur, pace vel Quirini vel Romuli, dixerim. Nec tamen noſtræ nobis utilitates omittendæ ſunt, aliiſque tradendæ, cùm his ipſi egeamus; ſed ſuæ cuique utilitati, quod ſine alterius injuria fiat, ſerviendum eſt. Scitè Chryſippus, ut multa: *qui ſtadium* (inquit) *currit, eniti & contendere debet, quàm maximè poſſit, ut vincat; ſupplantare eum, quicum certet, aut manu depellere, nullo modo debet: ſic in vita ſibi quemque petere, quod pertineat ad uſum non iniquum eſt; alteri deripere, jus non eſt.* Maximè autem perturbantur officia in amicitiis; quibus & non tribuere quod rectè poſſis, & tribuere quod non ſit æquum, contra officium eſt. Sed hujus generis totius breve & non difficile præceptum eſt. Quæ enim videntur utilia, honores, divitiæ, voluptates, cætera generis ejuſdem, hæc amicitiæ numquam anteponenda ſunt: at neque contra rempublicam neque contra jusjurandum ac fidem, amici cauſſâ, vir bonus faciet: ne ſi judex quidem erit de ipſo amico; ponit enim perſonam amici, cùm induit judicis. Tantum dabit amicitiæ, ut veram amici cauſſam eſſe malit; ut [h] orandæ litis tempus, quoad per leges liceat,

(g) *muri cauſſam oppoſuit*] Legem enim Romulus tulerat, ne quis mœnia tranſiret. *Manutius.* *Oppoſuit*, ſc. ut hoc factum non videretur eſſe impium & inhumanum.

(h) *orandæ litis tempus —— accommodet*] Vulgò *liti:* ſed Nonius,

ceat, accommodet: cùm verò jurato ſenten-tia dicenda ſit, [i] meminerit deum ſe adhi-bere teſtem, id eſt, (ut arbitror) mentem ſuam, qua nihil homini dedit Deus ipſe di-vinius. Itaque præclarum à majoribus acce-pimus morem rogandi judicis, ([a] ſi eum te-neremus), *quæ ſalva fide facere poſſit.* Hæc rogatio ad ea pertinet, quæ paullo ante dixi honeſtè amico à judice poſſe concedi: nam, ſi omnia facienda ſint, quæ amici velint, non amicitiæ tales, ſed conjurationes putandæ ſunt.

Nonius, in vocibus *orare* & *accommodare*, hæc verba ſic citat, *orandæ* litis *temtus* —— *accommodet:* & mihi quidem meliùs placet, *accmmodare* amico aut amici commodo *tempus* litis orandæ, quàm *accommodare tempus* liti orandæ. Manutium video edidiſſe *litis*, quod etiam extat in MSo Mill. Lameth. Mead. ſec. & tribus Regiis.

(i) *meminerit* deum *ſe* adhibere teſtem] Vix dubito, quin ſcripſerit Cicero, *meminerit* divinum *ſe* habere *teſtem:* vox enim *habere* eſt in edit. Victorii, MSis Bod. pr. duobus Regiis, tribuſque Manutii: Ut verò putem *divinum* non *deum* à Ciceronis manu profectum eſſe, his rationibus adducor. Vocem *divinum* præceſſiſſe poſtulant ea, quæ ſequuntur, *qua nihil homini dedit Deus ipſe divinius:* hæc enim cum verbis *divinum teſtem* bene congruunt, cum verbis *deum teſtem* non item. Adde, quod Cicero in Tuſc. diſp. i. 26. ea dixit, quæ hanc meam conjecturam firmant; *Ergo animus, qui, ut ego dico, divinus; ut Euripides audet dicere, deus eſt.* Et in Paradox. i. *Cùm tibi ſive Deus, ſive natura dederit animum quo nihil eſt præſtantius, nihil divinius.* Unde colligas Ciceronem non ipſum dixiſſe id, quod in Euripide quaſi audentiùs dictum notat.

(a) (*ſi eum teneremus)*] Id eſt, O ſi, vel utinam, teneremus ſive ſervaremus eum morem rogandi Judicis, ut ea pro nobis faciat, qua *ſalva fide* facere poſſit. Servius, in Virg. Æn. vi. 187. *ſi nunc ſe nobis* &c. inquit, *Si* adverbium rogantis & optantis eſt, per ſe plenum. Cicero hîc innuit multos tunc temporis rogâſſe Judices, non additis vocibus *ſalvâ fide:* non opus eſt igitur, ut cum Grævio hæc verba hîc aliena eſſe ſtatuamus; utque (illo monente) reponamus, *ſi ea rogaremus.*

ſunt. Loquor autem de communibus amicitiis: nam in ſapientibus viris perfectiſque nihil poteſt eſſe tale. Damonem & Phintiam Pythagoreos ferunt hoc animo inter ſe fuiſſe, ut, cùm eorum alteri Dionyſius tyrannus diem necis deſtinaviſſet, & is, qui morti addictus eſſet, paucos ſibi dies commendandorum ſuorum cauſſâ poſtulaviſſet; vas factus eſt alter ejus ſiſtendi, ut, ſi ille non revertiſſet, moriendum eſſet ipſi: qui cùm ad diem ſe recepiſſet, admiratus eorum fidem tyrannus, petivit, ut ſe ad amicitiam tertium adſcriberent. Cùm igitur id, quod utile videtur, in amicitia, cum eo, quod honeſtum eſt, comparatur; [b] jaceat utilitatis ſpecies, valeat honeſtas: cùm autem in amicitia, quæ honeſta non ſunt, poſtulabuntur, religio & fides anteponatur amicitiæ: ſic habebitur is, quem exquirimus, delectus officii.

Sed utilitatis ſpecie in republica ſæpiſſime peccatur; ut in Corinthi [c] diſturbatione [d] noſtri. Durius etiam Athenienſes, qui [e] ſciverunt, XI.

(b) *jaceat utilitatis ſpecies*] i. e. negligatur, prætereatur; ut res viles humi jacere, nemine tollente, permittuntur.

(c) *diſturbatione*] i. e. everſione: *Diſturbare* (inquit Valla v. 89.) eſt diſſipando diruendoque disjicere. Sic in Oratione Philip. pr. c. 5. *ſe publicis operis diſturbaturum publicè ex ſenatûs ſententiâ ædificatam domum.* lib. v. 7. *fabros ſe miſſurum, & domum meam diſturbaturum eſſe dixit.* Et eodem ſenſu dicuntur *urbes diſturbari* in Lucret. vi. 586.

(d) *noſtri*] Sc. fecerunt; ut in ſequentibus, *Duriùs etiam Athenienſes, qui* &c. & in fine hujus capitis *Meliùs hi, quàm nos, qui piratas immunes, ſocios vectigales habemus.*

(e) *ſciverunt*] judicaverunt & decreverunt: inde *plebiſcita,* nam

verunt, ut Æginetis, qui claſſe valebant, pollices præciderentur: hoc viſum eſt utile; nimis enim imminebat, propter propinquitatem, Ægina Piræo: ſed nihil, quod crudele, utile; eſt enim hominum naturæ, quam ſequi debemus, maximè inimica crudelitas. Malè etiam, qui peregrinos urbibus uti prohibent, eoſque exterminant; ut ^f Pennus apud patres noſtros, ^g Papius nuper.

nam *ſcire* judicare eſt. *P. Marſus.*

(f) *ut Pennus*] Pennus, & poſteà Papius, legem tulerunt, Ne quis omnino peregrinus in urbe habitaret, exceptis iis, qui eam, quæ dicitur Italia, incolerent. Craſſus verò & Scævola legem rogârunt, Ut quiſque in ſuæ civitatis jus redigeretur: multi enim, cùm cives non eſſent, pro civibus ſe gerebant. Penni igitur & Papii leges de Urbe fuerunt; Craſſi & Scævolæ de Civitate. *Langius.*

Malè nonnulli *Penius*, alii *Petronius* voluerunt, cùm rectè ſe habeat *Pennus*. Erat eo nomine tribunus plebis circ. an. U. C. 628, qui videtur is eſſe, ad quem referri non ineptè poſſit iſtiuſmodi ſcitum de peregrinis. Ita enim Cicero in Bruto c. 28. *Tuus gentilis, Brute, M. Pennus facilè agitavit in tribunatu C. Gracchum, paulùm ætate antecedens: fuit enim M. Lepido & L. Oreſte conſulibus quæſtor Gracchus, tribunus Pennus, illius M. filius, qui cùm Q. Ælio conſul fuit.* Notat autem Cenſorinus ex vetuſtiſſimis auctoribus conſulatum Oreſtis & Lepidi incidere in an. U. C. 628. *In quindecimvirorum commentariis notantur* (ſc. lud. ſæcul. quarti) *ſub anno* DCXXVIII. *M. Æmilio Lepido, L. Aurelio Oreſte conſulibus.* De die nat. c. 17. *Chapman.*

(g) *Papius nuper*] ſc. an. U. C. 689. L. Manlio Torquato & L. Aurelio Cotta conſulibus: eo enim anno C. Papius tribunus plebis legem tulit de peregrinis ab Urbe dimovendis. Dio. l. xxxvii. p. 33. Κἂν τέτῳ πάντες οἱ ἐν τῇ Ῥώμῃ διατρίβοντες, πλὴν τῶν νῦν Ἰταλίαν οἰκέντων, ἐξέπεσον, Γαΐε τινὸς Παππίε δημάρχε γνώμῃ. Hujus porrò Legis meminit Noſter in Or. pro Arch. c. 5. Confer etiam Or. pro Balbo c. 23. Unde conſtat vehementer erràſſe doct. Anton. Auguſtinum (de Leg. v. *Papia*) qui his locis *Papiriam* legi

nam eſſe pro cive, qui civis non ſit, rectum eſt non licere; quam legem tulerunt ſapientiſſimi conſules, Craſſus & Scævola: uſu vero urbis prohibere peregrinos, ſanè inhumanum eſt. Illa præclara, in quibus publicæ utilitatis ſpecies præ honeſtate contemnitur. Plena exemplorum eſt noſtra reſpublica, cum ſæpe, tum maximè bello Punico ſecundo; quæ, Cannenſi calamitate acceptâ, majores animos habuit, quàm umquam rebus ſecundis; nulla timoris ſignificatio; nulla mentio pacis: tanta vis eſt honeſti, ut ſpeciem utilitatis obſcuret. Athenienſes, cùm Perſarum impetum nullo modo poſſent ſuſtinere, ſtatuerentque ut, urbe relicta, conjugibus & liberis Troezene depoſitis, naves conſcenderent, libertatemque Græciæ claſſe defenderent, Cyrſilum quendam, ſuadentem ut in urbe manerent Xeremque reciperent, lapidibus obruerunt. [h] Atqui ille utilitatem ſequi videbatur: ſed ea nulla erat repugnante honeſtate. Themiſtocles [i] poſt victoriam ejus belli, quod cum Perſis fuit, dixit in concione, *ſe habere conſilium reipublicæ ſalutare, ſed* [a] *id ſciri opus non eſſe:* poſtulavit,

legi voluit, quod *Papiam* nullam repererat ante celebrem *Papiam Poppæam* ſub Auguſto Cæſare. *Chapman.*

(h) *Atqui ille*] Ita Victorius: hodie vulgò, *Atque.*

(i) *poſt victoriam ejus belli*] Non uſitato modo hoc dicit Noſter, cùm ſignificat victoriam, quam reportârat in eo bello, quod gerebatur cum Perſis.

(a) *id ſciri opus non eſſe*] i. e. non conveniſſe, non commodum fuiſſe, ut id publicè ſciretur. Sæpius *opus eſt* ſignificat

poſtulavit, ut aliquem populus daret, qui-cum communicaret: datus eſt Ariſtides: Huic ille, *Claſſem Lacedæmoniorum, quæ ſubducta eſſet ad Gytheum, clam incendi poſſe; quo facto, frangi Lacedæmoniorum opes neceſſe eſſet.* Quod Ariſtides cùm audiſſet, in concionem magna expectatione venit; dixitque *perutile eſſe conſilium, quod Themiſtocles afferret, ſed minimè honeſtum.* Itaque Athenienſes, quod honeſtum non eſſet, id ne utile quidem putaverunt: totamque eam rem, quam ne audierant quidem, auctore Ariſtide repudiaverunt. Meliùs hi, quàm nos, qui piratas immunes, ſocios vectigales habemus.

XII. Maneat ergo, quod turpe ſit, id numquam eſſe utile; ne tum quidem, cùm id, quod utile eſſe putes, adipiſcare. Hoc enim ipſum, utile putare, quod turpe ſit, calamitoſum eſt.

Sed incidunt (ut ſupra dixi) ſæpe cauſſæ, cùm repugnare utilitas honeſtati videatur, ut animadvertendum ſit, repugnetne planè, an poſſit cum honeſtate conjungi. Ejus generis hæ ſunt quæſtiones: Si (exempli gratia) vir bonus Alexandria Rhodum magnum (b) frumenti numerum advexerit in Rhodiorum inopia

cat *neceſſe eſt:* hîc verò aliiſque in locis quibuſdam non item. Sic in ii. 10. de Orat. *etiamſi* opus eſt, *tamen minus eſt neceſſarium.* Hinc patet non neceſſe eſſe, ut ordine verborum mutato legamus, *id non ſciri opus eſſe.*

(b) *frumenti numerum*] *Numerus* refertur ad ea, quæ menſurabantur; unde numerum frumenti, olei, & vini antiqui dicebant.

opia & fame, ſummaque annonæ caritate: ſi idem ſciat, complures mercatores Alexandria ſolviſſe, naveſque in curſu frumento onuſtas petentes Rhodum, viderit; dicturuſne ſit id Rhodis, an ſilentio ſuum quàm plurimo venditurus? Sapientem & bonum virum fingimus: de ejus deliberatione & conſultatione quærimus, qui celaturus Rhodios non ſit, ſi id turpe judicet; [c] ſed dubitet, an turpe ſit. In hujuſmodi cauſſis aliud Diogeni Babylonio videri ſolet, magno & gravi Stoico; aliud Antipatro diſcipulo ejus, homini acutiſſimo. Antipatro omnia patefacienda, ut ne quid omnino, quod venditor norit, emtor ignoret: Diogeni venditorem, quatenus jure civili conſtitutum ſit, dicere vitia oportere, cætera ſine inſidiis agere, & quoniam vendat, velle quàm optimè vendere: Advexi; expoſui: vendo meum non pluris, quàm cæteri; fortaſſe etiam minoris cùm major eſt copia: cui ſit injuria? Exoritur Antipatri ratio ex altera parte: Quid ais? tu,

dicebant. Sic Noſter in Orat. pro Fonteio c. 2. *maximum frumenti mumerum imperavit:* in Orat. Philip. ii. 27. *maximus vini numerus fuit.* Hirtius etiam de bello Afric. c. 67. *magno invento hordei, olei, vini, fici numero, pauco tritici, rediit in caſtra.* Quamplurima hujuſmodi loca ex Cicerone, Cæſare, & Hirtio proferri poſſent. Græci dicunt οὐδ' ἐν λόγῳ, οὐδ' ἐν ἀριθμῷ.

(c) *ſed dubitet, an turpe ſit*] MSi Lameth. & Reg ſec. habent *an turpe an non ſit:* Bal. *an turpe ſit, an non.* Sed ſecutus ſum lectionem MSi Mead. ſecundi. Fortaſſe Cicero ſcripſit, *ſed dubitet, turpe an non ſit.* Vulgò legitur, *an turpe non ſit,* parum convenienter (ut opinor) menti Ciceronis.

tu, cùm omnibus hominibus conſulere debeas, & ſervire humanæ ſocietati, eaque lege natus ſis, & ea habeas principia naturæ, quibus parere & quæ ſequi debeas, ut utilitas tua communis utilitas ſit, viciſſimque communis utilitas tua ſit; celabis homines, quid iis adſit commoditatis & copiæ? Reſpondebit Diogenes fortaſſe ſic: aliud eſt *celare*, aliud *tacere*; neque ego nunc te celo, ſi tibi non dico, quæ natura deorum ſit, quis ſit finis bonorum, quæ tibi plus prodeſſent cognita quàm [d] tritici vilitas: ſed non, quidquid tibi audire utile eſt, id mihi dicere neceſſe eſt. Imò verò (inquiet ille) neceſſe eſt, ſi quidem meminiſti eſſe inter homines natura conjunctam ſocietatem. Memini, inquiet ille; ſed num iſta ſocietas talis eſt, ut nihil ſuum cujuſque ſit? quod ſi ita eſt, ne vendendum quidem quidquam eſt, ſed donandum.

XIII. Vides in hac tota diſceptatione, non illud dici, Quamvis hoc turpe ſit, tamen, quoniam expedit, faciam: [e] ſed, ita expedire, ut turpe non ſit; ex altera autem parte, ea re, quia turpe ſit, non eſſe facendum.

Vendat

(d) *trìtici vilitas*] Vulgò *utilitas*: ſed ex conjecturâ Paſſeratius *vilitas*: quæ quidem Ciceroniana eſt, & cum ſententia non malè congruit, *Olivetus*. Video ſic voluiſſe Langium, & ſic edidiſſe Car. Stephanum: Et ea vox ineſt in MSo Reg. tertio & in Reg. quarto; ſed hîc ex correctoris manu. Eodem modo *vilitas annonæ* dicitur in Or. pro leg. Manil. c. 15. & apud Horat. Epiſt. I. xii. 24. habemus,

Vilis amicorum eſt annona, bonis ubi quid deeſt.

(e) *ſed, ita expedire, ut*] Hoc ex una parte, ſc. Diogenis,

Vendat ædes vir bonus propter aliqua vitia, quæ ipſe norit, cæteri ignorent: [f] peſtilentes ſint, & habeantur ſalubres; ignoretur in omnibus cubiculis apparere ſerpentes; [g] malè materiatæ, ruinoſæ; ſed hoc præter dominum nemo ſciat: quæro, ſi hoc emtoribus venditor non dixerit, ædeſque vendiderit pluris multo, quàm ſe venditurum putârit, [h] num id injuſtè aut improbè fecerit? [i] Ille verò, inquit Antipater: Quid enim eſt aliud, erranti viam non monſtrare (quod Athenis exſecrationibus publicis [a] ſancitum eſt) ſi hoc non eſt, emtorem pati ruere, & per errorem in maximam fraudem incurrere? Plus etiam eſt, quàm viam non monſtrare: nam [b] eſt ſcientem

genis, dicitur: paullo poſt *ea re* ſignificat, ob eam rem, ob eam cauſſam, quia turpe ſit. Sic in Acad. ii. 34. *ſuperius illud ea re à ſe eſſe conceſſum, quòd videretur* &c.

(f) *peſtilentes*] Minimè ſalubres, quæque propter infelicem aëris naturam ipſas incolentibus morbos inducunt.

(g) *malè materiatæ, ruinoſæ*; ſed *hoc* &c.] Crederem ſubintelligendam eſſe vocem *ſint* ex præcedentibus, niſi intervenissent verba *ignoretur in omnibus cubiculis* &c. Potiùs verò legendum eſſe cenſeo, *malè materiatæ, ruinoſæ* ſint: *hoc* &c.

(h) *num id injuſtè aut improbè fecerit?*] Decem Manutii MSi cum ſeptem meis habent *aut*, non vulgatum illud *an*: hæc vox diſplicet; quia non quæritur hîc, utrùm in eâ re injuſtitia ſit, an ſit potiùs improbitas, quàm injuſtitia; quod τὸ an videtur ſignificare: Sed Cicero quærit, num is, qui emtori vitia non dixerit, facit id quod licitum eſt, an id quod injuſtum aut improbum eſt.

(i) *Ille verò*] Subintellige *injuſtè aut improbè fecerit*.

(a) *ſancitum eſt*] i. e. vetitum, prohibitum: ut in c. 17. *neque more turpe haberi, neque aut lege ſanciri aut jure civili; tamen naturæ lege ſancitum eſt.* Alibi tamen *ſancitum eſt* ſignificat id, quod imperatum eſt; ut in initio cap. 16.

(g) *eſt ſcientem in errorum alterum inducere*] i. e. venditor,

ſcientem in errorem alterum inducere. Diogenes contra: Num te emere coegit, qui ne hortatus quidem eſt? ille, quod non placebat, proſcripſit; tu, quod placebat, emiſti. Quòd ſi qui proſcribunt, *villam bonam, beneque ædificatam*, non exiſtimantur fefelliſſe, etiam ſi illa nec bona eſt, nec ædificata ratione; multo minùs, qui domum non laudârunt: ubi enim judicium emtoris eſt, ibi fraus venditoris quæ poteſt eſſe? Sin autem dictum non omne præſtandum eſt; quod dictum non eſt, id præſtandum putas? Quid verò eſt ſtultius, quàm venditorem, ejus rei, quam vendat, vitia narrare? Quid autem tam abſurdum, quàm ſi domini juſſu ita præco prædicet, *Domum peſtilentem vendo?* Sic ergo, in quibuſdam cauſſis dubiis, ex altera parte defenditur honeſtas; ex altera ita de utilitate dicitur, ut id, quod utile videatur, [c] non modò facere honeſtum ſit, ſed etiam non facere turpe. Hæc eſt illa, quæ [d] videtur utilium fieri cum honeſtis ſæpe diſſenſio. Quæ dijudicanda ſunt: non enim, ut quæreremus, expoſùimus, ſed ut explicaremus. Non

tor, in hâc quæſtione, *ſciens* vitia, neque ea dicens, illum *alterum*, ſc. emptorem, *inducit in errorem*.

(c) *non modò facere* &c.] Videtur Cicero ſcripſiſſe *non modò facere non turpe, ſed etiam honeſtum ſit*: In eo enim, quod ſub perſona Diogenis dixerit, non ſequitur illum exiſtimâſſe turpitudinem aliquam eſſe in non faciendo id, quod utile videatur.

(d) *videtur utilium fieri*] Senſus eſt: cùm diſſenſio eſt eorum, quæ videntur eſſe utilia, cum iis quæ ſunt honeſta.

Non igitur videtur nec frumentarius ille [e] Rhodius, nec hic ædium venditor celare emtores debuiſſe: neque enim id eſt celare, quidquid reticeas; ſed cùm, quod tu ſcias, id ignorare emolumenti tui cauſſa velis eos, quorum interſit id ſcire. Hoc autem celandi genus quale ſit, & cujus hominis, quis non videt? certè non aperti, non ſimplicis, non ingenui, non juſti, non boni viri; verſuti potiùs, obſcuri, aſtuti, fallacis, malitioſi, callidi, veteratoris, vafri: hæc tot, & alia plura nonne inutile eſt vitiorum ſubire nomina?

Quòd ſi vituperandi ſunt, qui reticuerunt; XIV. quid de iis exiſtimandum eſt, qui [f] orationis vanitatem adhibuerunt? C. Canius, eques Romanus nec infacetus & ſatis literatus, cùm ſe Syracuſas otiandi (ut ipſe dicere ſolebat), non negotiandi cauſſa contuliſſet, dictitabat, ſe hortulos aliquos velle emere, quo invitare amicos, & ubi ſe oblectare ſine interpellatoribus poſſet. Quod cùm percrebruiſſet, Pythius ei quidam, qui argentariam faceret Syracuſis, [g] dixit, *venales quidem ſe hortos non habere,*

(e) *Rhodius*] Vulgo, *Rhodios*: Sed ſequor MSos omnes fere Oxon. omnes meos alioſque nonnullos. In ſequente voce, *emtores*, Rhodii ſatis ſignificantur.

(f) *orationis vanitatem*] i.e. mendacia: Vide Notam meam ad i. 42.

(g) dixit, *venales quidem ſe*] Vulgò deeſt *dixit*; ſed, cùm ſententiæ neceſſaria hæc vox videtur, eam appoſui ex editionibus Manutii & Lambini. Extat etiam in MSis Cant. & Mill. Mead. ſec. & Reg. ſec. & tertio: itemque in edit. Mogunt. & Rom. quamvis in MSo Cant. & Reg. tertio locum habet poſt *habere*, in his verò editionibus poſt *Pythius ei quidam*,

habere, ſed licere uti Canio, ſi vellet, ut ſuis: & ſimul ad cœnam hominem in hortos invitavit in poſterum diem. Cùm ille promiſiſſet, tum Pythius, qui eſſet, ut argentarius, apud omnes ordines gratioſus, piſcatores ad ſe convocavit, & ab his petivit, ut ante ſuos hortulos poſtridie piſcarentur, dixitque, quid eos facere vellet. Ad cœnam tempore venit Canius: opiparè à Pythio apparatum convivium: cymbarum ante oculos multitudo: pro ſe quiſque, quod ceperat, afferebat: ante pedes Pythii piſces abjiciebantur. Tum Canius, *Quæſo*, inquit, *quid eſt hoc, Pythi? tantumne piſcium, tantumne cymbarum?* Et ille, *Quid mirum?* inquit, *hoc loco eſt, Syracuſis quidquid eſt piſcium: hîc aquatio: hac villa iſti carere non poſſunt*. Incenſus Canius cupiditate contendit à Pythio, ut venderet. Gravatè ille primo. Quid multa? impetrat; emit homo cupidus & locuples tanti, quanti Pythius voluit; & emit inſtructos: [h] nomina facit, negotium conficit. Invitat Canius poſtridie familiares ſuos; venit ipſe maturè: ſcalmum

(h) *nomina facit*] Cùm Salmaſius in libro de Uſuris c. 6. (allato hoc loco ex Or. pro Roſcio Com. c. 1. *Quòd ſi ille ſuas proferet tabulas, proferet ſuas quoque Roſcius* &c.) ſatis probârit, debitoris eſſe *facere nomina*, J. Fr. Gronovius cenſuit hîc legendum eſſe, *Pythius nomina facit.* Nam Canius, ſecundùm conſuetudinem Latinè loquentium, qui non præſente pecunia emebat hos hortos, ſed ſummam, quæ convenerat, jubebat aut in Pythii tabulas expenſi & accepti referri; aut in alius, qui pecuniam hanc illi credebat, *nomen locabat*; Pythius autem, aut amicus ei credens, *nomen faciebat*. Conjecturam Gronovii

ſcalmum nullum videt: quærit ex proximo vicino, num feriæ quædam piſcatorum eſſent, quod eos nullos videret. *Nullæ, (quod ſciam),* inquit ille: *ſed hîc piſcari nulli ſolent; itaque heri mirabar, quid accidiſſet.* Stomachari Canius. Sed quid faceret? nondum enim Aquillius, collega & familiaris meus, protulerat de dolo malo formulas: in quibus ipſis cùm [1] ex eo quærerem, quid eſſet *dolus malus*, reſpondebat, *Cùm eſſet* [a] *aliud ſimulatum, aliud actum.* Hoc quidem ſanè luculenter, ut ab homine perito definiendi. Ergo & Pythius, & omnes aliud agentes, aliud ſimulantes, perfidi, improbi, [b] malitioſi ſunt. Nullum igitur factum eorum poteſt utile eſſe, cùm ſit tot vitiis inquinatum.

Quòd

vii adſtruunt ſequentia ſtatim verba, *Invitat Canius poſtridie familiares ſuos.* Non opus fuiſſet repetitione nominis *Canius*, ſi ad eundem hominem pertinerent præcedentia. *Grævius.*

(i) *ex eo quærerem*] Vulgò, *quæreretur*. Sed altera lectio ineſt in MSis Mead. pr. Mill. Cantab. & tribus Oxonienſ. cum duobus aliis; itemque in editionibus Mogunt. Rom. Victorii, Manutii & Lambini. Et hoc potuit facere Cicero, cùm Aquillius ejus *collega & familiaris* eſſet.

(a) *aliud ſimulatum, aliud actum*] Ita *dolum malum* expoſuit Aquillius; ſed ejus formula apud Juriſconſultos, ut videtur, citò exolevit, poſtquam ille, qui *omnes ſuperiores in ſcientia vicit* (vid. ii. 19.) *Serv. Sulpitius* rem aliter definierat, pauculis adjectis. Quippe is dixit *machinationem* eſſe *quandam alterius decipiendi cauſſâ, cùm aliud ſimulatur, aliud agitur.* Hæc ejus verba ſervavit Ulpianus in Dig. V. iii. 1. Ubi etiam Labeonis (qui poſtea ſub Auguſto floruit) in ea re ſubtilitates recenſet, nulla prorſus Aquillii mentione interjecta. *Chapman.*

(b) *malitioſi*] *Malitia eſt, ſi quis mala bonis anteponit*, ut ait Noſter in c. 17. Cave igitur

XV. Quod ſi Aquilliana definitio vera eſt, ex omni vita ſimulatio diſſimulatioque tollenda eſt: ita, nec ut emat meliùs, nec ut vendat, quidquam ſimulabit aut diſſimulabit vir bonus. Atque iſte dolus malus etiam legibus erat vindicatus; [c] ut tutela duodecim tabulis, & circumſcriptio adoleſcentium lege Lætoria; [d] & (ſine lege) judiciis, [e] in quibus additur, *ex fide bonâ*. Reliquorum autem judiciorum hæc verba maximè excellunt; [f] in arbitrio rei

igitur ne hîc per *malitioſos* intelligas eos, qui inveterato ſunt adversùs aliquem odio. Eodem ſenſu, quo nunc, dicitur *malitioſa juris interpretatio*, in i. 10. & *malitioſis blanditiis* iii. 18.

(c) *ut tutela duodecim tabulis*] ſc. erat vindicata ſive punita: at in *tutelâ* nihil eſt vel mali vel boni: Ea, quæ pœnâ digna eſt, vocatur à Cicerone *De Orat.* i. 36. *turpis tutela.* Et hîc opus eſt voce, quæ crimen aliquod in ſe continet, quale eſt *circumſcriptio adoleſcentium.* Cenſeo igitur aut legendum eſſe, *ut* tutelæ *duodecim tabulis*, ſc. dolus malus tutelæ; aut (quod ſine ulla mutatione fiat) vocem *mala* ſubintelligendam eſſe ex præcedentibus.

(d) *& (ſine lege) judiciis*] i. e. judiciis Prætorum hæc vindicabantur ante, quàm Lex ulla de iis lata fuit. Lex Lætoria (notante Langio ex Suetonio) *vetuit minores quinque & viginti annis ſtipulari.*

(e) *in quibus additur, ex fide bonâ*] Vulgò, *ex fide bonâ agitur:* ſed vox *agitur* abeſt à MSis ſeptem meis & novem Oxonienſibus. Abeſt etiam à pleriſque vet. editionibus: nec opus fuit, ut hîc locum haberet: ita enim Noſter c. 17. *in quibus adderetur, ex fide bonâ*, Top. c. 17. *in quibus ex fide bonâ, eſt additum:* & alibi ad eundem modum. *Agitur* natum videtur ex præcedente voce additur.

(f) *in arbitrio rei uxoriæ*] Arbitrium uxoriæ rei tunc erat cùm poſt divortium de dote controverſia oriebatur. Matrimonio contracto, dos penes virum erat: at ubi divortium contigiſſet, ſi viri culpâ, bonum & æquum exigebat, nihil apud virum manere; ſi mulieris, ipſa dotem amittebat. *Pruſteus.*

rei uxoriæ, *melius æquius:* [g] in fiducia, [h] *ut inter bonos bene agier.* Quid ergo? aut in eo, quod *melius, æquius,* poteſt ulla pars ineſſe fraudis? aut, cùm dicitur, *inter bonos bene agier,* quidquam agi doloſè aut malitioſè poteſt? Dolus autem malus in ſimulatione, ut ait Aquillius, continetur. Tollendum eſt igitur ex rebus contrahendis omne mendacium. Non licitatorem venditor, [i] nec, qui contra ſe liceatur, emtor apponet: uterque,

(g) *in fiducia*] Fiducia eſt in hereditatibus & emtionibus: nempe cùm aliquis heres ſit hac conditione, ut, accepta hereditate, eam reddat alteri, quem heredem ſcribere per leges non liceret; tamquam filiæ, quæ ex lege Voconia heres eſſe non poterat. Item cùm alicui venditur aliquid venditione imaginaria, ut rem venditam ſtatim reddat; quod fiebat in hereditate à ſacris liberanda. *Erneſtus in Indice Ciceron. Latinit.*

(h) *ut inter bonos benè agier*] Pleniùs dicta eſt hæc formula infra in c. 17. *ut inter bonos bene agier oportet, & ſine fraudatione:* & in Ep. ad Fam. vii. 12. *Ubi potiùs illa erit formula fiduciæ, ut inter bonos bene agier oportet?*

(i) *nec, qui contra ſe liceatur*] *Licitator,* quem venditor apponit, hoc vult, ut res veniat quàm plurimo: is verò, quem emtor apponit, ut *contra liceatur,* id eo animo facit, ut res minoris veniat. At quid velit *contra ſe liceri?* i. e. contra emtorem: talem nemo ſanus emtor apponit. Quo propoſito ad rem ſub haſta poſitam venit *licitator,* ſatis patet, quia hæc vox ſenſum augendi pretii ſemper habet: at *contra liceri* non ſolùm de eo dicitur qui pretium minuit; ſed de eo etiam, qui auget: Ut apud Cæſ. de bell. Gall. i. 18. Dumnorix dicitur, *complures annos portoria ——parvo pretio redemta habere, propterea quòd illo licente, contra liceri audeat nemo.* Hinc patet non ſatis fuiſſe Ciceronem dicere *contra liceri,* niſi addidiſſet, cujus in gratiam & commodum ille appoſitus liceatur. Quid igitur faciendum eſt? Ejiciemuſne voculam *ſe?* at omnes MSi, uno Manutiano excepto, eam exhibent. An verò recipiemus conjecturam Mureti? Is (in var. lect. xiv. 3.) legendum eſſe ſtatuit, *nec, qui contrà aſſe liceatur:* at in hac lectione eſt quod mihi non

que, ſi ad eloquendum venerit, [a] non plus, quàm ſemel, eloquetur. Q. quidem Scævola, P. filius, cùm poſtulâſſet, ut ſibi fundus, cujus emtor erat, [b] ſemel indicaretur, idque venditor ita feciſſet; dixit, ſe pluris æſtimare: addidit centum millia. Nemo eſt, qui hoc boni viri fuiſſe neget, ſapientis negant; [c] ut ſi minoris, quàm potuiſſet, vendidiſſet.

non ſatis ſe probat: Eſto enim, *aſſe* hic poni poſſe pro minimo pretio, quod Muretus dicit veteres feciſſe. Quî verò hic appoſitus proderit emtori? Ita parvi emere velle videtur, ut venditori non poſſet non eſſe ſuſpectum, talem ab emtore illo appoſitum fuiſſe. Ars igitur hæc dici non poſſit, ubi ars tam non celatur. Mihi quidem videtur Cicero potiùs ſcripſiſſe, *nec, qui contrà* à ſe *liceatur* &c. *à ſe*, i. e. in commodum ſuum; quod pretio minore, quàm par eſt, oblato fiat. Non inuſitatus eſt Ciceroni hic uſus præpoſitionis *à:* ſic enim in i. 13. de Orat. *Vide ne hoc, Scævola, totum ſit à me*, i. e. *pro me:* ſic etiam proferri poſſunt ex Lexicis hæc Ciceroniana, *à ſe potiùs quàm ab adverſariis ſtare*, *à ſenatu ſtare*, *à ſe facere*, *à ſententia ſtare:* in quibus omnibus præpoſitio *à* vim habet τῦ *pro*, notatque commodum ejus, ad quem reſpicit. Adde quòd præpoſitio *à* facilè è textu excidere potuit, à finali litera præcedentis vocis *contrà* abſorpta. Unum hoc jam monendus eſt lector (Anglicus præſertim), me inveniſſe in MSo Reg. quarto ſupra vocem *liceatur* ſcriptum inter lineas *abrocetur*, & ſupra *licitatorem* etiam *abrocatorem*. Hinc conjicere eſt, noſtrum verbum *a broker* ex verbo *abrocator*, mediæ ſeu potiùs infimæ Latinitatis fœtu, ſuam originem duxiſſe: Si quis videre volet, quàm nugari ſoleant in hac voce derivanda Etymologici, conſulat *Skinneri* Etymolog. Ling. Anglicanæ.

(a) *non plus, quàm ſemel, eloquetur*] Senſus eſt; Uterque indicabit quos nummos aut accepturus aut daturus ſit; & de eâ re nulla alia verba faciet.

(d) *ſemel indicaretur*] i. e. uno quaſi verbo indicaretur, quo pretio venalis eſſet.

(c) *ut ſi minoris, quàm potuiſſet, vendidiſſet.*] *Ut* hîc (quod monuit Eraſmus) habet ſignificationem Exempli; confert enim factum cum facto. Opinor ſenſum loci hunc eſſe; Ut non ſapientis eſſet (ſecundùm illos), ſi ille vendidiſſet aliquem fundum ſuum

diſſidet. Hæc igitur eſt illa pernicies, quòd alios bonos, alios ſapientes exiſtimant; ex quo Ennius, *nequicquam ſapere ſapientem, qui ſibi ipſe prodeſſe* [d] *non quit*. Verè id quidem, ſi, quid eſſet *prodeſſe*, mihi cum Ennio conveniret. Hecatonem quidem Rhodium, diſcipulum Panætii, video in iis libris, quos de officiis ſcripſit Q. Tuberoni, dicere, *Sapientis eſſe,* [e] *nihil contra mores, leges, inſtituta facientem, habere rationem rei familiaris: neque enim ſolùm nobis divites eſſe volumus, ſed liberis, propinquis, amicis, maximéque reipublicæ: ſingulorum enim facultates & copiæ, divitiæ ſunt civitatis.* Huic, Scævolæ factum, de quo paullo antè dixi, placere nullo modo poteſt:

ſuum minores, quam potuiſſet: Emere majoris (aiunt) eadem eſt ſtultitia ac vendere minoris. Non igitur aſſentiendum eſt Grævio, qui putat Ciceronem ſcripſiſſe, *ut minoris quidem, ſi potuiſſet, emiſſet*. Vox *emiſſet* extat (fateor) in editionibus Mogunt. & Bened. Brugnoli; ſed nulli MSi ſunt, quod ex editorum ſilentio conjicias, in quibus iſta vox reperitur.

(d) *non quit*] Ennii verſus (ait Langius), qui & hîc & in Epiſtola quadam fractus & emollitus eſt à Cicerone, hujuſmodi erat ex Medea,

——— *Qui ipſius ſibi*
Sapiens prodeſſe non quit, nec
quicquam ſapit,

In Epiſt. ad Fam. vii. 6. ſic ſe habet, *Qui ipſe ſibi ſapiens prodeſſe non quit, nequidquam ſapit*. Hinc patet reponendum fuiſſe *non quit*, vice *non quiret*, quod in vulgatis legitur editionibus.

(e) *nihil contra mores, leges,* &c.] Hinc, credo, illa Horatii ſalſa in Stoicos Romæ nonnullos, qui, cùm unici virtutis veræ ſatellites haberi vellent, fucum potiùs ipſi facerent, aut nervos ſucciderent. Epiſt. I. xvi. 40.

——— *Vir bonus*
eſt quis?
Qui conſulta patrum, qui leges juraque ſervat, &c.

Chapman.

poteſt: etenim omnino [f] tantùm ſe negat facturum compendii ſui cauſſa, quod non liceat. Huic nec laus magna tribuenda, nec gratia eſt. Sed ſive ſimulatio & diſſimulatio dolus malus eſt, perpaucæ res ſunt, in quibus dolus iſte malus non verſetur: ſive vir bonus eſt is, qui prodeſt quibus poteſt, nocet nemini; certè iſtum virum bonum non facilè reperiemus. Numquam igitur eſt utile peccare, quia ſemper eſt turpe: & quia ſemper eſt honeſtum, virum bonum eſſe, ſemper eſt utile.

XVI. Ac de jure quidem prædiorum ſancitum eſt apud nos jure civili, ut in his vendendis vitia dicerentur, quæ nota eſſent venditori. Nam cùm ex duodecim tabulis ſatis eſſet ea præſtari, quæ eſſent linguâ nuncupata, [g] quæ qui inficiatus eſſet, dupli pœnam ſubiret; à juriſconſultis etiam [h] reticentiæ pœna eſt conſtituta: quidquid enim eſſet in prædio vitii, id ſtatuerunt, ſi venditor ſciret, niſi nominatim dictum eſſet, præſtari oportere. Ut, [i] cùm in arce augurium augures acturi eſſent, juſſiſſentque T. Claudium Centumalum, qui ædes in Cœlio monte habebat,

(f) *tantum ſe negat facturum*] i. e. dicit, ſe id ſolum non facturum ſui emolumenti cauſſâ, quod leges & judicia ſupplicio vindicant.

(g) *quæ qui inficiatus eſſet*] i. e. quæ qui negaret ſe præſtiturum.

(h) *reticentiæ*] ſc. vitiorum quæ in eâ re, quæ venderetur, ineſſent.

(i) *cùm in arce augurium*] De

habebat, [a] demoliri ea, quorum altitudo officeret auſpiciis; Claudius proſcripſit inſulam: vendidit: emit P. Calpurnius Lanarius: huic ab auguribus illud idem denuntiatum eſt. Itaque Calpurnius, cùm demolitus eſſet, cognoſſetque Claudium ædes poſtea proſcripſiſſe, quàm eſſet ab auguribus demoliri juſſus, [b] arbitrum illum adegit, [c] *quidquid ſibi dare, facere oporteret ex fide bona.* M. Cato ſententiam dixit (hujus noſtri Catonis pater; ut enim cæteri ex patribus, ſic hic, qui lumen illud

De hac re vide, quæ dixit Val. Maximus in viii. 2.

(a) *demoliri ea, quorum*] Sic Victorius, & Lambinus; ſic etiam MSi quinque mei duo Manutii, cum multis aliis: Quidam verò MSi, & editiones habent *eas, quarum,* quod non probo. Intellige non ædes demoliendas fuiſſe, ſed eas ædium partes altiores, quarum altitudo officeret auſpiciis: nam Val. Maximus viii. 2. dicit eum juſſum fuiſſe ab Auguribus *altitudinem domûs ſuæ ſubmittere.*

(b) *arbitrum* illum *adegit*] *Arbiter* eſt, qui aut honoris cauſſâ deligebatur ab iis, qui controverſiam habuerint; aut à prætore dabatur, ut non ex certâ formulâ, quemadmodum judex, ſed ex æquo & bono controverſiam dirimeret. Vide (de diſcrimine *arbitri* & *judicis, arbitrii* & *judicii)* Orat. pro Roſc. Com. c. 4. 5. Val. Maximus, qui in viii. 2. hanc hiſtoriam iiſdem ſæpius verbis repetit, habet *arbitrum Claudio adduxit:* Fortaſſe ſcripſit Cicero, *arbitrum* illi *adegit:* ſc. fecit ut ea res in judicium veniret, & ut arbiter Claudio conſtitueretur. Ita cum caſu Dativo hanc vocem *adigere* Cicero alibi uſurpat. Nam in Topic. c. 10. occurrit, *quia fines magis agrorum videntur eſſe, quàm urbis, finibus regendis adigere arbitrum non poſſis.* Et ibid. *aquæ pluviæ arcendæ adigere non poſſis arbitrum.*

(c) *quidquid ſibi dare, facere* &c.] Hæc fuit formula juris, quâ is, qui peteret, poſcebat ut judex eum, à quo peteretur, obligaret ad ea ipſi danda & facienda, quæ ex fide bona & dari & fieri oporteret. Nam ita Val. Maximus in loco ſuprà citato, *arbitrum Claudio adduxit, & formulam, quicquid ſibi dare, facere oporteret ex fide bonâ.*

illud progenuit, ex filio eſt nominandus) his igitur judex ita pronuntiavit; Cùm in vendundo rem eam ſcîſſet, & non pronuntiâſſet, emtori damnum præſtari oportere. Igitur ad fidem bonam ſtatuit pertinere, (d) notum eſſe emtori vitium, quod noſſet venditor. Quod ſi rectè judicavit, non rectè frumentarius ille, non rectè ædium peſtilentium venditor tacuit. Sed hujuſmodi reticentiæ jure civili omnes comprehendi non poſſunt; quæ autem poſſunt, diligenter (e) tenentur. M. Marius Gratidianus, (f) propinquus noſter, (g) C. Sergio Oratæ vendiderat ædes eas, quas ab

(d) *notum eſſe emtori vitium*] Cùm hoc videatur dici, non de eo quod fuerit, ſed quod fieri debuerit, fortaſſis legendum eſt, *notum* ut eſſet *emtori vitium* &c.

(e) *tenentur*] Servantur, ait Maturantius: eas jus civile continet; eæ in juris civilis libris notantur.

(f) *propinquus noſter*] Avus Ciceronis (vidè de Leg. iii. 16) in matrimonio habuit ſororem M. Gratidii, cujus filius erat hic M. Marius Gratidianus (Brut. c. 45); ducto (ut videtur *Cl. Chapmanno*) Marii nomine à patre adoptivo Mario, celeberrimi C. Marii fratre.

(g) *C. Sergio Oratæ*] Is eſt planè qui in i. 39. de Orat. *Aurata* dicitur. *Nuper* (ibi ait Craſſus) *Cùm ego C. Sergii Auratæ contra hunc noſtrum Antonium judicio privato cauſſam defenderam, nonne omnis noſtra in jure verſata defenſio eſt? Cùm enim Marius Gratidianus ædes Auratæ vendidiſſet, neque ſervire quandam earum ædium partem in mancipii lege dixiſſet; defendebamus, quicquid fuiſſet incommodi in mancipio, id ſi venditor ſciſſet neque declarâſſet, præſtare debere.* Neque mirum quidquam, aut mutandum in Sergii nominè, quamvis hic *Aurata*, illic idem *Orata* nuncuperur; nam eodem prorſus redeunt duo iſta Cognomina, & utrumque ab eadem re tractum. Feſtus. *Orata genus piſcis appellabatur à colore auri, quod ruſtici Orum dicebant. —— Itaque Sergium quoque quendam prædivitem, quòd & duobus annulis aureis & grandibus uteretur, Oratam dicunt eſſe*

ab eiſdem ipſe paucis antè annis emerat. (h) Hæ Sergio ſerviebant: ſed hoc in mancipio Marius non dixerat. Adducta res in judicium eſt. Oratam Craſſus, Gratidianum defendebat Antonius. Jus Craſſus urgebat: quod vitii venditor non dixiſſet ſciens, id oportere præſtari. Æquitatem Antonius: quoniam id vitium ignotum Sergio non fuiſſet, qui illas ædes vendidiſſet, nihil fuiſſe néceſſe

eſſe appellatum. Macrobius Sat. ii. 11. *Sergius Orata cognominatus eſt, quòd ei piſces, qui Auratæ vocantur, cariſſimi fuerint.* Hæc ille ex Varr. de re ruſt. iii. 3. ubi eadem fere traduntur; unde porrò Columella viii. 16. *Sergius Orata,* inquit, & *Licinius Muræna captorum piſcium lætabantur vocabulis.* Conf. Plin. Hiſt. N. ix. 79. Ed. Hard. & Val. Max. ix. 1. qui omnes eum *Oratam* vocant, ut Cicero hîc & ii. 22. de Fin. Ita nempe ex veteri uſu & vulgi conſuetudine. At in Craſſi ore elegantius longè fuit *Aurata,* qui nempe, cùm eâ ætate, qua primò cognomen iſtud Sergio erat inditum, floruiſſet, ita eum indigitare debuerat, qualis utique in judicio ſeu foro apud actores accuratè deſignaretur. *Chapman.*

(h) *Hæ Sergio ſerviebant*] Servitutes ædium hæ ſunt: ut vicinus onera vicini ſuſtineat; ut in parietes ejus liceat vicino lignum immittere; aut ſtillicidium vel flumen recipiat quis in ædes ſuas vel cloacam, vel in area, vel non recipiat: & nè altiùs tollat quis ædes ſuas, nè luminibus vicini officiat. *P. Marſus.* Notandum autem videtur, non totas illas ædes Sergio ſerviiſſe, ſed earum partem ſolùm: Ita enim Cicero hoc ipſum narrans, in i. 39. de Orat. *neque ſervire quandam earum ædium partem in mancipii lege dixiſſet.* Notandum etiam eſt, quod hîc vocatur *in mancipio,* id ibi vocari pleniore modo *in lege mancipii.* Verba *in mancipio* ſic explicat Manutius, in ædium dominio transferendo cedendoque. Vide meas Notas in i. 39. de Orat. de ſenſu vocis *ſervire* & *mancipium.* In MSto Reg. 2. ſupra vocem *Sergio* ſcripta eſſe hæc verba *cuidam alii.* Rectè; ædes enim iſtæ non videntur ſerviiſſe ilii *Sergio,* qui eas Mario vendiderat, ſed cuidam alii ejuſdem nominis *Sergio.*

neceſſe dici: nec eum eſſe deceptum, qui id, quod emerat, quo jure eſſet teneret. Quorſum hæc? ut illud intelligas, non placuiſſe majoribus noſtris aſtutos.

XVII. Sed aliter leges, aliter philoſophi tollunt aſtutias: leges, quatenus manu tenere poſſunt; philoſophi, quatenus ratione & intelligentia. Ratio igitur poſtulat, ne quid inſidioſè, ne quid ſimulatè, ne quid fallaciter. Suntne igitur inſidiæ, tendere plagas, [i] etiam ſi excitaturus non ſis, nec agitaturus? ipſæ enim feræ nullo inſequente ſæpe incidunt: [a] ſic ſi tu ædes proſcribas; tabulam, tamquam plagam, ponas; domum propter vitia vendas; in eam aliquis incurrat imprudens; hoc quamquam video, propter depravationem conſuetudinis, neque more turpe haberi, neque aut lege ſanciri aut jure civili; tamen naturæ lege ſancitum eſt: ſocietas enim eſt (quod etſi ſæpe dictum eſt, dicendum tamen eſt ſæpius) latiſſimè quidem quæ pateat, omnium inter omnes; interior eorum, qui ejuſdem gentis ſunt; propior eorum, qui ejuſdem civitatis. Itaque majores aliud jus gentium, aliud jus civile eſſe voluerunt; quod civile, non idem continuò gentium; quod autem

(i) *etiam ſi excitaturus non ſis*] MSi tres Oxonienſes cum Reg. tertio habent *non ſis beſtiam:* at Mert. pr. *non ſis feras*. Hanc poſteriorem lectionem probo, cenſeoque vocem *feræ* in ſequentibus delendam eſſe; ubi etiam Lambinus ex conjectura legit *ſæpe in eas incidunt*.

(a) *ſic ſi tu ædes proſcribas*] Ita MSi Lameth. & Reg. tertius. Vulgò abeſt *ſi*.

autem gentium, idem civile eſſe debet. Sed nos veri juris germanæque juſtitiæ ſolidam & expreſſam effigiem nullam tenemus: umbra & imaginibus utimur: eas ipſas utinam ſequeremur! feruntur enim [b] ex optimis naturæ principiis & veritatis exemplis. Nam quanti verba illa! *uti ne propter te, fidemve tuam captus fraudatuſve ſiem:* quàm illa aurea! *ut inter bonos bene agier oportet, & ſine fraudatione.* Sed, qui ſint boni, & quid ſit bene agi, magna quæſtio eſt. Q. quidem Scævola, pontifex maximus, ſummam vim dicebat eſſe in omnibus iis arbitriis, in quibus adderetur, *ex fide bona*; fideique bonæ nomen exiſtimabat manare latiſſimè, idque verſari in tutelis, ſocietatibus, fiduciis, mandatis, rebus emtis, venditis, conductis, locatis, quibus vitæ ſocietas continetur: in his magni eſſe judicis ſtatuere, (præſertim cùm [c] in plerisque eſſent judicia contraria),

(b) *ex optimis naturæ principiis & veritatis exemplis*] In vulgatis editionibus non ineſt vox *principiis*, quæ tamen hæret edit. Manutii & Lambini, & neceſſaria ſenſui videtur. Quæ enim, quæſo, ſunt *exempla naturæ?* Equidem non video: ſed bene dicitur *principia naturæ*; ut in c. 12. *& ea habeas principia naturæ, quibus parere & ſequi debeas.* Nec deeſt vox *principiis* in nonnullis MSis tum Ciceronis, tum Lactantii, qui hunc locum citat in Div. Inſt. vi. 6.

(c) *in plerisque eſſent judicia contraria*] Hoc eſt; præſertim cùm plerique homines aliter judicant: vel (ut aliis placet) cùm in plerisque arbitriis judicia eſſent ſibi contraria; his arbitris uno modo, illis planè diverſo de re conſimili ſtatuentibus. Jac. Cujacius in Obſervat. ix. 2. ait *judicia contraria* hîc non ſigni-

traria), quid quemque cuique præſtare oporteret.

Quocirca aſtutiæ tollendæ ſunt, eaque (d) malitia, quæ vult illa quidem videri ſe eſſe prudentiam, ſed abeſt ab ea diſtatque plurimùm: prudentia eſt enim locata in delectu bonorum & malorum; malitia (ſi omnia, quæ turpia ſunt, mala ſunt) mala bonis anteponit. Nec verò in prædiis ſolùm jus civile, ductum à natura, malitiam fraudemque vindicat; ſed etiam in mancipiorum venditione fraus venditoris omnis excluditur: (e) qui enim ſcire debuit de ſanitate, de fuga, de furtis, præſtat edicto Ædilium. (f) Heredum alia cauſſa eſt. Ex quo intelligitur, quoniam juris natura fons ſit, hoc ſecundùm naturam eſſe, neminem id agere, ut ex alterius prædetur inſcientia: nec ulla pernicies vitæ major inveniri poteſt, quàm in

ſignificare contrarias actiones, ſed judicia hominum de rebus antea memoratis contrario modo ſentientium.

(d) *malitia, quæ vult —— videri ſe eſſe prudentiam*] In prioribus capitibus Cicero dixerat de iis quæ viderentur eſſe Utilia, ſed Juſtitiæ repugnarent; Hìc verò Utilia cum Prudentiâ, alio Honeſtatis fonte, comparat, uſque ad finem capitis 25. Eadem comparat cum Magnitudine animi in c. 26. uſque ad finem c. 32: Et cùm Decore, Moderatione &c. quarta Honeſtatis parte à cap. 33. uſque ad finem libri tertii.

(e) *qui enim ſcire debuit*] Scilicet, venditor, cui ignotum eſſe non potuit, an mancipium morboſum eſſet, an fugæ furtiſque deditum, cogitur edicto Ædilium id vitium præſtare emtori, quod reticuerat.

(f) *Heredum alia cauſſa eſt*] i. e. ii, qui mancipium ex hereditate habent, non tenentur id præſtare, quia hi ejus vitia facilè poſſunt ignorare.

in malitia [g] ſimulatio intelligentiæ; ex quo iſta innumerabilia naſcuntur, ut utilia cum honeſtis pugnare videantur: quotus enim quiſque reperietur, qui, impunitate & [h] ignoratione omnium propoſita, abſtinere poſſit injuria?

Periclitemur, ſi placet, in iis quidem ex- XVIII.
emplis, in quibus peccari vulgus hominum fortaſſe non putat. Neque enim de ſicariis, veneficis, [i] teſtamentariis, furibus, peculatoribus hoc loco diſſerendum eſt; qui non verbis ſunt & diſputatione philoſophorum, ſed vinculis & carcere [k] fatigandi: ſed hæc conſideremus, quæ faciunt ii, qui habentur boni. L. Minutii Baſili, locupletis hominis, falſum teſtamentum quidam è Græcia Romam attulerunt: [b] quod quo facilius obtinerent ſcripſerunt heredes ſecum M. Craſ-

(g) *ſimulatio intelligentiæ*] Hoc non dicitur de eo, qui ſe ſimulat eſſe intelligentem, cùm non ſit; ſed de eo, qui, quod malus facit, vult videri in eo ſe eſſe intelligentem: Eodem ſenſu dicitur *ſimulatio prudentiæ*, in c. 25. quam Cicero ibi ſic explicat, *cùm prudentiam vult imitari malitia.*

(h) *ignoratione omnium*] ſc. propoſito, ut omnes id, quod fecerit, ignorent. De hoc vocis *ignoratio* ſenſu vide Notam meam ad ii, 13.

(i) *teſtamentariis*] ſc. iis, qui falſa teſtamenta conficiunt & ſupponunt. Ita vox hæc ſignificat etiam in Orat. pro Sextio c. 17.

(k) *fatigandi*] Nonnulli codices habent *caſtigandi*; plures verò *fatigandi*: Et ita Nonius, qui dicit; *fatigare* eſt cohibere & comprimere.

(b) *quod quo facilius obtinerent*] *Obtinere* hîc idem eſt quod efficere, ut ratum eſſet illud falſum teſtamentum: Eodem fere modo, quo *obtinere cauſſam* aliquis dicitur, cùm ea Judicum ſententiis comprobetur.

ſum, & Qu. Hortenſium, homines (c) ejuſdem ætatis potentiſſimos: qui, cùm illud falſum eſſe ſuſpicarentur, ſibi autem nullius eſſent conſcii culpæ, alieni facinoris munuſculum non repudiaverunt. Quid ergo? ſatin' hoc eſt, ut non deliquiſſe videantur? mihi quidem non videtur; (d) quamquam alterum amavi vivum, alterum non odi mortuum. (e) Sed cùm Baſilus M. Satrium, ſororis filium, nomen ſuum ferre voluiſſet, eumque feciſſet heredem;

(c) *ejuſdem ætatis*] Ita MSi ſex mei & omnes Oxonienſes, duobus exceptis. Victorius verò, aliique etiam ex MSis ediderunt *ejuſdem civitatis*, quod non probo; quamvis huic lectioni ſuffragari videatur Val. Maximus, cùm hanc hiſtoriam memorans in ix. 4. dicit *potentiſſimos noſtræ civitatis viros*. Nam nemini Romano tum temporis, præſertim Ciceronis filio, ignotum eſſe potuit, Craſſum & Hortenſium fuiſſe *ejuſdem civitatis* (ſc. Romæ) *potentiſſimos*. *Ejuſdem ætatis* homines ſunt ii, qui *æquales* eſſe dicuntur, quia unà floruerunt. Hoc Craſſo & Hortenſio accidiſſe Cicero alibi dicit: Nam de Hortenſio in Bruto c. 64. ſic ſcribit, *Hoc loco voluimus ætatem ejus in diſparem oratorum ætatem includere. —— in eorum, quos in Sulpitii ætate poſui, numerum facilè pervenerat: & ſuos inter æquales M. Piſonem, M. Craſſum, Cn. Lentulum longè præſtitit.*

(d) *quamquam alterum*] Hoc de illis dico; in hoc illos deliquiſſe mihi videri affirmo, quamquam alterum amavi vivum &c. Hæc eſt hoc in loco vis vocis *quamquam*.

(e) *Sed cùm Baſilus M. Satrium*] Baſilus (ut mihi quidem videtur) teſtamento quodam M. Satrium, ſororis ſuæ filium, nomen ſuum ferre voluerat, & his inſuper verbis uſus fuerat, *hunc dico patronum agri Piceni & Sabini*; quibus vellet Satrium facere heredem ſuum, eique dare illum agrum, quem habuit inter Picenos & Sabinos. At poſt mortem Baſili, cùm in manus quorundam fortè venerit hoc teſtamentum, viderentque illi Baſilum non ipſiſſimis verbis ſcripſiſſe Satrium heredem, quædam verba in illud teſtamentum inſeruerunt (unde *falſum* erat teſtamentum), quibus ſe heredes ſcripſerint, unà cum

heredem; [f] *hunc dico patronum agri Piceni & Sabini:* (ô turpem notam temporum illorum!) num erat æquum, principes cives rem habere, ad Satrium nihil præter nomen pervenire? Etenim ſi is, qui non defendit injuriam neque propulſat à ſuis, cùm poteſt, injuſtè facit (ut in primo libro diſſerui); qualis habendus eſt is, qui non modò non repellit, ſed etiam adjuvat injuriam? Mihi quidem etiam veræ hereditates non honeſtæ videntur, ſi ſint [g] malitioſis blanditiis officiorum; non veritate, ſed ſimulatione quæſitæ. Atqui in talibus rebus aliud utile interdum, aliud honeſtum videri ſolet. Falſò: nam eadem utilitatis, quæ honeſtatis, eſt regula: qui hoc non perviderit, ab hoc nulla fraus aberit, nullum facinus: ſic enim cogitans,

Eſt

cum Craſſo & Hortenſio. Cùm verò de hoc teſtamento lis eſſet, Craſſus & Hortenſius contendebant nihil aliud ex iſtis Baſili verbis concludi potuiſſe, quàm *nomen* patroni agri Piceni & Sabini ad Satrium perveniſſe; hereditatem non item. Quòd ſi hereditas illa hac vera teſtamenti parte non eſſet Satrio aut alii cui data, dicebant illa altera (ſc. ficta) parte hereditatem ad ſe cæteroſque ſcriptos heredes jure perveniſſe.

(f) *hunc dico patronum agri* &c.] Vulgò, *hunc, ait, dico* &c. Sed vox *ait* abeſt à MSis tribus Regiis, Mead. duobus, & pleriſque Oxon. Nec illâ opus eſt. Subintellige *his verbis uſus*, vel *hac formula*. Patronus agri hîc idem videtur ſignificare, quod dominus agri: vide quæ Fabrus in ſuo theſauro Erud. Scholaſt. (v. *Patronus*) ex Hieronymo citavit. Et in Martinii Lex. Philol. dicitur, *Patronus*, dominus feudi, ſenior, à quo vaſallus beneficium accipit. An hoc ſenſu diceretur *patronus agri* in Baſili temporibus, videant ii, qui ſcientia juris civilis Romani ſatis inſtructi ſunt.

(g) *malitioſis blanditiis*] i. e. à malo animo profectis. Vide Not. ad iii. 14.

Eſt iſtue quidem honeſtum, verùm hoc expedit, res à natura copulatas audebit errore divellere; qui fons eſt fraudium, maleficiorum, ſcelerum omnium.

XIX. Itaque ſi vir bonus habeat hanc vim, ut, ſi digitis concrepuerit, poſſit in locupletium teſtamenta nomen ejus irrepere; hac vi non utatur, ne ſi exploratum quidem habeat, id omnino neminem umquam ſuſpicaturum. At ſi dares hanc vim M. Craſſo, ut digitorum percuſſione heres poſſet ſcriptus eſſe, qui re vera non eſſet heres, in foro, mihi crede, ſaltaret. Homo autem juſtus, iſque quem ſentimus virum bonum, nihil cuiquam, quod in ſe transferat, detrahet. Hoc qui admiratur, is ſe, quid ſit vir bonus, neſcire fateatur. At verò ſi quis voluerit [h] animi ſui complicatam notionem evolvere, jam ſe ipſe doceat, eum virum bonum eſſe, qui proſit quibus poſſit, noceat nemini, [i] niſi laceſſitus injuria. Quid ergo? hic non nocet, qui quodam quaſi veneno perficit, ut veros heredes

(h) *animi ſui complicatam notionem evolvere*] Singularis eſt vis ac venuſtas in his vocibus, quæ ducuntur unicè ex Platonis philoſophia. Ille *animi memoriam* docebat ex perſona Socratis eſſe *recordationem ſuperioris vitæ, nec fieri poſſe, ut à pueris tot rerum atque tantarum inſitas & quaſi conſignatas in animis notiones, quas ἐννοίας vocant, haberemus, niſi animus, antequam in corpus intravisſet, in rerum cognitione viguiſſet*, Tuſc. diſp. i. 24. Hinc utique *notio complicata* apud Noſtrum, quæ ſcilicet ex vita ſuperiore jamdiu hauſta cùm in hac animo renaſcentium inhæreret, convoluta arctiùs ac compreſſa, *evolventi* illico *explicaret* ſeſe, ac lumen diffunderet. *Chapman.*

(i) *niſi laceſſitus injuria*] Vide quæ dixi in Notá ad i. 7.

hæredes moveat, in eorum locum ipſe ſuccedat? *Non igitur faciat* (dixerit quis) *quod utile ſit, quod expediat?* Imò intelligat, nihil nec expedire, nec utile eſſe, quod ſit injuſtum. Hoc qui non didicerit, bonus vir eſſe non poterit. Fimbriam conſularem audiebam de parte noſtro puer judicem M. Lutatio Pinthiæ fuiſſe, equiti Romano ſanè honeſto, cùm is (a) ſponſionem feciſſet, *ni vir bonus eſſet*: itaque ei dixiſſe Fimbriam ſe illam rem numquam judicaturum; ne aut ſpoliaret famâ probatum hominem, ſi contra judicâſſet; aut ſtatuiſſe videretur, virum bonum aliquem eſſe, cùm ea res innumerabilibus (b) officiis & laudibus contineretur. Huic igitur viri bono, quem Fimbria etiam, non modò Socrates noverat, nullo modo videri poteſt quidquam eſſe utile, quod non honeſtum ſit. Itaque talis vir non modò facere, ſed ne cogitare quidem quidquam audebit, quod non audeat prædicare. Hæc nonne eſt turpe dubitare philoſophos, quæ ne ruſtici quidem dubitent? à quibus natum eſt id, quod jam tritum eſt vetuſtate proverbium: cùm enim fidem alicujus bonitatemque laudant,

(a) *ſponſionem feciſſet*] i. e. depoſuiſſet pecuniam, quam amiſſurus eſſet, ni in judicio probare poſſet ſe virum bonum eſſe.

(b) *officiis & laudibus*] i. e. officiis, quæ laudi ſunt illi, qui iis rectè fungitur. Non aliter bonitas *laudibus continetur*, quibus (ſi verè dicas) etiam abſentibus, aut bono viro non delatis, non minùs bonitas ſuam habet naturam, & ſe ſatis tuetur.

dant, dignum eſſe dicunt, *quicum* [c] *in tenebris mices*. Hoc quam habet vim, niſi illam, Nihil expedire, quod non deceat, etiam ſi id poſſis [d] nullo refellente obtinere? Videſne igitur, hoc proverbio neque Gygi illi poſſe veniam dari, neque huic, quem paullo ante fingebam digitorum percuſſione [e] hereditates omnium poſſe convertere? ut enim, quod turpe eſt, id quamvis occultetur, tamen honeſtum fieri nullo modo poteſt; ſic, quod honeſtum non eſt, id utile ut ſit, effici non poteſt adverſante & repugnante natura.

At

(c) *in tenebris mices*] *Micare* eſt, levatis aut depreſſis ab utroque ludentium digitis, divinare pareſne an impares ſint ab utroque levati: quod in tenebris ſciri non poteſt, niſi plenâ fide ſit quîcum ludas, ut verè dicat quot levârit. *Aſcenſius*.

(d) *nullo refellente*] i. e. cùm nemo poterit probare, te injuſtè feciſſe.

(e) *hereditates omnium poſſe convertere*] Per *hereditates* ne intelligas ipſas pecunias, fundos &c. quæ res ſæpius hac voce ſignificantur (vide Top. c. 6.) ſed jus eas res poſſidendi ex teſtamentis acquiſitum. Hoc ſenſu in priore capite *veræ hereditates* dicuntur; nam, quatenus poſſidentur, omnes hereditates *veræ* ſunt. *Convertere* hîc idem valet quod mutare; ut in Orat. c. 6. *ad permovendos & convertendos animos inſtructi & parati:* & in Horat. A. P. 166. *converſis ſtudiis:* & Epiſt. I. xvii. 26. *vitæ via ſi converſa decebit*. Ergo *convertere* (ſive mutare) *hereditates* non aliud eſt, quàm efficere, ut is, qui non ſit revera heres, omnium ſcriptus ſit heres; vel, in omnium teſtamentis nomina eorum delere, qui veri ſunt heredes, ſuumque nomen in eorum loco inſerere. Contra Seneca in Conſtant. Sap. c. 9. (notante J. Fr. Gronovio) dicit, *ſi magno labore adſectata hereditas averſa eſt*: Et ita Cicero in Ep. ad Fam xii. 26. *ne patiare Erotem Thurium —— hereditatem Thurianam avertere*. Lambinus tamen legendum eſſe cenſuit *converrere* ex duobus libris ſuis antiquiſſimis, quod & habuit vetus codex Nannii: ſed omnes fere alii MSi retinent

At enim, cùm permagna præmia ſunt, eſt cauſſa peccandi. C. Marius, cùm à ſpe conſulatûs longè abeſſet, & jam ſeptimum annum poſt præturam jaceret, neque petiturus umquam conſulatum videretur, Qu. Metellum, cujus legatus erat, ſummum virum & civem, cùm ab eo, imperatore ſuo, Romam miſſus eſſet, apud populum Romanum criminatus eſt: [f] bellum illum ducere; ſi ſe conſulem feciſſent, brevi tempore aut vivum aut mortuum Jugurtham ſe in poteſtatem populi Romani redacturum. Itaque factus eſt ille quidem conſul; ſed à fide juſtitiaque diſceſſit, qui optimum & graviſſimum civem, cujus legatus & à quo miſſus eſſet, in invidiam falſo crimine adduxerit. [g] Ne noſter quidem Gratidianus officio boni viri functus eſt tum, cùm prætor eſſet, collegiumque prætorum tribuni plebis adhibuiſſent, ut res nummaria de communi ſententia conſtitueretur: [h] jactabatur enim temporibus illis nummus XX.

ſic,

nent *convertere*, & hujus vocis ſenſum, loco accommodum, videor ſatis explicâſſe.

(f) *bellum illum ducere*] Omnes fere MSi habent *illum*, quam vocem ideo, opinor, omiſerunt editores, quia præceſſerat *Metellum:* at loco meliùs, quàm olim, interpuncto, feci, ut ſuus eſſet & locus & vis voci *illum*.

(g) *Ne noſter quidem Gratidianus*] Intelligit M. Marium Gratidianum, quem in c. 16. vocat *propinquum* ſuum: Ergo hîc dicitur *noſter*. Vide Not. ad c. 16.

(h) *jactabatur* &c] Car. Langius & Dion. Lambinus hanc pericopen à Cicerone abjudicârunt, quamquam ipſis fatentibus reperiatur in omnibus MSis tum antiquis tum recentibus. Quidnam eos in hanc ſententiam impulerit, haud ſatis conſtat, neque putem ſanè aliam ſubeſſe rationem, niſi id ſolum, quòd de

ipſâ

ſic, ut nemo poſſet ſcire, quid haberet. Conſcripſerunt communiter edictum cum pœna atque [i] judicio; conſtitueruntque, ut omnes ſimul in roſtra poſt meridiem [a] deſcenderent: &

ipſa hiſtoriola nihil quidquam aliunde reſciverant. At lucem Ciceroni egregiam præbet in hac re Plinius; qui poſtquam tradidiſſet, *denario* (argenteo) *miſcuiſſe ferrum Antonium Triumvirum*, alios *æra falſæ monetæ*; ab aliis aliquid *de juſto pondere* ſubtractum, hæc addit de *Gratidiano* noſtro, *Igitur ars facta denarios probare, tam jucundâ lege plebi, ut Mario Gratidiano vicatim totas ſtatuas dicaverit. Mirumque, in hâc* (lege) *artium ſola vitia diſcuntur, & falſi denarii ſpectatur exemplar*. Hiſt. Nat. xxxiii. c. 46. Edit. Harduini. Ubi obiter ipſe Plinii textus ex Noſtro emendari poſſit luculentè, ſi pro *totas ſtatuas* quod eſt planè infacetum, legas, *thus & ſtatuas*. Id quod etiam ex *Seneca* confirmari poteſt, quem Plinius videtur reſpexiſſe cùm ſua ſcriberet; *M. Mario* (inquit Seneca), *cui vicatim populus ſtatuas poſuerat, cui thure & vino —— ſupplicabat, L. Sylla perfringi crura, erui oculos, amputari manus juſſit*. De Irâ l. iii. c. 18. Quin & iterum tangit rem eandem Plinius, in xxxiv. 6. ubi fuſè de Statuis in honorem virorum illuſtrium poſitis, *Statuerant Romæ etiam in omnibus vicis C. Mario Gratidiano Tribus, ut diximus, eaſdemque ſubvertêre Syllæ introitu*. Ubi rurſum corrigendus vel ipſe Plinius vel potius recentior librarius, qui *C. Mario* efferebat pro *M. Mario*. Et his igitur demum elucescit, *quis nummus* jactabatur, Prætore Gratidiano, & quo plebem munere is ſedulò delinivérit, nec minus quid item velit *Edictum cum pœnâ atque judicio*, nimirum cum *judicio* de nummis veris & adulterinis, quo pacto *denarii probentur*, quid metalli vel ponderis omnes ferre deberent ex legis formula. *Chapman*.

Pro *totas ſtatuas* malim *togatas ſtatuas*, quod eſt in marg. ed. Dal. Hæ ſtatuæ Marii *togatæ* erant; cæteræ *ornatu fere militari*. i. 18. de Off. *Pearcius*.

(i) *judicio*] Fortaſſe, cum modo quodam & regula id crimen judicandi.

(a) *deſcenderent*] Quia plerique procerum habitabant in collibus, & fora erant humiliora, dicebantur Romæ deſcendere, cùm prodirent in publicum, licet non habitarent in editioribus urbis locis. Cicero in Or. Verr. 2. *Poſtridie manè deſcendit: Agathinum ad ſe vocat*. Idem in Or. Philip. 2. *Hodie non deſcendit*

& cæteri quidem alius alio; [b] Marius à ſubſelliis in roſtra rectà, idque, quod communiter compoſitum fuerat, ſolus edixit: & ea res, ſi quæris, ei magno honori fuit: omnibus vicis ſtatuæ: ad eas thus & cerei: quid multa? nemo umquam multitudini fuit carior. Hæc ſunt, quæ conturbant in deliberatione nonnumquam, cùm id, in quo violatur æquitas, non ita magnum; illud autem, quod ex eo paritur, permagnum videtur: ut Mario, præripere collegis & tribunis plebis popularem gratiam, non ita turpe; conſulem ob eam rem fieri, quod ſibi tunc propoſuerat, valde utile videbatur. Sed omnium una regula eſt, quam tibi cupio eſſe notiſſimam: Aut illud, quod utile videtur, turpe ne ſit; aut, ſi turpe eſt, ne videatur eſſe utile. Quid igitur? poſſumuſne aut illum Marium virum bonum judicare, aut hunc? Explica atque excute intelligentiam tuam, ut videas, quæ ſit in ea ſpecies, forma, & notio viri boni. Cadit ergo in virum bonum mentiri emolumenti ſui cauſſa, criminari, præripere, fallere? nihil profectò minùs. Eſt ergo ulla res tanti, aut commodum ullum tam expetendum, ut viri boni & ſplendorem & nomen amittas? quid eſt, quod afferre tantum utilitas

ſcendit Antonius. Grævius. Vide alia exempla quæ Cl. R. Bentleius attulit in Not. ad Horat. Ep. I. xx. 5.

(b) *Marius*] Sc. Gratidianus, de quo ſuprà. Vocatur M. Marius Gratidianus in cap. 16.

utilitas iſta, quæ dicitur, poſſit, quantum auferre, ſi boni viri nomen eripuerit, fidem juſtitiamque detraxerit? Quid enim intereſt, utrum ex homine [c] ſe convertat quis in beluam, [d] an in hominis figura immanitatem gerat beluæ?

XXI. Quid? qui omnia recta & honeſta negligunt, dummodo potentiam conſequantur, nonne idem faciunt quod is, [e] qui etiam ſocerum habere voluit eum, cujus ipſe audacia potens eſſet? Utile ei videbatur plurimùm poſſe alterius invidiâ: id quàm injuſtum in patriam, [f] [quam inutile], & quàm turpe eſſet, non videbat. Ipſe autem ſocer in ore ſemper Græcos verſus de Phœniſſis habebat, quos dicam ut potero, inconditè fortaſſe, ſed tamen ut res poſſit intelligi:

Nam,

(c) *ſe convertat quis*] Alii ediderunt, *ſe quis conferat:* Sed ſequor editiones Victorii, Mogunt. & Rom. MSos etiam omnes meos & Oxonienſes, qui cum Lambini codicibus habent *convertat quis*. Hæc lectio majore auctoritate nititur; illa verò non placet, quia Poeticè ſonare videtur.

(d) *an in hominis figura*] Ita MSSi Mead. ſec. & Miſſ. & editiones nonnullæ veteres: & huic ſimile eſt quod dicitur in c. 6. *ſic iſta, in figurâ hominis, feritas & immanitas beluæ* &c. Minùs placet quod hodie vulgò editur, *an hominis figura immanitatem gerat beluæ.*

(e) *qui etiam ſocerum*] Intellige Pompeium, qui Juliam, Cæſaris filiam, in matrimonio habuit.

(f) *quàm inutile*] Hæc verba abſunt à tribus MSis Manutii, à MSo Mead. pr. & Regio tertio, atque etiam tribus Oxonienſibus; neque hîc locum habere, opinor, debuerunt: Num hoc Cicero voluit, eum non vidiſſe *quàm inutile* eſſet *ſibi?* at majus quiddam antea dixerat, etiam *utile ei viſum eſſe.* Num igitur hoc voluit; *quàm inutile patriæ?* at hoc multo minus eſt, quàm quod præcederet, *quàm injuſtum in patriam?*

Nam, ſi violandum eſt jus, regnandi gratia
Violandum eſt: aliis rebus pietatem colas.

[g] Capitalis [h] Eteocles, vel potiùs Euripides, qui id unum, quod omnium ſceleratiſſimum [i] fuerit, exceperit. Quid igitur minuta colligimus, hereditates, mercaturas, venditiones fraudulentas? Ecce tibi, qui rex populi Romani, dominuſque omnium gentium eſſe concupierit, idque perfecerit. Hanc cupiditatem

(g) *Capitalis*] i. e. qui ſupplicium capitis meretur: Sic Noſter alibi dicit, *capitalis homo*, & *capitalis hoſtis*: & in ii. 21. *capitalis oratio*, pro eâ, quâ qui utitur, dignus eſt capitis ſupplicio.

(h) *Eteocles, vel potiùs Euripides*] Valde ſuſpectus eſt mihi hic locus. Quî enim Cicero potuit dicere capitalem fuiſſe ob hos verſus *Euripidem*, quibus ſolùm loquentis perſonæ ſervierit? Audi Ciceronis ipſius de hâc re ſententiam. In i. 18. dicit, *tum ſervare illud poëtas dicimus, quod deceat, cùm id, quod quâque perſonâ dignum eſt, & fit & dicitur.* In eodem capite cùm citâſſet iſta, *Oderint, dum metuant*, & *natis ſepulcro ipſe eſt parens*, addit, *Atreo dicente plauſus excitantur: eſt enim digna perſonâ oratio.* Et mox, *poëtæ in magnâ varietate perſonarum etiam vitioſis quid conveniat, & quid deceat, videbunt.* Item in iii. 29. cùm citâſſet illud, *Neque dedi neque do fidem infideli cuiquam*, ſubjungit Cicero, *idcirco rectè à poëtâ; quia, cùm tractaretur Atreus, perſonæ ſerviendum fuit.* Hinc (opinor) ſatis patet Ciceronem non voluiſſe *Euripidem* dicere *capitalem*. Unde nata eſt mihi conjectura hunc verborum ordinem ſequendum eſſe, *Capitalis Euripides, vel potiùs Eteocles:* Aut (quod magis placet) *Capitalis Eteocles, vel potius Noſter*, ſc. C. Julius Cæſar; de quo Cicero anteà locutus eſt, & de quo in ſequentibus dicit, *Ecce tibi, qui rex populi Romani, dominuſque omnium gentium eſſe concupierit, idque perfecerit.* Vide etiam quæ de illo dicit in i. 8.

(i) *fuerit*] Ita MSi Mead. pr. Reg. tert. & Cant. (Mead. ſec. *fuit*) pro vulgato *fuerat*, quod non placet: quia non ſolùm in tempore præterito, ſed tum etiam temporis, cùm Cicero hoc ſcripſerit, omnium ſceleratiſſimum fuerit.

tem ſi honeſtam quis eſſe dicit, amens eſt: probat enim legum & libertatis interitum, earumque oppreſſionem tetram & deteſtabilem, glorioſam putat. Qui autem fatetur, honeſtum non eſſe in ea civitate, quæ libera fuit, quæque eſſe debeat, regnare, ſed ei, qui id facere poſſit, eſſe utile; qua hunc objurgatione, aut quo potiùs convitio à tanto errore coner avellere? poteſt enim (dii immortales!) cuiquam eſſe utile fœdiſſimum & teterrimum parricidium patriæ; quamvis is, qui ſe eo obſtrinxerit, ab oppreſſis civibus *Parens* nominetur? Honeſtate igitur dirigenda utilitas eſt, & quidem ſic, ut hæc duo verbo inter ſe diſcrepare, re tamen unum ſonare, videantur. [a] Nunc abeo ad vulgi opinionem: Quæ major utilitas, quàm regnandi, eſſe poſſit? Nihil contrà inutilius ei, qui id injuſtè conſecutus ſit, invenio, cùm ad

(a) *Nunc abeo ad vulgi opinionem:*] Hoc eſt; Nunc à veritate abeo ad vulgi opinionem in iis, quæ dicturus ſum: ſc. *Quæ major utilitas* &c.? *Abire* ad aliquem, aut ad aliquam rem, (non additâ re, à quâ abitur) non ignota eſt Ciceroni loquendi formula. Sic in Tuſc. diſp. i. 14. *Abiit ad Deos Hercules*, ſc. à terrâ. Sic etiam in hujus operis i. 37. dicitur, *etiam ſi aberrare ad alia cœperit, ad hæc revocetur oratio.* Adde quòd ſatis innuit Noſter ſe uſum eſſe verbo *abire*; quia mox addit, *cùm ad veritatem cœpi revocare rationem:* à veritate igitur abierat. Miror equidem hanc lectionem Grævio fatuam viderí, cùm ſe tam commodo ſenſu tuetur, cúmque extet in MSis Mead. pr. Gron. Lameth. Mill. Cant. Reg. ſec. & quarto & omnibus fere Oxon. item in Edit. Victorii, multiſque aliis veteribus. Qui cum vulgatis libris legunt *Non habeo ad vulgi opinionem* & ſubintelligunt *dicere*, non mihi videntur curare, quid Ciceroni aut uſitatum ſit, aut conſentaneum dicere.

ad veritatem cœpi revocare rationem: poſſunt enim cuiquam eſſe utiles angores, ſollicitudines, diurni & nocturni metus, vita inſidiarum periculorumque pleniſſima?

Multi iniqui atque infideles regno, pauci ſunt boni,

inquit Accius. At cui regno? quod, à Tantalo & Pelope proditum, jure obtinebatur. Nam quanto plures ei regi putas, qui exercitu populi Romani populum ipſum Romanum oppreſſiſſet, civitatemque non modò liberam, ſed etiam gentibus imperantem, ſervire ſibi coegiſſet? Hunc tu quas conſcientiæ labes in animo cenſes habuiſſe? quæ vulnera? Cujus autem vita ipſi poteſt utilis eſſe, cùm ejus vitæ ea conditio ſit, ut, qui illam eripuerit, in maxima & gratia futurus ſit & gloria? Quòd ſi hæc utilia non ſunt, quæ maximè videntur, quia plena ſunt dedecoris ac turpitudinis; ſatis perſuaſum eſſe debet, nihil eſſe utile, quod non honeſtum ſit.

[b] Quamquam id quidem, cùm ſæpe alias, tum Pyrrhi bello à C. Fabricio, conſule iterum, & à ſenatu noſtro judicatum eſt. Cùm enim rex Pyrrhus populo Romano bellum ultro intuliſſet, cúmque de imperio certamen eſſet cum rege generoſo ac potente; perfuga ab XXII.

(b) *Quamquam id quidem*] Legendum omnino, *Quamobrem*; eo quòd hac voce Cicero non reprimit ſuperiora, ſed confirmat exemplo. Simile mendum notavi ſupra ad ii. 12. *Chapman.*

ab eo venit in caſtra Fabricii, eique eſt pollicitus, ſi præmium ſibi propoſuiſſet, ſe, ut clam veniſſet, ſic clam in Pyrrhi caſtra rediturum, & eum veneno necaturum. Hunc Fabricius reducendum curavit ad Pyrrhum; idque factum ejus à ſenatu laudatum eſt. Atqui ſi ſpeciem utilitatis opinionemque quærimus, magnum illud bellum perfuga unus, & gravem adverſarium imperii ſuſtuliſſet: ſed magnum dedecus & flagitium, quicum laudis certamen, fuiſſet, eum non virtute, [c] ſed ſcelere ſuperatum. Utrum igitur utilius vel Fabricio, qui talis in hac urbe, qualis Ariſtides Athenis fuit, vel ſenatui noſtro, [d] qui numquam utilitatem à dignitate ſejunxit, armis

(c) *ſed ſcelere ſuperatum*] Rectè hic Cicero utitur participio præteriti temporis; quia ex præcedentibus ſubintelligenda ſunt ad explendam ſententiam verba, *ſi perfuga unus gravem adverſarium ſuſtuliſſet.*

(d) *qui numquam utilitatem* &c] Cicero paullo infra, de temporibus agens ævum Fabricii ſequentibus, dicit, *Ei* (Philippo) *Senatus eſt aſſenſus: turpe imperio; piratarum enim melior fides quàm Senatûs.* Et in c. 11. *utilitatis ſpecie in republicâ ſæpiſſime peccatur, ut in Corinthi diſturbatione noſtri.* Nè igitur Cicero ſibi ipſe contradicere videatur, legendum eſſe puto, *qui* tum *numquam utilitatem à dignitate ſejunxit.* Grævius tamen vulgatam lectionem retinet, &, ut Ciceronem ſibi conciliet, docet hoc loquendi genus omnibus linguis & ſcriptoribus eſſe commune; quo utuntur de eo quod plerumque & omni propemodum tempore fit, quaſi numquam non fieret. At veriùs hoc dici poteſt (opinor) de affirmantibus ſententiis, quàm de negantibus. Si Cicero dixiſſet, *Senatus dignitati reipublicæ ſemper conſulit,* hoc verum eſſet, ſemel licet aut iterum ei non conſuluerit, quia plerumque conſulere ſolebat. At, cùm in hâc, de quâ agimus, ſententiâ occurrit negativum adverbium *numquam,* vereor ut hic locus duobus anteà citatis locis conciliari queat: quapropter vocem *tum* recipiendam eſſe judico.

armis cum hoſte certare, an venenis? Si gloriæ cauſſâ imperium expetendum eſt, ſcelus abſit, in quo non poteſt eſſe gloria: ſin ipſæ opes expetuntur quoquo modo, non poterunt utiles eſſe cum infamia. Non igitur utilis illa L. Philippi, Qu. filii, ſententia: Quas civitates L. Sylla, pecunia accepta, ex ſenatuſconſulto liberaviſſet, ut hæ rurſus vectigales eſſent; neque his pecuniam, quam pro libertate dederant, redderemus. Ei ſenatus eſt aſſenſus: [e] turpe imperio: piratarum enim melior fides, quàm ſenatûs. At aucta vectigalia; utile igitur. Quouſque audebunt dicere quidquam utile, quod non honeſtum? Poteſt autem ulli imperio, quod gloria fultum eſſe debet & benevolentia ſociorum, utile eſſe odium & infamia? Ego etiam cum Catone meo ſæpe diſſenſi: nimis mihi præfractè videbatur ærarium vectigaliaque defendere, [f] omnia publicanis negare, multa ſociis: cùm in

(e) *turpe imperio*] ſc. hoc dedecori fuit ipſi imperio Romano.

(f) *omnia publicanis negare* &c.] Vectigalia provinciis impoſita erant, aut *certa*, quæ ſtipendia dicebantur, aut *incerta*, ſeu ea quæ ex annuis proventibus orirentur, qualia erant *portoria* ſeu tributa ex mercibus ultro citroque devehendis; *decumæ* frumentariæ ab agri publici cultoribus; *ſcriptura* ſeu quinta ex ſylvis & paſcuis publicis &c. Hæc autem *incerta* vectigalia redimi ſolebant quotannis à Cenſoribus ad haſtam, ab iis qui vocabantur *publicani*, datis modò reipublicæ ſponſoribus, ni ipſi ſolvendo eſſent. Hinc maxima Reipublicæ commoda, ipſique ordini publicanorum haud parva dignitas: *Flos* nempe *Equitum Romanorum*, ut ait Cicero in Or. pro Planc. c. 9. *eo ordine continebatur*. Unde ad Quintum fratrem, cùm haberet ille provinciam, ſic ſcripſit, *Potes etiam*

in hos benefici eſſe deberemus, cum illis ſic agere, ut cum colonis noſtris ſoleremus; eoque magis, quo illa ordinum conjunctio ad ſalutem reipublicæ pertinebat. Malè etiam Curio; cùm cauſſam Tranſpadanorum æquam eſſe dicebat, ſemper autem addebat, *Vincat utilitas.* Potiùs diceret, non eſſe æquam, quia non eſſet utilis reipublicæ, [g] quàm, cùm utilem eſſe diceret, non eſſe æquam fateretur.

XXIII. Plenus eſt ſextus liber de officiis Hecatonis talium quæſtionum: Sitne boni viri in maxima caritate annonæ [h] familiam non alere? In utramque

am tu id facere, ut commemores (Græcos), *quanta ſit in publicanis dignitas, quantum nos illi ordini debeamus: ——Hoc ab eis petas, ut facilitate ſua nos eam neceſſitudinem, quæ eſt nobis cum publicanis, obtinere & conſervare patiantur.* Ad Quint. Ep. I. i. c. 12. Hæc autem ni probè intelligantur, parum liqueat, quorſum iſta de *publicanis* apud Noſtrum, *eoque magis, quo illa ordinum conjunctio ad ſalutem Reipublicæ pertinebat*; quippe quæ de ordinum Equitum & Senatorum conjunctione dicuntur. *Chapman.*

(g) *quàm, cùm utilem eſſe diceret* &c.] Meritò doctis ſemper diſplicuit vulgata hujus loci lectio; quamvis aut nihil, aut fere nihil ab aliâ recedant MSi. Curio dixerat, id, quod petebant Tranſpadani (ſc. jus civitatis), æquum fuiſſe, ſed minimè utile reipublicæ, ut iis concederetur; ideoque repudiandum fuiſſe, ut illam æquitatem *vinceret* utilitas reipublicæ. Credaſne igitur Ciceronem hic voluiſſe de Curione dicere, *cùm utilem eſſe diceret*, & *non eſſe æquam fateretur*, ſc. cauſſam Tranſpadanorum? Mihi quidem videtur hoc ab ejus manu profectum eſſe, *Potiùs diceret, non eſſe æquam, quia non eſſet utilis reipublicæ, quàm* non *utilem eſſe diceret*, cùm *eſſe æquam fateretur*: Nec ab hac lectione multùm abit Lambini conjectura, *quàm, cùm utilem* non *eſſe diceret, eſſe æquam fateretur*: at locum conjunctionis *cùm* mutandum fuiſſe facilè is (opinor) videbit, qui ſententiam totam paullo accuratiùs expendet.

(h) *familiam non alere*] ſc. Servos ſuos; nam de iis ſolùm hæc quæſtio intelligenda eſt: Lactantius in Div. Inſt.

iv,

utramque partem diſputat: ſed tamen ad extremum [i] utilitate, ut putat, officium dirigit magis, quàm humanitate. Quærit, ſi in mari jactura facienda ſit, equine pretioſi potius jacturam faciat, an ſervuli vilis? Hîc [a] aliò res familiaris, aliò ducit humanitas. Si tabulam [b] de naufragio ſtultus arripuerit, extorquebitne eam ſapiens, ſi potuerit? Negat, quia ſit injurium. Quid? dominus navis eripietne ſuum? Minimè: non plus, quàm ſi navigantem in alto ejicere de navi velit, quia ſua ſit: quoad enim perventum ſit eo, quo ſumta navis eſt, non domini eſt navis, ſed navigantium. Quid ſi in una tabula ſint duo naufragi, æquè ſapientes? ſibine [c] uterque rapiat, an alter cedat alteri?

Cedat

iv. 3. de voce *paterfamilias* locutus, addit, *nomen* patris *complectitur etiam ſervos, quia familias ſequitur.* Et Cicero in Ep. ad fam. xiv. 4. ſervos manumiſſos vocat *familiam liberatam.*

(i) *utilitate*, ut *putat, officium* dirigit &c.] Ita MSi quatuor Oxon. MSi Mead. pr. & Pal. ſecundus: Itemque editio Victorii & Rom. pr. habetque *ut* MSus Pal. pr. Hanc lectionem ideo ſequor, quia improbare videtur (ut reverà improbandum fuit) judicium Hecatonis: innuit enim eam utilitatem non eſſe, ſed videri, quæ humanitati ita repugnaret. De Hecatonis in hujuſmodi rebus judicio Noſter dixerat in c. 15. *omnino tantùm ſe negat facturum compendii ſui cauſſâ, quod non liceat: Huic nec laus magna tribuenda, nec gratia eſt.* In vulgata lectione, *utilitate putat officium* dirigi *magis, quàm humanitate,* deeſt neceſſaria (ut videtur) vox *oportere.*

(a) *aliò res familiaris* &c.] His verbis Cicero videtur ſignificare Hecatonem dubitâſſe quid in hâc re faciendum eſſet.

(b) *de naufragio*] ſc. tabulam de nave fractâ vi undarum avulſam.

(c) *uterque rapiat*] Vulgò, *uter*; & interpretes dicunt *uter* idem ſignificare quod *utervis* aut *uterque*: Mihi tamen non

ſatis

Cedat [d] verò; ſed ei, cujus magis interſit, vel ſua, vel reipublicæ cauſſa vivere. Quid ſi hæc paria in utroque? Nullum erit certamen, ſed, [e] quaſi ſorte aut micando victus, alteri cedat alter. Quid ſi pater fana expilet, cuniculos agat ad ærarium? indicetne id magiſtratibus filius? Nefas id quidem eſt: quinetiam defendat patrem, ſi arguatur. Non igitur patria præſtat omnibus officiis? Imò verò: ſed ipſi patriæ conducit, pios cives habere in parentes. Quid ſi tyrannidem occupare, ſi patriam prodere conabitur pater? ſilebitne filius? Imò verò obſecrabit patrem, ne id faciat: ſi nihil proficiet, [f] accuſabit, minabitur etiam: ad extremum, ſi ad perniciem patriæ res ſpectabit, patriæ ſalutem anteponet ſaluti patris. Quærit etiam, ſi ſapiens adulterinos nummos acceperit

ſatis conſtat Ciceronem hanc vocem in hoc ſenſu alibi uſurpâſſe. Sequor igitur lectionem Victorii, Manutii, & Gruteri, cui multi MSi ſuffragantur.

(d) *Cedat verò*] i. e. *cedat verò* alter alteri; *ſed* ille, cui alter cedat, is ſit, cujus &c.

(e) *quaſi ſorte aut micando victus*] Opinor Ciceronem voluiſſe dicere, His ſapientibus utendam eſſe ſortem aut micationem: aliter non dicitur, quo modo efficiendum ſit, ut alter eorum alteri cedat. Quapropter Cicero mihi videtur ſcripſiſſe, *ſed ſorte aut micando victus*, omiſſâ voce *quaſi*. Scilicet in quodam MSo olim (ut hodie etiam) extabat *fortè* pro *ſorte*; quam vocem *fortè* ut explicaret librarius, in margine codicis appoſuit *quaſi*; unde in textum iſtud *quaſi* poſteà negligentiâ exſcriptoris ſequentis irrepſiſſe credatur.

(f) *accuſabit*] i. e. culpam patrii objicet, ſive eum quaſi criminoſum reprehendet: neque enim hîc de accuſatione coram Judicibus agitur. At videtur recipiendam eſſe lectionem MSorum Reg. ſec. & tertii, *accuſare minabitur etiam: ad extremum* &c.

ceperit imprudens pro bonis; cùm id reſcierit, ſoluturuſne ſit eos, ſi cui debeat, pro bonis? Diogenes ait; Antipater negat, cui potius aſſentior. Qui [g] vinum fugiens vendat ſciens, debeatne dicere? Non neceſſe putat Diogenes: Antipater viri boni exiſtimat. Hæc ſunt quaſi [h] controverſa jura Stoicorum. In mancipio vendendo dicendane vitia? non ea, quæ niſi dixeris, [i] redhibeatur mancipium jure civili; ſed hæc, mendacem eſſe; aleatorem, [a] furacem, ebrioſum? Alteri dicenda videntur; alteri non videntur. Si quis

(g) *vinum fugiens*] Quod durare & ætatem ferre non poteſt, & cujus vis exoleſcit brevi tempore. *Grævius.* Simile eſt illud in Senecæ Ep. 12. *gratiſſima ſunt poma, cùm fugiunt,* i. e. jam cedentia ætati (ait Lipſius) & abeuntia.

(h) *controverſa jura*] Sunt *controverſa jura* Stoicorum (ut Turnebus ſcribit) cauſſæ & conſultationes, de quibus Stoici inter ſe diſſentiunt: quæ tranſlatio ſumpta eſt à Juriſconſultis, apud quos *jura controverſa & dubia* vocantur, de quibus inter ipſos eſt diſſenſio; ut, cùm aliud videtur Mutio, aliud Bruto, aliud Manilio. *Fabritius.*

(i) *redhibeatur*] i. e. efficiatur, ut mancipium ad priorem dominum redeat, pretio, quo emtum eſt, emtori renumerato.

(a) *furacem*] i. e. furtis deditum: At (ut dicit in c. 17) de *ſanitate*, de *fugâ*, & de *furtis* etiam mancipii, is, qui vendit, dicere emtori debuit: & qui non dixit, *præſtat edicto Ædilium. Furax* igitur mancipium jure civili redhibendum fuit: Undè mihi valde ſuſpecta eſt hæc vox *furacem*, quæ hîc locum non habere debet, cùm ſolùm de *mendacibus*, *aleatoribus*, & *ebrioſis* ſervis agitur, quorum vitia ut narrarentur emtori, non cautum fuit jure civili. Fortaſſe ſcripſit Cicero *voracem*, i. e. guloſum; quæ vox bene cum voce *ebrioſum* conjungitur. Huic meæ conjecturæ favent ea, quæ Rachelius ex Juriſconſultis protulit, l. iv. §. 2. ff. de ædilitio edicto, *Aleatores & vinarios non contineri edicto quoſdam reſpondiſſe, Pomponius ait; quemadmodum nec* guloſos, *nec impoſtores, aut mendaces, aut litigioſos,*

quis aurum vendens, [b] orichalcum ſe putet vendere, indicetne ei vir bonus, aurum illud eſſe? an emat denario, quod ſit mille denariûm? Perſpicuum eſt jam, & quid mihi videatur, & quæ ſit inter eos philoſophos, quos nominavi, controverſia.

XXIV. Pacta & promiſſa ſemperne ſervanda ſint, quæ nec vi, nec dolo malo ([c] ut prætores ſolent dicere) facta ſint? ſi, quis medicamentum cuipiam dederit ad aquam intercutem, pepigeritque, ne illo medicamento umquam poſtea uteretur; ſi eo medicamento ſanus factus fuerit, & annis aliquot poſt inciderit in eundem morbum, nec ab eo, quicum pepigerat, impetret, ut [d] item eo liceat uti; quid faciendum ſit? Cùm ſit is inhumanus, qui non concedat uti, nec ei quidquam fiat injuriæ; vitæ & ſaluti conſulendum eſt. Quid ſi quis ſapiens rogatus ſit ab eo, qui eum heredem faciat, cùm

(b) *orichalcum*] Vulgò *aurichalcum*; malè: Victorium ſequor & Verburgium; itemque MSos Mead. pr. & Mill. nam ex *auro* & *ære* non compoſitum fuit *orichalcum*: æs potiùs montanum ſignificat vox hæc, ex ὄρος & χαλκὸς compoſita: unde brevis eſt prima hujus vocis ſyllaba, in Horat. de Art. Poet. 202.

Tibia non, ut nunc, orichalco vincta.

(c) *ut prætores ſolent dicere*] Ita Manutius; pro quo Lambinus habet *edicere*. Vox *dicere* eſt etiam in MSis quinque Oxon. & in MSo Mead. pr. à correctoris manu & Reg. ſec. & tertio. Ea omnino neceſſaria eſſe mihi videtur; in ſuis enim edictis prætores multa de vi, & de dolo malo ſolebant *dicere*: Quòd ſi vocem *dicere* omittas, & ſubintelligas cum Fabricio verbum *ſervare*, hoc efficiet ſenſum Ciceronis menti minimè accommodatum.

(d) *item*] MSus Mead. ſec. habet *iterum*.

cùm ei teſtamento ſeſtertiûm millies relinquatur, ut antè, quàm hereditatem adeat, luce palam in foro ſaltet, idque ſe facturum promiſerit, quòd aliter eum heredem ſcripturus ille non eſſet: faciat, quod promiſerit, necne? Promiſiſſe nollem, & id arbitror fuiſſe gravitatis: ſed, quoniam promiſit, ſi ſaltare in foro turpe ducet, honeſtiùs mentietur, ſi ex hereditate nihil ceperit quàm ſi ceperit: niſi fortè eam pecuniam in reipublicæ magnum aliquod tempus contulerit, ut vel ſaltare eum, cùm patriæ conſulturus ſit, turpe non ſit.

Ac ne illa quidem promiſſa ſervanda ſunt, quæ non ſunt iis ipſis utilia, quibus illa promiſeris. Sol Phaethonti filio (ut redeamus ad fabulas) facturum ſe eſſe dixit, quidquid optâſſet: optavit ut in currum patris tolleretur: ſublatus eſt; atque inſanus antè, quàm conſtitit, ictu fulminis deflagravit. Quanto meliùs fuerat in hoc promiſſum patris non eſſe ſervatum? Quid, quòd Theſeus exegit promiſſum à Neptuno? cui cùm tres optationes Neptunus dediſſet, optavit interitum Hippolyti [f] filii, cùm is patri ſuſpectus eſſet de XXV.

(e) *antè, quàm conſtitit*] i. e. antequam ſe colligeret, & ſic componeret, ut ſtare poſſet. *J. Fr. Gronovius.* Videtur hic locus adhuc corruptus eſſe.

(f) *filii*] Vulgò *filii ſui*, quam poſtremam vocem omiſi, ſecutus Victorium, MSum Mead. ſec. & Reg. quartum: Sic enim Noſter loqui ſolet, ut in i. 10. *Theſeus filio Hippolyto non eſſet orbatus*, & in initio hujus capitis, *Sol Phaethonti filio.* Simile etiam occurrit in iii. 31.

de noverca: [g] quo optato & impetrato Theſeus in maximis fuit luctibus. Quid? Agamemnon cùm devoviſſet Dianæ, quod in ſuo regno pulcherrimum natum eſſet illo anno, immolavit Iphigeniam, qua nihil erat eo quidem anno natum pulchrius. Promiſſum potiùs non faciendum, quàm tam tetrum facinus admittendum fuit: Ergo & promiſſa non facienda nonnumquam. Neque ſemper depoſita reddenda: Si gladium quis apud te ſana mente depoſuerit, repetat inſaniens: reddere, peccatum ſit; non reddere, officium. Quid ſi is, qui apud te pecuniam depoſuerit, bellum inferat patriæ? reddaſne depoſitum? non, credo: facies enim contra rempublicam, quæ debet eſſe cariſſima. Sic multa, quæ honeſta natura videntur eſſe, temporibus fiunt non honeſta. Facere promiſſa, ſtare conventis, reddere depoſita, commutata utilitate, fiunt non honeſta. Ac de iis quidem, [h] quæ videntur eſſe utilitates contra juſtitiam

(g) *quo optato & impetrato*] Vulgò legitur: *quo optato impetrata:* ſed potior videtur lectio MSi unius Urſini, duorumque Manutii, *quo impetrato*; ſc. interitu Hippolyti: ut in i. 10. *hoc erat tertium, quod de Hippolyti interitu iratus optavit*; quo impetrato *in maximos luctus incidit:* Ego verò, cùm fere omnes MSi habeant *optato*, & duo Oxon. Cant. duoque Regii *optato* & *impetrato*, hanc lectionem ſequendam eſſe duxi.

(h) *quæ videntur —— contra juſtitiam ſimulatione* &c.] Fortè, *quæ videntur eſſe utilitates contra juſtitiam* & *ſimulatione prudentiæ:* nam de utilitatibus, quæ videntur tum *Juſtitiæ* tum *Prudentiæ* repugnare, Cicero in præcedentibus capitibus dixerat: Et in proximè ſequentibus addit, *de prudentiâ quidem, quam vult imitari malitia*; *itemque de juſtitiâ, quæ ſemper eſt utilis, diſputatum eſt.* Ubi videt lector ea disjungi, quæ itidem in loco, quem expendimus, disjungi fortaſſe debuerint.

tum ſimulatione prudentiæ, ſatis arbitror dictum. Sed quoniam à quatuor fontibus honeſtatis primo libro officia duximus, in iiſdem verſabimur, cùm docebimus, ea, quæ videntur eſſe utilia, neque ſunt, quàm ſint virtutis inimica. [i] Ac de prudentia quidem, quam vult imitari malitia; itemque de juſtitia, quæ ſemper eſt utilis, diſputatum eſt. Reliquæ ſunt duæ partes honeſtatis; quarum altera in animi excellentis magnitudine & præſtantia cernitur, altera [a] in conformatione & moderatione continentiæ, & temperantiæ.

[b] Utile videbatur Ulyſſi, ut quidem poetæ tragici prodiderunt: nam apud Homerum, optimum auctorem, talis de Ulyſſe nulla ſuſpicio eſt: ſed inſimulant eum tragœdiæ, ſimulatione inſaniæ militiam ſubterfugere voluiſſe. Non honeſtum conſilium. At utile (ut aliquis fortaſſe dixerit) regnare, & Ithacæ vivere otioſè cum parentibus, cum uxore, cum filio: Ullum tu decus in quotidianis laboribus & periculis cum hac tranquillitate con- XXVI.

(i) *Ac de prudentiâ*] Sc. in cap. 17. & ſequentibus: de Juſtitiâ verò in cap. 16. uſque ad cap. 17.

(a) *in conformatione & moderatione continentiæ* &c.] *Moderatio*, *continentia*, & *temperantia* ſunt officia ſive virtutes, (ut videre eſt in i. 40. & Tuſc. diſp. iii. 8): Unde Noſter c. 33. *quæ decore, moderatione, modeſtiâ, continentiâ, temperantiâ, continetur.* Vide etiam i. 28. Legendum igitur cenſeo, *in conformatione* moderationis, & *continentiæ*, & *temperantiæ*. Dicit in v. 6. de Fin. *inventa vitæ via eſt*, & conformatio *omnium officiorum*.

(b) *Utile videbatur*] Cicero hîc dicturus eſt de iis, quæ videntur eſſe utilia, & repugnant animi magnitudini, tertiæ honeſtatis parti.

conferendum putas? Ego verò iſtam contemnendam & abjiciendam; quoniam, quæ honeſta non ſit, ne utilem quidem eſſe arbitror. Quid enim auditurum putas fuiſſe Ulyſſem, ſi in illa ſimulatione perſeveraſſet? qui, cùm maximas res geſſerit in bello, tamen (c) hæc audiat ab Ajace;

Cuju' ipſe princeps jurisjurandi fuit,
Quod omnes ſcitis, ſolus (d) neglexit fidem.
Furere aſſimulavit; ne coiret, inſtitit.
Quòd ni Palamedis perſpicax prudentia
(e) *Iſtius percepſet malitioſam audaciam,*
(f) *Fide ſacratæ jus perpetuò falleret.*

Illi

(c) *hæc audiat ab Ajace*] Quidam viri docti credunt verſus ſenarios, qui ſequuntur, deſumtos fuiſſe ex Pacuvii tragœdia, vocata *judicium armorum*. Ad hos autem videtur reſpexiſſe Ovidius in Metam. xiii. 35. ubi hæc etiam Ulyſſes audit ab Ajace,

Arma neganda mihi? potiorque videbitur ille,
Ultima qui cepit, detrectavitque furore
Militiam ficto; donec ſolertior illo &c.?

(d) *neglexit fidem*] ſc. fidem ejus jurisjurandi, cujus ipſe princeps fuit, ſive auctor.

(e) *Iſtius percepſet malitioſam* &c.] Quemadmodum apud Terentium *ejus* & *Deos* monoſyllaba ſunt ubique, ſimili contractione *iſtius* fit diſſyllabum. *Eraſmus.* Vide Bentleii ſchediaſma de metris Terentianis ſuæ Terentii editioni præfixum. Ad ſequentem igitur modum hujus verſûs ſenarii membra dividenda ſunt,

Iſtiūs | pērcēp | sēt mălĭ | tĭōſam | āudā | cĭām.

(f) *Fide ſacratæ jus*] i. e. jus fidei jurejurando ſacratæ. Victorius edidit *ſacratum*, quem fere ſecuti ſunt editores. Multi MSi habent *ſacrata:* at Fabritius teſtatus eſt ſe in pleriſque ſuis cod. inveniſſe *ſacratæ*, quod & in MSo Mead. ſec. exhibetur. *Fide* pro *fidei* veteres dixiſſe admonet Chariſius l. i. Quod antiquè dictum (inquit Manutius) qui ignorârunt, *fide* arbitrati dictum eſſe auferendi caſu, *ſacrata* in libris ſcripſerunt.

Illi verò non modò cum hoſtibus, verùm etiam cum fluctibus (id quod fecit) dimicare melius fuit, quàm deſerere conſentientem Græciam ad bellum barbaris inferendum.

Sed dimittamus & fabulas, & externa; [g] ad rem factam, noſtramque veniamus. M. Atilius Regulus, cùm conſul iterum in Africa ex inſidiis captus eſſet, duce Xantippo Lacedæmonio, [h] imperatore autem patre Hannibalis Hamilcare, juratus miſſus eſt ad ſenatum, ut, niſi redditi eſſent Pœnis captivi nobiles quidam, rediret ipſe Carthaginem. Is, cùm Romam veniſſet, utilitatis ſpeciem videbat; ſed eam, ut res declarat, falſam judicavit: quæ erat talis; manere in patria, eſſe domi ſuæ cum uxore, cum liberis; quam calamitatem accepiſſet in bello, communem fortunæ bellicæ judicantem, tenere conſularis dignitatis

(g) *ad rem factam noſtramque veniamus*] Ita Cicero veterumque plurimi fidentiſſimè de Regulo. Sunt tamen inter doctos horum temporum, qui utique ex Polybii ſilentio, levibuſque apud veterum nonnullos in hac re diſcrepantiis, inſignem hanc de Regulo hiſtoriam elevant, fabuliſque totam accenſet. Iis ſe ducem præbuit doctiſſimus vir Jac. Palmerius in Exercit. p. 152, Cujus tamen aliorumque in hoc argumento ſubtilitates omnes diſſipari facilè poſſent, ſi dedita opera id egerimus. *Chapman.*

(h) *imperatore autem patre Hannibalis Hamilcare*] i. e. imperatore Pœnorum; nam eos ſolos tum temporis hoſtes *in Africa* habuerunt Romani. Tres ſibi conſtituerant Pœni, imperatores, Hamilcarem, Haſdrubalem, & Boſtarum, (vide Polybium l. i.) qui communi ſententia Xantippo Lacedæmonio τὰς δυνάμεις ἐνεχείρισαν, ſive permiſerunt, ut Carthaginienſium copias contra Romanos duceret. Videtur autem Cicero ideo ſolum Hamilcarem nomināſſe, quòd Hannibalis in hiſtoria Romana notiſſimi pater eſſet.

dignitatis gradum: quis hæc neget eſſe utilia? [i] quæ cenſes, magnitudo animi & fortitudo
XXVII. negat. Num locupletiores quæris auctores? harum enim eſt virtutum proprium, nihil extimeſcere, omnia humana deſpicere, nihil, quod homini accidere poſſit, intolerandum putare. Itaque quid fecit? In ſenatum venit, mandata expoſuit; ſententiam ne diceret, recuſavit: quamdiu jurejurando hoſtium teneretur, non eſſe ſe ſenatorem. Atque illud etiam (*O ſtultum hominem,* dixerit quiſpiam, *& repugnantem utilitati ſuæ!*) [a] reddi captivos negavit eſſe utile: illos enim adoleſcentes eſſe, & bonos duces; ſe jam confectum ſenectute: cujus cùm valuiſſet auctoritas, captivi retenti ſunt, ipſe Carthaginem rediit; neque eum caritas patriæ retinuit, nec ſuorum: Neque verò tum ignorabat, ſe ad crudeliſſimum hoſtem, & ad exquiſita ſupplicia proficiſci: ſed jusjurandum conſervandum putabat. Itaque tum, [b] cùm vigilando necabatur

(i) *quæ cenſes, magnitudo animi* &c.] Senſus eſt; Magnitudo animi & fortitudo negat ea, quæ cenſes eſſe utilia, in inutilium numerum poſſe venire. Quidam libri habent, *quid cenſes?* alii, *quem cenſes?* ſed hæc lectio, quam ſequor, ineſt in edit. Mogunt. & Romanâ; itemque in MSis octo meis & quatuor Oxonienſibus.

(a) *reddi captivos negavit*] At antea Cicero de Regulo dixerat, *ſententiam ne diceret, recuſavit* &c. Quî igitur hæc cùm illis concilianda ſunt? ſcilicet Regulus cùm in ſenatum veniſſet & mandata expoſuiſſet, ſententiam ne diceret recuſavit & è ſenatu exivit: Tandem verò à Principe Senatûs coactus, permittentibus etiam legatis Carthaginienſium, in ſenatum reverſus ſententiam ita dixit, ut captivos reddendos eſſe diſſuaderet.

(b) *cùm vigilando necabatur*]

necabatur, erat in meliore cauſſa, quàm ſi domi ſenex captivus, perjuris conſularis remanſiſſet. At, *ſtultè, qui non modò non cenſuerit captivos remittendos, verùm etiam diſſuaſerit.* Quomodo ſtultè? etiamne ſi reipublicæ conducebat? poteſt autem, quod inutile reipublicæ ſit, id cuiquam civi utile eſſe?

Pervertunt homines ea, quæ ſunt fundamenta naturæ, cùm utilitatem ab honeſtate ſejungunt. Omnes enim expetimus utilitatem, ad eamque rapimur, nec facere aliter ullo modo poſſumus: nam quis eſt, qui utilia fugiat? aut quis potiùs, qui ea non ſtudioſiſſimè perſequatur? ſed, quia nuſquam poſſumus, niſi in laude, decore, honeſtate utilia reperire, propterea illa prima & ſumma habemus; utilitatis nomen [c] non tam ſplendidum, quàm neceſſarium ducimus. XXVIII.

[d] Quid eſt igitur, dixerit quis, in jurejurando? num iratum timemus Jovem? At hoc quidem commune eſt omnium philoſophorum, (non eorum modò, qui deum nihil habere ipſum negotii, & nihil exhibere alteri; ſed

tur] *Tuditanus illum ſomno diu prohibitum atque ita vitâ privatum refert,* ut ait A. Gellius vi. 4. Hunc igitur hiſtoricum ſecutus eſt Cicero, cùm alii Regulum alio modo periiſſe memorârunt.

(c) *non tam ſplendidum, quàm neceſſarium*] ſc. *neceſſarium* eſt, propter humanam indigentiam; ſed non *ſplendidum* eſt, ut ſunt ea, quæ modò memoravi, laus, decus, & honeſtas.

(d) *Quid eſt igitur*] Hæc & quæ ſequuntur uſque ad finem capitis ſunt objicientis Regulo id, quod Cicero in eo laudandum eſſe cenſuit; ut ex iis, quæ ipſe poſtea reſpondet, patebit.

ſed eorum etiam, qui deum ſemper agere aliquid & moliri volunt), numquam nec iraſci deum, nec nocere. Quid autem iratus Jupiter [e] plus nocere potuiſſet, quàm nocuit ſibi ipſe Regulus? Nulla igitur vis fuit religionis, quæ tantam utilitatem [f] præverteret. An ne turpiter faceret? Primùm, minima de malis: num igitur tantum mali turpitudo iſta habebat, quantum ille cruciatus? Deinde illud etiam apud Accium,

[g] *Fregiſti fidem.* [h] *Neque dedi, neque do infideli cuiquam,*

quamquam ab impio rege dicitur, luculentè tamen dicitur. Addunt etiam, quemadmodum nos dicamus, videri quædam utilia, quæ non ſint; ſic ſe dicere, videri quædam honeſta, quæ non ſint: ut hoc ipſum videtur honeſtum, conſervandi jurisjurandi cauſſa ad cruciatum revertiſſe, ſed fit non honeſtum; quia, quod per vim hoſtium eſſet actum ratum eſſe non debuit. Addunt etiam, quidquid valde utile ſit, id fieri honeſtum, etiam ſi antea non videretur. Hæc fere contra Regulum. Sed prima videamus.

Non

(e) *plus nocere*] Sc. Regulo.

(f) *præverteret*] Ita Langius ex conjectura, quem ſecuti ſunt editores. Et hanc lectionem habet MSus Reg. tertius; cæteri fere omnes *perverteret*.

(g) *Fregiſti fidem*] De hoc Accii loco vide Grot. de jure B. & P. ii. 13. §. 16.

(h) *Neque dedi* &c.] Hæc eſſe Atrei reſpondentis & ſe vindicantis verba, conjicere eſt ex cap. ſequente, ubi Cicero dicit, *idcirco rectè à poeta, quia, cùm tractaretur Atreus, perſonæ ſerviendum fuit.*

Non fuit Jupiter metuendus, ne iratus noceret, qui neque iraſci ſolet, neque nocere. Hæc quidem ratio non magis contra Reguli, quàm contra omne, jusjurandum valet. Sed in jurejurando, [1] non qui metus, ſed quæ vis ſit, debet intelligi: eſt enim jusjurandum affirmatio religioſa: quod autem affirmatè, [a] quaſi deo teſte, promiſeris, id tenendum eſt: jam enim non [b] ad iram deorum, quæ nulla eſt; ſed ad juſtitiam & ad fidem pertinet: nam præclarè Ennius; XXIX.

O fides

(1) *non qui metus, ſed quæ vis ſit*] Alio prorſus ſenſu *metus* & *vis* uſurpatur, cùm dicitur aliquis juràſſe *vi* aut *metu* coactus. Illum Cicero hîc voluit *metum* deorum, quo quis violati jurisjurandi pœnam expectet. Voce etiam *vis* intelligenda eſt jurisjurandi vis & proprietas ad obligandum.

(a) *quaſi deo teſte*] Vox *quaſi* non ſemper dubitantis eſt, aut concedentis id, quod dicitur, non propriè & verè dici: *quaſi deo teſtè* idem hîc videtur valere, quod quaſi præſente promittenti; ita præſente, ut teſtis adeſſe ſolet iis rebus, de quibus teſtatur.

(b) *ad iram deorum, quæ nulla eſt*] Hoc videtur Ciceronis eſſe non affirmantis, ſed argumenti cauſſa concedentis: *quæ nulla eſt*, ſc. ut is dicit qui Reguli factum oppugnat; vel, ut iſti philoſophi dicunt, ad quos iſte modò provocavit. Conſtat ſanè Ciceronem (niſi in iiſdem libris à ſe ipſe diſſenſerit) non ipſum eâ fuiſſe ſententia. Nam in ii. 3. dicit, *deos placatos pietas efficiet & ſanctitas:* hoc verò qui dicit, ſatis indicat deos impiis iratos eſſe. Ita etiam in Or. pro Roſc. Com. c. 16. *dii immortales hominibus iraſci & ſuccenſere conſuerunt.* De Leg. ii. 8. *divorum iras providento:* c. 9. *impius ne audeto placare donis iram deorum.* In Or. contra Catil. i. ad finem, *Tum tu, Jupiter,* —— *æternis ſupplicìis vivos mortuoſque mactabis.* Multa alia hujuſmodi proferri poſſent ex Ciceronis Orat. & libris Philoſophicis: ſed nihil hanc meam interpretationem magis firmat, quàm quæ ſupra adduxi ex hujus operis ii. 3. Fortaſſe tamen ſcripſit Cicero, *quæ nulla ſit.*

[c] *O Fides alma, apta pinnis, & Jusjurandum Jovis!*

Qui igitur Jusjurandum violat, is Fidem violat, quam in Capitolio vicinam Jovis optimi maximi (ut in Catonis oratione eſt) majores noſtri eſſe voluerunt. At enim *ne iratus quidem Jupiter plus Regulo nocuiſſet, quàm ſibi nocuit ipſe Regulus.* [d] Certè, ſi nihil malum eſſet, niſi dolere. Id autem non modò non ſummum malum, ſed ne malum quidem eſſe, maxima auctoritate philoſophi affirmant: quorum quidem teſtem non mediocrem, ſed haud ſcio an graviſſimum, Regulum nolite, quæſo, vituperare: quem enim locupletiorem quærimus, quàm principem populi Romani, qui retinendi officii

(c) O *Fides alma, apta pinnis* &c.] De Fidei ſtatuâ alatâ hæc dicta eſſe videntur; atque ita ea intellexiſſe Muretus docet Apuleium in Apologia pr. *ſi verba, ita ut poetæ aiunt,* pinnis apta *vulgò volarent.* Per voces *pinnis apta* intellige, pinnis conjuncta & colligata, ſeu potiùs quæ pinnas ſibi conjunctas habet: nam *apere* antiqui dicebant pro *conjungere.* Sic Virg. Æn. iv. 482. *axem ſtellis ardentibus aptum.* Et Lucret. v. 538. *conjunctam atque uniter aptam.* v. 1427. *veſtis ſignis ingentibus apta.* De hoc verò loco quiddam ampliùs dicendum eſſe videtur: Neque enim, quia Fides *alma* eſt; nec quia *apta pinnis,* nec quia *Jusjurandum Jovis* in eodem verſu cum *Fide* invocatur, hoc ſequitur (quod tamen Cicero colligit), *qui igitur Jusjurandum violat, is Fidem violat.* Aut igitur in his Ennianis mendum aliquod ineſt; aut, hunc ſolum verſum cùm Cicero citaret, etiam ad verſus eum ſequentes reſpexit. Obiter hîc notandum eſt, MSum Reg. tertium habere *alta* pro *apta*: unde videat lector ſimiliter potuiſſe *aptitudo* in *altitudo* mutari errore librariorum; de quo vide Not. ad i. 25. 1

(d) *Certè, ſi nihil malum eſſet*] Juxta Epicureos, quibus ſummum malum eſt dolor.

officii cauſa cruciatum [e] ſubierit voluntarium? Nam quod aiunt, *minima de malis*, id eſt, ut turpiter potiùs, quàm calamitoſè: An eſt ullum majus malum turpitudine? quæ ſi in deformitate corporis habet aliquid offenſionis, quanta illa depravatio & fœditas turpificati animi debet videri? Itaque, nervoſiùs qui iſta diſſerunt, ſolum audent malum dicere id, quod turpe ſit; qui autem remiſſiùs, hi tamen non dubitant ſummum malum dicere. Nam illud quidem,

Neque dedi, neque do fidem infideli cuiquam,

idcirco rectè à poeta; quia, cùm tractaretur Atreus, perſonæ ſerviendum fuit. Sed [f] ſi hoc ſibi ſumunt, nullam eſſe fidem, quæ infideli data ſit, videant ne quæratur latebra perjurio. Eſt autem jus etiam bellicum, fideſque jurisjurandi [g] ſæpe cum hoſte ſervanda: quod enim ita juratum eſt, ut mens conciperet fieri oportere, id ſervandum eſt; quod aliter, id ſi non feceris, nullum eſt perjurium: ut, ſi prædonibus pactum pro capite pretium non attuleris, nulla fraus eſt, ne ſi juratus

(e) *neque do fidem infideli cuiquam*] Vox *fidem* abeſt à quatuor Manutianis, à pleriſque Oxonienſibus, à tribus Regiis, multiſque aliis: Sed cùm neceſſe ſit, ut hæc vox ſubintelligatur, locum illi, cum cæteris editoribus, hic concedendum eſſe curavi.

(f) *ſi hoc ſibi ſumunt*] i. e. ſi hanc ſententiam ſuam faciant, quam poëta in Atrei ore poſuerat, ſolùm ut ejus perſonæ ſerviret.

(g) *ſæpe*] Videtur hæc vox abeſſe debere.

juratus quidem id non feceris: nam pirata (h) non eſt ex perduellium numero definitus, ſed communis hoſtis omnium: cum hoc nec fides debet, nec jusjurandum eſſe commune. Non enim falſum jurare, perjurare eſt; ſed, (i) quod ex animi tui ſententia juràris, ſicut verbis concipitur more noſtro, id non facere, perjurium eſt: ſcitè enim Euripides,

Juravi lingua, mentem injuratam gero.

Regulus verò non debuit conditiones pactioneſque bellicas & hoſtiles perturbare perjurio: cùm juſto enim & legitimo hoſte res gerebatur; adversùs quem & totum jus fetiale, & multa ſunt jura communia: quod ni ita eſſet, numquam claros viros ſenatus vinctos hoſtibus dedidiſſet.

XXX. At verò T. Veturius & Sp. Poſthumius, cùm iterum conſules eſſent, quia, cùm malè pugnatum apud Caudium eſſet, legionibus noſtris

(h) *non eſt ex perduellium numero definitus*] Ita editiones Mogunt. Rom. Victorii, omneſque fere veteres: ita etiam MSi pene omnes, quotquot excuſſi fuerint. Præpoſitionem igitur *ex*, quam è textu ejecerat Grævius, recepi. Senſus eſt; Non definitur eſt is, eſſe ex numero perduellium, ſed eſſe communis hoſtis omnium. *Definiri numero*, pro, *in numerum referri*, non probari mihi videtur, exemplis à Grævio citatis, ſatis Latinè dici.

(i) *quod ex animi tui ſententiâ juràris* &c.] Id eſt; Is non perjurat, qui ita juravit, ut eodem tempore, quo juraret, id jusjurandum non ſervandum eſſe exiſtimaret. Solùm enim (ut paullo ante Noſter dixerat) *quod ita juratum eſt, ut mens conciperet id fieri oportere, id ſervandum eſt.* Sed Grotio & Pufendorfio rectè videtur Cicero hîc malè de hujuſmodi juramentis ſtatuere. Vide Grotium de Jure B. & P. ii. 15. & Pufendorf. de Jur. N. & G. iv. 2. 9.

noſtris ſub jugum miſſis, pacem cum Samnitibus fecerant, dediti ſunt his; injuſſu enim populi ſenatûſque fecerant. Eodemque tempore Tib. Numicius, Qu. Mælius, qui tum tribuni plebis erant, quòd eorum auctoritate pax erat facta, dediti ſunt, ut pax Samnitium repudiaretur. Atque hujus deditionis ipſe Poſthumius, qui dedebatur, ſuaſor & auctor fuit. Quod idem multis annis poſt C. Mancinus; qui, ut Numantinis, quibuſcum ſine ſenatûs auctoritate fœdus fecerat, dederetur, rogationem ſuaſit eam, quam L. Furius, & Sex. Atilius ex ſenatuſconſulto ferebant; qua accepta eſt hoſtibus deditus. Honeſtiùs hic, quàm [a] Qu. Pompeius, quo, cum in eadem cauſſa eſſet, deprecante, accepta lex non eſt. Hîc ea, quæ videbatur utilitas, plus valuit, quàm honeſtas: apud ſuperiores utilitatis ſpecies falſa [b] ab honeſtatis auctoritate ſuperata eſt. At *non debuit ratum eſſe, quod*

(a) *Qu. Pompeius*] Intellige illum Pompeium, qui, Conſul cum Cn. Servilio Cæpione an. U. C. 613. infeliciter admodum res geſſit in Hiſpania contra Numantinos; & ab iis devictus pacem ignobilem fecit. Quippe deprecati fuerant Numantini apud Pompeium prò ſociis ſuis Segedenſibus; repulſam autem ægrè ferentes, infeſtis animis vique magna Conſulem aggreſſi ſunt: dein fœdere turpi oblato, cùm Romanos profligare potuiſſent, hoſtes ultro conditiones pacis acceperunt. At Pompeius, cùm ei ſucceſſor Popilius adveniſſet, præfractè negavit pactionem ſibi ullam cum Numantinis interceſſiſſe: re verò per teſtes idoneos explorata Romæ, deprecando ille & gratia pœnam effugit. Vide Appian. Bell. Hiſp. p. 509, 510. 8vo, & Vell. Paterc. ii. 1. *Chapman.*

(b) *ab honeſtatis*] Delendum videtur iſtud *ab:* ita enim loquitur Noſter in cap. 22. *eum non virtute, ſed ſcelere ſuperatum;* & ſæpius alibi.

quod erat actum per vim. Quaſi verò forti viro vis poſſit adhiberi. *Cur igitur ad ſenatum proficiſcebatur, cùm præſertim de captivis diſſuaſurus eſſet?* Quod maximum in eo eſt, id reprehenditis: non enim ſuo judicio ſtetit, ſed ſuſcepit cauſſam, ut eſſet judicium ſenatûs; cui niſi ipſe auctor fuiſſet, captivi profectò Pœnis redditi eſſent: ita incolumis in patria Regulus reſtitiſſet: quod quia patriæ non utile putavit, idcirco ſibi honeſtum & ſentire illa & pati credidit. Nam quod aiunt, *quod valde utile ſit, id fieri honeſtum:* (c) imò verò *eſſe*, non *fieri:* eſt enim nihil utile, quod idem non honeſtum: nec quia utile, honeſtum eſt; ſed quia honeſtum, utile. Quare, ex multis mirabilibus exemplis, haud facilè quis dixerit hoc exemplo aut laudabilius, aut præſtantius.

XXXI. Sed ex tota hac laude Reguli unum illud eſt admiratione dignum, quòd captivos retinendos cenſuerit: nam, quòd rediit, (d) nobis non mirabile videtur; illis quidem temporibus aliter facere non potuit: itaque iſta laus non eſt hominis, ſed temporum; nullum enim vinculum ad adſtringendam fidem jurejurando majores arctius eſſe voluerunt. Id indicant

(c) *imò verò eſſe, non fieri*] Supple *ego aio id:* Senſus eſt; Illi dicunt id, quod utile eſt, inde fieri honeſtum; ſive ſuam naturam ita mutare, ut honeſtum ſit: Ego verò dico, non id *fieri* honeſtum, ſed *eſſe*; ſive honeſtum eſſe naturâ, non aliquâ factâ mutatione.

(d) *nobis* non *mirabile videtur*] Vulgò, *nunc:* ſed melior eſt lectio, quam ſequor auctoritate ſeptem MSorum meorum, & quinque Oxonienſium.

indicant leges in duodecim tabulis; [e] indicant ſacratæ; indicant fœdera, quibus etiam cum hoſte devincitur fides; [f] indicant notiones animadverſioneſque cenſorum, qui nulla de re diligentiùs, quàm de jurejurando, judicabant. L. Manlio, A. filio, cùm dictator fuiſſet, M. Pomponius tribunus plebis diem dixit, quòd is paucos ſibi dies ad dictaturam gerendam addidiſſet: criminabatur etiam, quòd Titum filium, qui poſtea eſt Torquatus appellatus, ab hominibus relegâſſet, & ruri habitare juſſiſſet: quod cùm audiviſſet adoleſcens filius [g] negotium exhiberi patri, accurriſſe

(e) *indicant ſacratæ*] Quidam *ſacratas leges* eas dicunt, quas plebs jurata in ſacro monte ſcivit: de quibus Livius ii. 33. *Sunt, qui duos tantùm in ſacro monte creatos Tribunos eſſe dicant, ibique ſacratam legem latam per ſeceſſionem plebis.* Quidam eas leges *ſacratas* appellant, quibus ſancitum eſt, ut ſi quis adverſus eas fecerit, ſacer alicui Deorum, ut, verbi gratiâ, Cereri; quæque erant de plebis libertate. Proinde ſacroſancta quædam in ea lege poteſtas erat, ut eam violari nefas omnino eſſet, idque capite expiaretur. *Turnebus.*

(f) *indicant notiones animadverſioneſque*] Victorius, Manutius, & Lambinus ediderunt *notationes*, cui nihil objici poteſt, niſi quòd auctoritate omnium MSorum careat. At non eſt cur rejiciamus vocem *notiones*, quam reſtituit Grævius. *Noſcere* enim *cauſſam*, idem eſt, quod de ea judicare; in l. 4. de Legibus. Sic etiam Cicero in Or. de provinc. conſul. c. 19. *Statuendum eſt, cenſorium judicium ac notionem, & illud morum ſeveriſſimum magiſterium non eſſe nefariis legibus de civitate ſublatum.* In Orat. pro domo c. 13. *quæ omnis notio Pontificum, cùm adoptarere, eſſe debuit.* Et A. Gellius xvii. 18. de Salluſtio dicit, *cujus in hiſtoria notiones cenſorias fieri atque exerceri videmus.* Tantum intereſt (inquit Verburgius) inter *notas* vel *notationes*, & *notiones*, quantum inter cauſſæ cognitionem & rei condemnationem.

(g) *negotium* exhiberi *patri*] Cùm præceſſerit *quod*, placet lectio MSi Pal. pr. *negotium*

riſſe Romam, & cum prima luce Pomponii domum veniſſe dicitur: cui cùm eſſet nuntiatum; quòd illum iratum allaturum ad ſe aliquid contra patrem arbitraretur, ſurrexit è lectulo, remotiſque arbitris ad ſe adoleſcentem juſſit venire: at ille, ut ingreſſus eſt, confeſtim gladium diſtrinxit, juravitque, ſe illum ſtatim interfecturum, niſi jusjurandum ſibi dediſſet, ſe patrem miſſum eſſe facturum. Juravit hoc coactus terrore Pomponius: rem ad populum detulit: docuit, cur ſibi cauſſa deſiſtere neceſſe eſſet: Manlium miſſum fecit: tantum temporibus illis jusjurandum valebat. Atque hic T. Manlius is eſt, qui ad Anienem, Galli, quem ab eo provocatus occiderat, torque detracto, cognomen invenit; cujus tertio conſulatu Latini ad Veſerim fuſi & fugati: magnus vir in primis, & [h] qui perindulgens in patrem, idem acerbè ſeverus in filium.

XXXII. Sed, ut laudandus Regulus in conſervando jurejurando, ſic decem illi, (quos poſt Cannenſem pugnam juratos ad ſenatum miſit Hannibal, ſe in caſtra redituros ea, quorum potiti erant Pœni, niſi de redimendis captivis impetraviſſent), ſi non redierunt, vituperandi. De quibus non omnes uno modo: nam Polybius,

gotium exhibere *patri*. Scilicet, cùm adoleſcens audiviſſet illam criminationem negotium ſuo patri exhibere: Ut in c. 28. & *nihil negotii exhibere alteri*.

(h) *qui perindulgens*] MSti fere omnes mei habent *qui nuper indulgens*; unde ſuſpicor Ciceronem ſcripſiſſe *qui nunc perindulgens*: nunc, i. e. cùm id fecerit patris ſui cauſſâ, quod modò commemoratum eſſet.

lybius, bonus auctor in primis, ſcribit, ex decem nobiliſſimis, qui tum erant miſſi, novem revertiſſe à ſenatu, re non impetrata; unum ex decem, qui paullo poſt quàm egreſſus erat è caſtris rediiſſet, quaſi aliquid eſſet oblitus, Romæ remanſiſſe: reditu enim in caſtra liberatum ſe eſſe jurejurando interpretabatur. Non rectè; fraus enim adſtringit, non diſſolvit perjurium. Fuit igitur ſtulta calliditas perversè imitata prudentiam. Itaque decrevit ſenatus, ut ille veterator & callidus vinctus ad Hannibalem duceretur. Sed illud maximum: octo hominum millia tenebat Hannibal, non quos in acie cepiſſet, aut qui periculo mortis diffugiſſent, ſed qui relicti in caſtris fuiſſent à Paulo & Varrone conſulibus: eos ſenatus non cenſuit redimendos, cùm id parvâ pecuniâ fieri poſſet: ut eſſet inſitum militibus noſtris aut vincere aut emori. Qua quidem re audita, fractum animum Hannibalis [i] ſcribit idem; quòd ſenatus populuſque Romanus rebus afflictis tam excelſo animo fuiſſet. Sic honeſtatis comparatione, ea, quæ videntur utilia, vincuntur. [a] Acilius autem, qui Græcè ſcripſit hiſtoriam

(i) *ſcribit idem*] Vide Polybii hiſtoriam ad finem libri ſexti: ubi de uno illo ſcribit, qui, juratus licet, non reverterit, & de octo millibus à ſenatu non redemtis.

(a) *Acilius autem, qui Græcè ſcripſit hiſtoriam*] Errabat graviſſimè, ni fallor, Ger. Voſſius, cùm ſtatueret hunc eſſe C. Acilium Glabrionem, qui Quæſtor fuit an. U. C. 551. & Tribunus plebis 556. Nam illo Acilium hiſtoricum centum ampliùs annis recentiorem fuiſſe vix dubitem. Quippe

hiſtoriam, plures ait fuiſſe, qui in caſtra re-
vertiſſent, eadem fraude, ut jurejurando libe-
rarentur; eoſque à cenſoribus omnibus igno-
miniis notatos. Sit jam hujus loci finis: perſpicuum eſt enim, ea, quæ timido animo, humili, demiſſo fractoque fiant (quale fuiſſet Reguli factum, ſi aut de captivis, quod ipſi opus eſſe videretur, non quod reipublicæ, cenſuiſſet, aut domi remanere voluiſſet), non ... eſſe

Quippe Claudii Quadrigarii annales non aliter erant, quàm Aciliani Latinè redditi. Id apertè ſatis Livius indicavit xxv. 39. ubi extant, *Auctor eſt Claudius, qui annales Acilianos ex Græco in Latinum ſermonem vertit:* Quod ſi verum ſit, conſtabit, Acilium ſcripſiſſe de C. Mario & L. Sylla, poſtquam Marius interierat, i. e. poſt an. U. C. 668. Legerat enim A. Gellius apud ipſum Quadrigarium, *C. Marium ſeptimo Conſulem*, ut notat in Noct. Att. x. 1. Obijſſe autem Marium ineunte ejus conſulatu ſeptimo, veteres omnes conſentiunt. Voſſius quidem in opere de Hiſtor. Lat. i. 10. ambigebat interdum, num de Claudio Quadrigario intelligendus ſit Livius, an de alio Claudio, nempe Paulo, illo, cujus meminit Appianus (de bell. Gall. p. 755), ubi tradit Tigurinorum olim in Romanos Conſules ſucceſſus, ὡς ἐν χρονικαῖς συντάξεσι δοκεῖ Παύλῳ τῷ Κλαυδίῳ. At *Paulus* hicce Claudius corrupte editur pro *Quinto*, II poſita pro K; ut facilè probare poſſem, ſi eſſet hujus loci: nec ſanè alio de Claudio jure intelligi poſſit Livius, quàm celeberrimo illo *Quadrigario*, qui paſſim apud veteres ſub *Claudii* nomine laudatur. De Acilio autem id porrò adjicere velim, eum mihi Græcum gente, non Romanum videri, & nomen ab Aciliis Romæ liberti jure traxiſſe; atque inde eſſe, quòd ejus in Bruto nuſquam Cicero meminerit, cùm A. Albinum, qui hiſtorias itidem rerum Romanarum Græcè ſcripſit, cæteroſque omnes fere ex Latinis ante Q. Hortenſium, qui quidquam literis mandaverant, diſertè recenſeat. Quippe locum in his aliquem Acilio, ſcriptori utique famæ haud obſcuræ, ac eorum multis quos Cicero memoravit præſtantiori, dediſſet, ni fallor, ſi ex celebri Aciliorum Glabrionum familia, aut civitate eſſet Latina oriundus. *Chapman.*

eſſe utilia, quia ſint flagitioſa, fœda, & turpia.

Reſtat quarta pars, quæ decore, modera- XXXIII.
tione, modeſtia, continentia, temperantia continetur. Poteſt igitur quidquam eſſe utile, quod ſit huic talium virtutum choro contrarium? [b] Atqui ab Ariſtippo Cyrenaici atque

(b) *Atqui ab Ariſtippo Cyrenaici, atque Annicerii*] Legendum eſſe puto, *At* qui *ab Ariſtippo Cyrenaici* (*ſc. orti ſunt*), & qui *Annicerii nominati ſunt*; ſc. ab Anniceride, qui novæ inter Cyrenaicos ſectæ auctor, & in Schola Cyrenaica quintus fuit ab Ariſtippo. De hoc ita Strabo, Ἀννίκερις ὁ δοκῶν ἐπανορθῶσαι τὴν Κυρηναϊκὴν αἵρεσιν, καὶ παραγαγεῖν ἀντ' αὐτῆς τὴν Ἀννικερίαν. lib. xvii. p. 137. Ed. Caſaub. Quod autem hîc refert Strabo de *correctione quadam* philoſophiæ Cyrenaicæ per Annicerios, id exponit enucleatè Laertius ii. §. 96. Nempe illi quamvis, cætera quod attinet, idem fere cum Ariſtippeis ſentirent, tamen ἀπέλιπον καὶ φιλίαν ἐν βίῳ καὶ χάριν, καὶ πρὸς γονέας τιμὴν, καὶ ὑπὲρ πατρίδος τι πρᾶξαι &c. Confer. §. 85, 86. ib. Unde non ſine emphaſi accipiendus eſt Cicero de *Anniceriis*, quaſi diceret, *etiam illi, qui optima ſequebantur ex Cyrenaicis, bonum omne in voluptate poſuerunt.* Atque hinc eſt quod Clem. Alex. *cujus ſe pectore tota vetuſtas condidit*, hos etiam in ejuſdem rei exemplum ſelegit, tamquam principes ſectæ Cyrenaicæ. Οἱ Ἀννικέρειοι (inquit) καλούμενοι, ἐκ τῆς Κυρηναϊκῆς διαδοχῆς μὲν ὅλου βίου τέλος οὐδὲν ὡρισμένον ἔταξαν, ἑκάστης δὲ πράξεως ἴδιον ὑπάρχειν τέλος τὴν ἐκ τῆς πράξεως περιγινομένην ἡδονήν. Οὗτοι οἱ Κυρηναϊκοὶ τὸν ὅρον τῆς ἡδονῆς Ἐπικούρου, τουτέστι τοῦ ἀλγοῦντος ὑπεξαίρεσιν, ἀθετοῦσιν, νεκροῦ κατάστασιν ἀποκαλοῦντες. Strom. l. 2. p. 498. Oxon. Quibus planè germana videas de puris putis Cyrenaicis apud Laert. ubi ſupra §. 87, 88, 89. Quippe, ἡδονὴν μέντοι (ait ille) τὴν τοῦ σώματος ——— τέλος εἶναι φάσιν ——— ἥδε τοῦ ἀλγοῦντος ὑπεξαίρεσις, ὡς εἴρηται παρ' Ἐπικούρῳ, (i. e. Ciceroni *doloris amotio vel indolentia*), δοκεῖ αὐτοῖς μὴ εἶναι ἡδονή. Id quod probè notandum, ut pateſcat, quare infra Epicurum appellet Cicero, non *ejuſdem planè*, ſed *ejuſdem fere adjutorem auctoremque ſententiæ*. Cæterùm ita floruit poſtea Epicurus,

atque Annicerii philoſophi nominati, omne bonum in voluptate poſuerunt; [c] virtutemque cenſuerunt ob eam rem eſſe laudandam, quòd efficiens eſſet voluptatis: quibus obſoletis floret Epicurus, ejuſdem fere adjutor auctorque ſententiæ. Cum his, [d] viris equiſque, ut dicitur, ſi honeſtatem tueri ac retinere ſententia eſt, decertandum eſt: nam ſi non modò utilitas, ſed vita omnis beata corporis

rus, (quemadmodum Noſter verè, *obſoletis Anniceriis,*) ut ne unus quidem, poſt Clementem Alex. quantùm ſciam, philoſophorum, non Ammonii, non Alex. Aphrodiſienſis, non Jamblichus, Proclus, Simplicius, Olympiodorus, aliique vel nominis eorum meminerint. *Chapman.*

(c) *virtutemque cenſuerunt ob eam rem* &c.] Id nuſquam tradit Laertius diſertè de Cyrenaicis quibuſcunque, quamquam omnium copioſiſſimè ipſorum commenta perſequatur. Illud tantùm notavit, *pruden-tiam* (τὴν φρόνησιν) ἀγαθόν μεν εἶναι λέγουσιν, οὐ δι᾽ ἑαυτὴν δὲ αἱρετὴν, ἀλλὰ δία τὰ ἐξ αὐτῆς περιγινόμενα. l. 2. §. 91. Quibus etiam ſubjecit, (ib.) τῶν ἀρετῶν ἐνίας καὶ περὶ τοὺς ἄφρονας συνίστασθαι, *virtutes quaſdam etiam in* (vel ex) *deſipientibus commendari*, ſeu quaſdam in hominum vulgò tam pulchras conſpici virtutes, ut ſe ipſæ vel σοφοῖς, i. e. Cyrenaicis, commendent. Hæc autem qui dixerunt iidem facilè profiteri poſſent id, quod Cicero expreſſit. Ne quid verò diſſimulem, fieri etiam potuit, ut cùm plurima ex memoria Noſter ſcriberet, id errore Cyrenaicis tribueret, quod Epicuri familiæ adſciverant. Vide lib. ii. de Fin. paſſim. *Chapman.*

(d) *viris equiſque*] i. e. omni conatu, quod nonnumquam *manibus pedibuſque* fieri dicitur: Quidam ediderunt *velis equiſque*; ſed docti oſtenderunt Ciceronem alibi *viris equiſque* uſum fuiſſe. Sic enim in Ep. ad Q. fratrem ii. 15. *curſu corrigam tarditatem tuam cum equis, tum viris.* Ep. ad fam. ix. 7. *nunc, cum confecta ſunt omnia, dubitandum non eſt, quin equis, viris:* ſubaudi, *Cæſari obviam eamus.* Tranſlatio (inquit Manutius) eſt à militari certamine, quo contenditur *equis & viris:* inde manavit proverbium. Cùm verò celeritas indicatur, *equis, velis* dicitur, fugientium ſimilitudine terrâ marique.

poris firma conſtitutione, [a] ejuſque conſtitutionis ſpe exploratâ, ut à Metrodoro ſcriptum eſt, continetur; certè hæc utilitas, & quidem ſumma (ſic enim cenſent) cum honeſtate pugnabit. Nam ubi primùm prudentiæ locus dabitur? an, ut conquirat undique ſuavitates? quàm miſer virtutis famulatus ſervientis voluptati! Quod autem munus prudentiæ? an legere intelligenter voluptates? fac nihil iſto eſſe jucundius; quid cogitari poteſt turpius? Jam, qui dolorem ſummum malum dicat, apud eum quem habet locum fortitudo, quæ eſt dolorum laborumque contemtio? quamvis enim [b] multis in locis dicat Epicurus (ſicut hic dicit) ſatis fortiter de dolore; tamen non id ſpectandum eſt, quid dicat, ſed quid conſentaneum ſit ei dicere, qui bona voluptate terminaverit, mala dolore: ut, ſi illum audiam de continentia & temperantia; dicit ille quidem [c] multa multis locis: ſed aqua hæret, ut aiunt; nam quî poteſt temperantiam laudare is, qui ponat ſummum bonum in voluptate? eſt enim temperantia

(a) *ejuſque conſtitutionis ſpe explorata*] Senſus eſt; Cùm quis bonam ſpem habeat, illam firmam conſtitutionem corporis duraturam eſſe. Ita enim Noſter in Tuſc. diſp. ii. 6. *Metrodorus quidem perfectè eum beatum putat, cui corpus benè conſtitutum ſit, & exploratum ita ſemper fore: Quis autem eſt iſte, cui id exploratum poſſit eſſe?* Vide etiam ii. 28. de Finibus.

(b) *multis in locis*] Scripſit, opinor, Cicero *multa multis in locis*, ut in ſequentibus.

(c) *multa multis locis*] Fortè, *multa multis* in *locis*, ut paulò ante. *Multa*, ſc. de continentia & temperantia.

temperantia libidinum inimica, libidines autem conſectatrices voluptatis. Atque his tamen tribus generibus, quoquo modo poſſunt, non incallidè tergiverſantur. Prudentiam introducunt ſcientiam ſuppeditantem voluptates, depellentem dolores. Fortitudinem quoque aliquo modo expediunt, cùm tradunt rationem negligendæ mortis, perpetiendique doloris. Etiam temperantiam inducunt; non facillimè illi quidem, ſed tamen quoquo modo poſſunt: dicunt enim, voluptatis magnitudinem [d] doloris detractione finiri. [e] Juſtitia vacillat, vel jacet potiùs, omneſque eæ virtutes, quæ in communitate cernuntur & in ſocietate generis humani: neque enim bonitas, nec liberalitas, nec comitas eſſe poteſt, non plus quàm amicitia, ſi hæc non per ſe expetantur, ſed ad voluptatem utilitatemve referantur. [f] Conferamus igitur in pauca: nam, ut utilitatem nullam eſſe docuimus, quæ honeſtati eſſet contraria; ſic omnem voluptatem dicimus honeſtati eſſe contrariam. Quo magis reprehendendos Calliphonem

(d) *doloris detractione finiri*] Hoc enim dicebant Epicurei; ubi dolor detractus eſſet, *finiri* ac *terminari*, & (quo verbo ipſi utebantur) ὁρίζεσθαι voluptatem: neque creſcere amplius, ſed *variari* tantum, i. e. ποικίλλεσθαι. *Muretus.* Vide i. 11. de Finibus.

(e) *Juſtitia vacillat*] Epicurei Voluptatem aliquo modo Prudentiæ, Fortitudini, Temperantiæ conciliarunt: nullo autem modo Juſtitiæ. Hæc cum voluptate conjuncta *vacillat, vel jacet potiùs*; non modò labitur, ſed ad terram cadit.

(f) *Conferamus igitur in pauca*] i. e. paucis dicamus ea, quæ de his dicenda habemus.

Calliphonem [g] & Dinomachum judico, qui ſe diremturos controverſiam putaverunt, ſi cum honeſtate voluptatem, tamquam cum homine pecudem, copulaviſſent. Non recipit iſtam conjunctionem honeſtas, aſpernatur, repellit. Nec verò [h] finis bonorum & malorum, qui ſimplex eſſe debet, ex diſſimillimis rebus miſceri & temperari poteſt. Sed de hoc (magna enim res eſt) alio loco pluribus. Nunc ad propoſitum. Quemadmodum igitur, ſi quando ea, quæ videtur utilitas, honeſtati repugnat, dijudicanda res ſit, ſatis eſt ſupra diſputatum: ſin autem ſpeciem utilitatis etiam voluptas habere dicatur, nulla poteſt eſſe ei cum honeſtate conjunctio; nam, ut tribuamus aliquid voluptati, condimenti

(g) *Calliphonem*] Nihil vel apud Ciceronem, vel alios reperio, quod Calliphonis aut Dinomachi ſententiam magis explicet; ſi excipias Clem. Alex. qui in Strom. ii. p. 415. (ed. Lutet. 1629.) hæc de Calliphone dicit, Κατὰ δὲ τοὺς περὶ Καλλιφῶντα, ἕνεκα μὲν τῆς ἡδονῆς παρεισῆλθεν ἡ ἀρετή· χρόνῳ δὲ ὕστερον, τὸ περὶ αὐτὴν κάλλος κατιδοῦσα, ἰσότιμον ἑαυτὴν τῇ ἀρχῇ, τουτέστι τῇ ἡδονῇ, παρέσχεν. *Ex Calliphonis autem ſententia, voluptatis quidem cauſſâ acceſſit virtus: procedente verò tempore, cùm ſuam vidiſſet* (virtus) *pulchritudinem, effecit, ut principio, hoc eſt, voluptati, eſſet honore æqualis.*

(h) *finis bonorum & malorum*] Muretus in var. lect. xiv. 3. has duas voces & *malorum* adjectas putat ab hominibus minimè malis ſed non ſatis intelligentibus. Licet omnes, quos novimus, MSi eas retineant, tamen cum Mureto exterminandas eſſe cenſeo: nam, quoties Cicero de utroque loquitur, uti ſolet nomine pluralis numeri, *fines*, non *finis*; ut in i. 2. *propoſitis bonorum & malorum finibus officium omne pervertunt.* Adde, quòd de ſolo bonorum fine Cicero hîc loqui voluiſſe videtur, cùm paullo antè dixerit, *qui poteſt temperantiam laudare is, qui ponat ſummum bonum in voluptate?*

menti fortaſſe nonnihil, utilitatis certè mihi habebit.

Habes à patre munus, Marce fili, mea quidem ſententia magnum; ſed perinde erit ut acceperis: quamquam tibi hi tres libri inter Cratippi commentarios, tamquam hoſpites, erunt recipiendi. Sed ut, ſi ipſe veniſſem Athenas (quod quidem eſſet factum niſi me è medio curſu clara voce patria revocaſſet) aliquando me quoque audires: ſic quoniam his voluminibus ad te profecta vox mea eſt, tribues his temporis quantum poteris; poteris autem quantum voles. Cùm verò intellexero, te hoc ſcientiæ genere gaudere; tum & præſens tecum propediem, ut ſpero, &, dum aberis, abſens loquar. Vale igitur, mi Cicero, tibique perſuade, eſſe te quidem mihi cariſſimum; ſed multo fore cariorem, ſi talibus [1] monumentis præceptiſque lætabere.

(1) *monumentis præceptiſque*] Placere video doctis viris *monitis* potiùs quàm *monumentis*, contra veteres libros. Ab his ego non libenter diſſentio; ſed libenter quoque tueor antiquitatem librorum, vel ipſam potiùs ſententiam Ciceronis: quem loqui video de ſuis libris, eoſque vocare *monumenta*, paterni ſcilicet amoris in filium, tamquam diu duraturos: In quibus quoniam præcipiuntur ea, quæ ad honeſtatem veramque gloriam pertinent, propterea ſubjungit *præceptiſque*. Quaſi dicat; Si meos libros leges, eorumque præcepta ſervabis; præcepta enim monumentis ejuſmodi continentur. *Manutius*.

In

In ſequentibus à Grævii editione ſecunda & emendatiore receſſit hæc editio, nullâ Notâ appoſitâ, quæ diſcrepantias ſignificaret; quippe quæ fere minus ponderis habeant, cùm tamen vel MSis, vel vet. editionibus, vel (ut plerumque) utriſque mea lectio ſit ſuſtentata.

LIBER I.

GRÆVIUS.

c. 3. in deliberando] deliberando
c. 4. homo autem, quoniam] homo autem, quòd
c. 5. implicata] implicita
c. 6. aſſentiamur] aſſentiamus
c. 8. in quo non poſſunt] in quo non poſſint
leviora enim ſunt ea, quæ] ——— ſunt, quæ
c. 9. pro nihilo putent] pro nihilo ducant
Nam dum alterum] Nam alterum
c. 10. poſui] propoſui
ut ne cupidè] ne cupidè
c. 11. conſervandi ſunt ii] conſervandi ii
nec immanes] non immanes
c. 13. & amicis] & ab amicis
utrumque ab homine] utrumque homine
qui tum, cúm] qui, cùm
c. 14. abeſt ab officio] abeſt officio
c. 15. ſi ſunt ſimulacra] ſi ſint ſimulacra
c. 17. ultro & citro datis acceptiſque] ultro citro datis acceptis
c. 17. tribuendum ſit officii] tribuendum officii
c. 19. fortes & magnanimos] fortes, magnanimos
naturam ſequitur] natura ſequitur
c. 20. & ab omni animi] & omni animi
videnda ſunt] videnda
c. 22. ſunt igitur] ſunt ergo
c. 23. nonnumquam autem etiam] nonnumquam etiam
c. 24. quietis & cogitatis] quietis cogitationibus &
Arginuſis] Arginuſſis
c. 26. itemque de C. Lælio] item de C. Lælio
nos tunc putamus eſſe] nos eſſe putamus
c. 28. fugiendumque] fugiendumve

 c. 29.

c. 29. ſedandoſque eſſe,] ſedandoſque

c. 30. ad valetudinem referatur] ad valetudinem referantur

præfectus claſſis] præfectus claſſi

itemque in Q. Mutio] idemque in Q. Mutio

c. 31. cujuſque ſuum maximè] cujuſque maximè ſuum

Rutilius] Rupilius

minimè indecorè] minimum indecorè

c. 32. quam nobiſmet ipſi] quam nobiſmetipſis

quid optimum eſſet] quod optimum eſſet

Plerumque autem] Plerique autem

c. 33. excellente ingenii magnitudine] excellentis ingenii magnitudine

eſt major rei cura] eſt ei rei cura major

nobiſmet ipſi] nobiſmetipſis

c. 34. & in civilibus] & civilibus

atque incolæ] & incolæ

c. 35. & ne quid durum] ne quid durum

c. 37. ſequatur etiam convivia] perſequatur etiam convivia

indicet ineſſe in moribus] indicet ineſſe moribus

c. 38. agendum etiam eſt, ut] agendum etiam, ut

ſic ad hoc genus] ſic & ad hoc genus

iracundiam pellere] iracundiam repellere

c. 38. ea nec conſtanter] nec conſtanter

c. 39. commoditatis dignitatiſque] dignitatis commoditatiſque

c. 39. recipiendi ſunt] recipiendi

ad omnem uſum cultumque vitæ transferenda eſt] ad uſum cultumque vitæ referenda eſt

c. 40. & de opportunitate temporum] & temporum opportunitate

aut tibiis] aut in tibiis

Ita videtur eadem vis] Itaque videtur eadem vis

c. 42. eſt enim in illis] eſt enim illis

ſic ex ipſo portu] ex ipſo portu

c. 43. ut omnium rerum] ut in omnium rerum

cognitione digna ſint] cognitione digna ſunt

c. 44. prudentiam intelligentiamque] intelligentiam prudentiamque

Ob eamque etiam cauſſam] Ob eamque cauſſam

apum examina] apium examina

ut aiunt, ſuppeditarentur] ut aiunt, ſuppeditarent

LIBER

VARIÆ LECTIONES.

LIBER II.

c. 2. ſed etiam vivendi] ſed vivendi
c. 3. in quo verbo lapſa] in quo lapſa
rationis ſunt equi] rationis equi
Earumque item rerum] Earumque rerum
c. 6. promiſſionibuſque] promiſſiſque
c. 7. tuendas ac tenendas, quàm] tuendas, quàm
c. 8. ſexto & triceſimo] ſexto triceſimo
c. 10. Admiratione autem afficiuntur] Admiratione afficiuntur
c. 11. mirifica quædam res multitudini] mirifica quædam multitudini
ne illi quidem] nec illi quidem
& in conſtituta rep.] in conſtituta rep.
c. 13. in libro ſuperiore] libro ſuperiore
c. 14. animos comitas] animos hominum comitas
blando appellando ſermone] blandè appellando
ita habendum eſt] item habendum eſt
c. 18. eſt pecuniæ fructus] is eſt pecuniæ fructus
c. 19. de meipſo] de me ipſe
c. 20. quamvis magnum aliquid] quamvis magnum aliquod
c. 22. laus enim abſtinentiæ] laus abſtinentiæ
tantum in ærarium pecuniæ] tantam in ærarium pecuniam
vitium tetrius eſt] vitium tetrius
avaritia eſſe perituram] avaritia perituram
c. 23. ex eoque tempore] exque eo tempore
iniquiſſimum eſſe arbitrabatur] iniquiſſimum arbitrabatur

LIBER III.

c. 1. Ita, qui in maxima] Itaque, qui in maxima
c. 2. utilene eſſet, an inutile] utilene an inutile
c. 3. debuiſſe ejuſmodi] ejuſmodi debuiſſe
poematibus & in picturis uſu venit] poematis & picturis uſu evenit
cùm ſint docti] cùm ſunt docti
ſapientes habiti ſunt &] ſapientes habiti &
c. 4. ſi quis tyrannum] ſi qui tyrannum
quamquam & à veteribus] quamquam à veteribus
c. 5. vinculis] vinclis
in concilio] in concilium

c. 6. Atque etiam ſi] Atque ſi etiam
nulla eſt enim nobis] nulla enim nobis.
ſumma diſtractio] ſumma diſtractio eſt
c. 7. niſi aliquis caſus] niſi aliqui caſus
quid idcirco fugiendum] quid quod idcirco fugiendum
quæ viderentur utilia] quæ videntur utilia
venerint] venerunt
c. 8. emolumenta] emolumentum
Ergo ea deliberanda] Ergo deliberanda
c. 9. apertis, hominis mortui] apertis, mortui
c. 9. Atqui hoc loco] Atque hoc loco
c. 12. cùm omnibus hominibus] cùm hominibus
c. 13. ſancitum eſt] ſanctum eſt
c. 17. ſancitum eſt] ſanctum eſt
omnium inter omnes] hominum inter homines
ejuſdem gentis] ejuſdem generis
bonis anteponit] bonis ponit ante
c. 19. At ſi dares] At dares
non nocet—perficit] non noceat—perficiat
ſed ne cogitare] ſed nec cogitare
c. 21. & quàm turpe eſt] quàm turpe eſſet
c. 23. vel ſua vel reipublicæ cauſſa] vel ſuæ vel reipublicæ cauſſa
c. 24. conſulendum eſt] conſulendum
nihil ceperit, quàm ſi ceperit: niſi] nihil ceperit: niſi
c. 25. facies enim] facias enim
c. 26. rem factam noſtramque] rem factam noſtraque
c. 27. nihil extimeſcere] nil extimeſcere
c. 28. negotii, & nihil] negotii dicunt, & nihil
c. 29. contra Reguli] contra regulum
ſed ne malum] ſed nec malum
c. 31. quòd illum iratum] qui illum iratum
c. 32. Hannibal, ſe in caſtra] Hannibal, in caſtra
ſcribit idem] ſcripſit idem
perſpicuum eſt enim ea, quæ] perſpicuum eſt enim, quæ
fœda & turpia] fœda, turpia
c. 33. diſſimillimis] diſſimilibus
quæ videtur utilitas] quæ videretur utilitas
habere dicatur] habere dicetur

INDEX

INDEX

RERUM & VERBORUM.

Numerus primus Librum, ſecundus Caput notat.

A.

ABdere. abdimus nos, iii. 1. abduci à rebus gerendis. i. 6.
abeſſe à natura ferarum. i. 16. à ſpe conſulatus. iii. 20. aberunt ab hoc. iii. 24.
abhorrens à litibus. ii. 18. ab aurium approbatione. i. 35.
abjicere obedientiam. i. 29. abjectâ cunctatione. i. 21.
abrogare alicui imperium. iii. 10.
abſolvere operis partem. iii. 2. abſolutum officium. iii. 3.
abſtinentia. ii. 22. abſtinentes oculi, manus. i. 40. abſtinens fuit Africanus. ii. 23. abſtinere injuriâ. iii. 17.
abſtrahi à ſolitudine. iii. 1.
abundare præceptis philoſophiæ. i. 1. bellicis laudibus. i. 22. rebus. i. 3. omnibus copiis. iii. 5.
Academia. iii. 4. Academici. ii. 2. iii. 4. Academicæ quæſtiones Tullii. ii. 2.
accedere ad rem gerendam. i. 21. ad remp. i. 44. acceſſerunt manus, & ars. ii. 3. accedimus proximè. iii. 1. accedit eodem. iii. 2.
accipere injuriam. i. 11, 22. beneficium. ii. 20. dona. ii. 21. rem. ii. 22. pecuniam. ii. 23. calamitatem. iii. 11, 26. acceptorum beneficiorum delectus habendi. i. 15. acceptâ rogatione. iii. 30. accepta lex non eſt. *ibid.*
Accius. iii. 21, 28.
accommodare ſe ad &c. i. 4, 21. orationem ad opinionem communem. ii. 10. tempus orandæ litis. iii. 10. accommodamus perſonam nobiſmet ipſi. i. 32. accommodatum ad hominum conſociationem. i. 28. ad naturam. *ibid.* ad facultates, ii. 15. ad obſtringendos homines. ii. 19. accommodatiſſimæ ſibi fabulæ. i. 31.
accuſare aliquem, quando oporteat. i. 14.

acerbus

acerbus in exigendo. ii. 18.
acerbè ſeverus. iii. 31.
Acilius hiſtoricus. iii. 32.
acriores morſus, ii. 7. acer judex bonorum &c. i. 31.
actio omnis vacet temeritate &c. i. 29. actionis locus. i. 40. tempus opportunum. *ibid.* actionum ordo. i. 40. concentus. *ibid.* actiones, i. e. orationes. ii. 1. actio rerum cognitioni anteponenda. i. 43, 44, 45. in omni actione tria tenenda. i. 39. actiones rerum. i. 24, 43.
acuere aliquem. iii. 1.
acutiſſimè videre rationem. i. 5. cogitare. i. 44. acutiſſimus homo. iii. 12.
addere ſibi paucos dies ad dictaturam. iii. 31.
addictus morti. iii. 10.
addubitare in re aliqua. iii. 4. addubitatâ re. i. 24.
adducere aliquem in invidiam. iii. 20. adducuntur plerique, ut &c. i. 8. adductus temporibus. i. 13. adducta res in judicium. iii. 16.
adhæreſcere juſtitiæ, honeſtati. i. 25.
adhibere tempus & diligentiam ad &c. i. 6. doctos homines ad &c. i. 41. modum & ordinem rebus. i. 5. orationis vanitatem. iii. 14. periculoſas curationes morbis. i. 24. reverentiam optimi cujuſque. i. 28. dignitatis diligentiam. i. 39. ſeveritatem, leporem. i. 37. ſolertiam agendi, i. 44. Deum teſtem. iii. [illegible] dam tormenta. ii[illegible] alicui. i. 30. ad[illegible] in concilium &c. ii. [illegible] adhibere collegium [illegible] rum. iii. 20. adhi[illegible] auctor Themiſtocl[illegible] 20. adhibita corre[illegible] iii. 2.
adigere aliquem arbitrum. iii. 16.
adimuntur alicui pecuniæ. ii. 22.
adipiſci caritatem. ii. 8. gloriam. ii. 13, 15. omnia ampliſſima. ii. 17. honores. *ibid.* utilitates. ii. 5.
adire pericula. i. 19, 24. hereditatem. iii. 24. aditus, *Partic.* i. 19.
adjudicavit populo Rom. i. 8.
adjungere res futuras præſentibus. i. 4. acceſſionem ædibus. i. 39. animos ad &c. ii. 5. adjuncto verò, ut &c. ii. 12.
adjuvare aliquem. ii. 20. remp. &c. conſilio. i. 34. ad aliquid. ii. 8. in rebus. ii. 9. injuriam. iii. 18. adjuvari pecuniâ. ii. 23.
adjutor conſiliorum. iii. 10. ſententiæ. iii. 33.
adjumenta hominum. ii. 5, 11. rerum gerendarum. i. 21. adjumentum afferre alicui. i. 1.
adminiculis. iii. 7.
adminiſtrare remp. i. 25. ii. 21.
adminiſtratione hominum uti. ii. 3.
admirabilitatem facere. ii. 11.
admirantur homines ea omnia, quæ &c. ii. 10. admiratus

miratus eorum fidem. iii. 10. admiratione affici. ii. 10. admiratio divitiarum. ii. 30. admiratio hominum (ſenſu alio) ii. 10. audientium. *ib.* 19.
admirari *pro* mirari. ii. 16.
admittere facinus. iii. 25.
admodum adoleſcens. ii. 13.
admonebat me res, ut &c. ii. 19. admonitionem deſiderare. i. 40.
admoventur dolorum faces. ii. 10.
adoleſcentiæ inſcitia ſenum prudentiâ regenda. i. 34. à libidinibus arcenda &c. *ib.* in ea eſt max. imbecillitas conſilii. i. 32. ei favetur. ii. 13. adoleſcentis eſt majores natu vereri. i. 34.
adſcribere aliquem in amicitiam. iii. 10.
adſtrictus jurejurando. i. 13. adſtringere ſe ſcelere. iii. 4. fidem. *ib.* 31. adſtringit perjurium fraus. *ib.* 32.
advehere frumentum Rhodum. iii. 12.
adverſùs aliquem ſervare officium. i. 11. hoſtem æterna auctoritas. *ibid.* 12. infimos ſervanda juſtitia. *ibid.* 13. homines ſe gerere. *ibid.* 28.
advertere animum. ii. 19.
adulari nos ſinamus. i. 26.
adulterini nummi. iii. 23.
advocatus alicui venire in rem præſentem. i. 10.
adurebat ſibi capillum. ii. 7.
Æacus juſtus. i. 28.
ædes peſtilentes, male materiatæ. &c. iii. 13.
ædificandi deſcriptio. i. 39. modus. *ibid.*
ædilitatis prætermiſſio. ii. 17. ſplendor. *ibid.* 16.
ædilitium maximum munus. ii. 16.
Ægina iii. 11. Æginetæ. *ibid.*
æquabile genus orationis. i. 1. jus ii. 12. æquabilis partitio, *ibid.* 11. æquabilitas juris. i. 25. in omni vitâ. *ibid.* 26. univerſæ vitæ, &c. *ibid.* 54. æquabiliter diſpertire. ii. 11.
æqualis alicujus. iii. 1. æquatio bonorum. ii. 21.
æquarunt ſe illis. i. 1.
æquitas lucet ipſa per ſe. i. 9. juſtitiæ maximè propria. *ib.* 19. tollitur omnis ſi &c. ii. 22. belli. i. 11. judiciorum & juris. ii. 24.
æquus & facilis. ii. 18. æquius, melius. iii. 15.
ærarii tenuitas. ii. 21. in ærariis relinquere. i. 13.
æs alienum ſuſcipere. ii. 16. diſſolvere. ii. 24. ne ſit in repub. ii. 24. Coſ. Cicerone erat maximum. *ibid.*
Æſopus. i. 31.
affabilitas ſermonis. ii. 14.
afferre adjumentum alicui. i. 1. in medium communes utilitates. i. 7. manum ſocio. *ibid.* aliquid ad utilitatem communem. i. 16, 44. conſulatum in ſuam domum. i. 39. manus alienis bonis. ii. 15. opinionem populo. ii. 13. conſulatus repulſam. ii. 17. finem tributorum. ii. 22. languorem alicui. iii. 1. utilitatem

litatem reip. iii. 6. ſpeciem utilitatis. iii. 8. conſilium. iii. 11. aliquid contra alium. iii. 31.

affici incommodo. i. 7. admiratione. ii. 10. injuriis. ii. 11. laude. ii. 13. afficere pœna. ii. 5. beneficiis. ii. 18. affectus animo. i. 20. honore, imperio. i. 41. afficiendum corpus ita eſt, ut &c. i. 22. ſic affecti erimus. iii. 5. affectio animi. iii. 6.

affirmandi arrogantia. ii. 2. affirmatio religioſa. iii. 29. affirmatè dici. *ibid.*

afflictis rebus. iii. 32.

Africanus. i. 23, 25, 32, 33. ii. 22, 23. Africani dictum; ut equos &c. i. 26. ſe numquam minus otioſum &c. iii. 1.

Agamemnon iii. 25.

ager Arpinas: Tuſculanus. i. 7. Picenus: Sabinus. iii. 18. agros fertiles imitari debemus &c. i. 15. agricultura. i. 43. agreſtis negligentia. i. 36. agraria lex. ii. 21. res. ii. 21. agrariæ contentiones. ii. 23.

aggrediar dicere. ii. 1.

Agis Lacedæmoniorum rex. ii. 23.

agitatio mentis. iii. 1.

agere ſuum negotium. i. 9. cauſſam. i. 40. id ut &c. i. 13, 37. ii. 12, 15. iii. 17. vitam in agris. ii. 11. radices. ii. 12. ex occulto: ex inſidiis. i. 30. cum aliquo. ii. 23. iii. 22. ſine inficiis, iii. 12, augurium iii. 16. cum[illegible] cum. iii. 23. a[illegible] bona. iii. 15. [illegible] bonos. iii. 15, [illegible]dum popularibus [illegible] 10. actum eſt ve[illegible] ii. 24.

Agrigentinorum m[illegible]. ii. 7.

Ajax. i. 31.

ala altera exercitûs. ii. 13.

alere familiam. iii. 23. exercitum. i. 8.

Alexander Magnus. i. 26.

Alexander Pheræus. ii. 7.

alienum à ſe. i. 9. ab honeſtis actionibus. i. 29. non eſt &c. i. 41. alieniſſimum ab homine. i. 13.

aliud agentes, aliud ſimulantes. iii. 14. aliorum judicio multa facienda &c. i. 41.

allatum, ſc. nuntio. i. 43.

allicere ſtudia hominum ad. ii. 6. multitudinis animos ad. ii. 14. allicit nos ad ſe. i. 17.

altitudo animi. i. 25.

amari à ſubditis, quàm metui præſtat. ii. 7, 8.

ambitio miſerrima eſt. i. 25.

ambitioſi, quales in repub. i. 19.

amicitia, quæ jucundiſſima. i. 17. ejus uſus varius. *ibid.* in ea ultimum putavit Pythagoras &c. *ibid.* amicitias diſſuere; præcidere. i. 33. de Amicitia Tullii liber. ii. 9. amicitiæ præceptum. iii. 10.

amici cauſſâ non omnia facienda, quæ ipſe velit. iii. 10. amicorum eſſe omnia communia. i. 24.

amittere

amittere conſuetudinem &c. ii. 8. remp. *ibid.* agrum ii. 22. ſua. ii. 23. nomen & ſplendorem viri boni. iii. 20. ſocios reip. gerendæ. ii. 1. amiſſo priore ſacramento. i. 11. amiſſio liberorum; iii. 5.
amor in natos naturalis. i. 4. multitudinis. ii. 9. amoris cauſſæ. *ibid.*
amplificatio rei familiaris &c. i. 8. rerum. ii. 5. honoris & gloriæ. ii. 12.
ampla domus. i. 39. ampliſſima omnia. ii. 17. amplitudo honorum. *ibid.* ampliſſima fortuna. ii. 6.
amputantur membra quæ reliquis nocent. iii. 6.
an, pro annon. i. 11, 15, 21, 37.
angi timore. ii. 7.
anguſtus animus. i. 20.
anhelitus moveatur. i. 36.
Anien fluvius. iii. 31.
animadverſio contumeliâ vacet. i. 25. excitanda. i. 29. animadverſores vitiorum. i. 41. animadverſiones cenſorum. iii. 31.
animalia duplicis ordinis ſunt. ii. 3. omnibus naturale eſt ſe tueri, &c. i. 4.
animus bene à naturâ informatus &c. i. 4. animi magnitudo vera & ſapiens. i. 19. opera majora ſunt, quam corporis. ii. 13. vis atque natura duplex. i. 28. vitia. iii. 5. animosè vivere. i. 26.
Annicerii Philoſophi. iii. 33.
anquirere aliquid. i. 3, 4, 30, 34. ii. 2.
anteceſſiones. i. 4.
anteire cæteros virtute. ii. 10.
Antigonus. ii. 14.
Antipater Stoicus. ii. 24. iii. 12, 23.
Antipater Caſſandri pater. ii. 14.
Antonius. M. Orator. ii. 14. iii. 16.
antiqua domus. i. 39.
antiquari legem paſſus eſt. ii. 21.
antiquius, *pro* prius. i. 43.
Apelles. iii. 2.
apertus homo. iii. 13. aperire rem familiarem. ii. 15.
apiſci, ex quo aptum officium. i. 18.
apum examina. i. 44.
Apollinis Pythii oraculum. ii. 22.
ἀποφθέγματα à Catone collecta. i. 29.
apparatus magnifici. i. 8. ludorum venationumque. ii. 16. apparatio munerum. *ibid.* apparatum opipare convivium. iii. 14.
appellare aliquem molli nomine. i. 12. milites blando ſermone. ii. 14.
appetere alienum. iii. 5. appetenter agere. i. 10. appetitus rationi obediant. i. 29, 39. contrahendi & ſedandi. i. 29. appetitus voluptatis. i. 30. impellit ad agendum. i. 36. appetitio alieni. iii. 6.
applicare ſe ad philoſophiam, &c. i. 32.
apponere licitatorem. iii. 15.
apta—diſſoluta. i. 35.
aptus ad rem militarem. i.

[illegible]
[illegible]
Ar[illegible] Sic[illegible]. ii. 23.
arbitrariæ rei uxoriæ. iii. 15.
arbitria in quibus adderetur ex fide bona. iii. 17.
arcere a[illegible] à [illegible]cinibus. i. 2.
arceſſere aliquem judicio capitis. ii. 14.
archipirata. ii. 11.
architectura. i. 42.
